

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834886-p0002-5

Vol. 5. Suppl.

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

26. 6. 1990

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834886-p0004-6

TH 0935

Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834886-p0005-1

Die Bibel zitiert Stapfer
nach Castellios Übersetzung

ein Fehler von alten Leser korr. 478

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834886-p0006-7

JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.

Tom. I.



F.

Cum permissione Facultatis Theologicæ
TIGURINÆ & BERNENSIS.

TIGURI,
Apud Heideggerum & Socios.
MDCCXLIII.

VIRO

MAGNIFICO, GENEROSISSIMO, SPECTATISSIMO

Stemmatis, Dignitatis, Virtutis ac Sapientiæ Laude Conspicuo,

D. ROD. EMANUELI FRISCHING,

Domino in Rumlingen,

Illustris & Præpotentis Reip. Bernens. CURIÆ Supremæ Assessori Ducentumviro:

SUO LITTERARUMQUE PATRONO

S. P. D.

JOH. FRID. STAPFER.

AMPLISSIME VIR,
Patrone Honorande!

VEnerer Auguſtum Nomen TUUM exiguo huic opuſculo præfigere, niſi Argumenti, quod in eo continetur, Dignitas, TUA, qua me

 digna-

dignaris, Benevolentia, insignis TUUS Literarum tam Sacrarum quam profanarum, omnisque Veritatis, Amor, fiduciam mihi facerent, non ægre TE laturum, si oblatam hanc, publice TE honorandi, occasionem non prætermittam.

Ignoscas temeritatem homini Reverentiæ suæ testandæ cupidissimo. Dignitas quidem TUA & Virtus aliud poscere monumentum videtur; sed nihil majus à me exspectari potest, quam ut animi mei erga TE Devotionem statuæ omnium oculis expositæ inscriberem. Accipe ergo, quâ soles Bonitate,

hoc

hoc ſummæ obſervantiæ Pignus atque Teſſeram.

Si majori TIBI moleſtus eſſe vellem Epiſtolâ, addere poſſem, quæ Litteris ejusmodi dedicatoriis addi ſolent; non TUAS modo, ſed Illuſtrium etiam MAJORUM TUORUM extollerem Laudes; QUOS in ſummo præpotentis Reipublicæ noſtræ Dignitatis gradu fuiſſe conſtitutos, in Deum & Patriam, in Religionem, in Rempublicam Litterariam, in Eccleſiam denique, pientisſimos; Toga ſagoque inclytos; Domi fortunatos; in Publico felices; Juſtitiæ Præſides; Libertatis Vindices extiſſe,

tisse, nec quenquam inter Nostrates, nec Exteros latet. ILLORUM vestigia presso TE pede sequi, nemo est qui nesciat.

Supremum Numen pro Gloria, pro Felicitate, pro diuturna TUA Incolumitate, submisse precor. Vale VIR AMPLISSIME, & propensa TUA Voluntate me dignari pergas humillime rogo. Dabam Bernæ XI. Calend. Julij. MDCCXLIII.

PRÆ-

* * * \

dis & faciendis, tanquam infallibili Ecclesiæ Capite & Domino, ostendi. SOCINIANORUM vero πρῶτον ψεῦδος hoc esse, & id illos præcipue agere demonstravi, ut evincant: *Hominem per Religionem illam communem, quæ in naturali hominis, ut Creaturæ, ad Deum Creatorem & Conservatorem Relatione fundata est, salvari posse, in qua Religione Revelationi divinæ id solum debeatur, quod Christus hanc promissionem primus attulerit.* REMONSTRANTIUM vero Errores inde ortum suum ducere dixi: *Quod Homini tribuant naturales obediendi Evangelio vires, ut, si non cum Pelagianis, saltem cum Semi-Pelagianis faciant, hoc est, si non integras vires statuant, quales in statu integritatis fuerunt, tamen contendant, illas, licet ægras, ad Gratiam oblatam tamen recipiendam sufficientes esse.* Totum vero ANABAPTISTARUM Systema si consideretur, hanc *Primariam* illorum *Hypothesin* esse apparere: *Quod perfectum Ecclesiæ in his Terris statum, communionemque Sanctorum peccatis expertem dari existiment.* Reliqui vero cujusvis Systematis errores quomodo cum primariis hisce cohæreant, atque ad illos stabiliendos faciant, singillatim ostendi. Hujus methodi simul insignem monstravi usum; dum hoc modo non solum cujusvis Erroris vera ratio atque scopus perspici, sed si hac ratione disponatur hostilis acies, eo faci-

facilius etiam atque felicius ea debellari, totiusque ædificii fundamentum minori Labore subrui possit. Longius vero in tractatu illo nondum progressus sum, sed in adornandis Adversariorum horum Systematibus substiti.

Methodus hæc cum maxime probaretur Viris Eruditis, ad quorum manus hæc Dissertatio mea pervenit, non modo cætera reliquorum Hæreticorum atque Incredulorum Capita etiam addenda esse censui, sed *integrum universæ Theologiæ Polemicæ Systema*, omnibus ad Elenchum necessariis partibus instructum formavi. Hic vero præcipuus in eo componendo fuit finis, ut modus tuendi Veritatem, Hostesque veræ Religionis debellandi Genio Sæculi nostri, ac modernæ *Civitatem Dei* impugnandi rationi accommodatus esset. Non solum enim *Civitatis Dei* diversis temporibus diversa facies est, sed & Hostium illius ingens varietas, magna eam adgrediendi & impugnandi diversitas. Uti autem successu temporis alio ac alio modo Urbes atque Castella muniri solent, prout scilicet alia illa oppugnandi ratio obtinet; ita etiam munimenta, mox hac mox alia ratione exstructa, hostibus opponi solent. Eadem quoque *Civitatis Dei* sive *Ecclesiæ* ratio est, ut Veritatis Hostes non una omni tempore

pore ratione *eam* adgrediantur. Unde *eam* muniendi modus ſubinde mutandus, munimenta ejus mox hac mox alia forma extruenda ſunt.

Licet ergo à Viris, de *Sancta* hac *Civitate* ac Veritate, quæ ſecundum Pietatem eſt, defendenda meritiſſimis, fortiſſima jamjam juratis Eccleſiæ Hoſtibus oppoſita ſint munimenta, (habemus enim Viros Celeberrimos, qui *Theologiæ Polemicæ* elaborandæ operam navarunt, meo Encomio ſuperiores, habemus HOORNBEECKIOS, TURRETTINOS, SPANHEMIOS, BUDDEOS, LANGIOS, WALCHIOS, aliosque multos) minime tamen inde ſequitur, prout varii variis temporibus varie Veritatem impugnarunt, eam non alia etiam ac alia ratione defendendam eſſe, prout ſcilicet neceſſitas & Hoſtium varia molimina id requirunt.

Obſervandum inſuper omnes fere Theologos, qui hactenus Theologias Polemicas ediderunt, Adverſarios ſuos nonniſi ut *Opponentes* conſideraſſe, & id ſolum incumbere ſibi putâſſe, ut ad illorum difficultates reſponderent. Si vero Adverſariis hoc quoque largiendum ſit, ut *Reſpondentium* vicibus & ipſi fungantur, nosque illorum adgrediamur hypotheſes, ita comparatum eſſe debet

debet *Systema Polemicum*, ut in eo non modo Objectiones solvantur, sed in quo simul ostendatur, qualis sit hostilis Acies? Quænam primaria illorum sint munimenta? Quænam inprimis illorum Hypotheses refutandæ, quibus eversis totum subruatur ædificium?

Neque, quantum scio, tale reperitur Controversiarum Theologicarum Systema, ubi per omnia Hæresium & Incredulorum Capita, præcipua invenias requisita, quæ, ad *Controversias recte intelligendas & refutandas*, necessaria sunt: Ubi simul Adversariorum Hypotheses omnes *in Systema* prius redactæ; Ubi *Error primarius* detectus, reliquique, quomodo inde fluant & ad huncce tuendum faciant, ostensum. Ubi *Caussa*, *Occasio & Fontes Erroris* indicati. Ubi *Primariæ* Adversariorum *Hypotheseos falsitas* ex certis principiis, in refutatione, ante omnia demonstrata. Ubi ex iisdem Principiis *objectiones solutæ sunt.* In id propterea fuimus intenti, ut tale in Ecclesiæ, & Studiosorum Theologiæ præcipue, usum componeremus Systema Elencticum, cui nullum ex præcipuis hisce requisitis deesset.

Primus nunc Systematis hujus Tomus prodit nonnisi QUINQUE CAPITA PRÆLIMI-

LIMINARIA continens (Totum enim Opus Viginti absolvitur Capitibus); *Primum* Tomi hujus *Caput* de vera Systematis Theologiæ Polemicæ, ejusdemque studii ratione agit, quod necessario præmittendum erat, ut qualis totius Operis forma sit, aliquo modo inde intelligi posset; & ut ab initio statim pateat, quænam Theologiæ Elencticæ primaria sint requisita.

Et cum maxima in tractandis Controversiis Theologicis Prudentia opus sit, si Scientiæ hujus finem, qui Veritatis salutaris defensio, Errantiumque convictio est, consequi velimus, de *Cautelis* in hoc Scientiarum genere adhibendis *Capite secundo* agendum fuit.

Licet Scopus non fuerit Theologiam Dogmaticam tradere, præcipua tamen veræ Religionis Dogmata, ab Inimicis maxime oppugnata, ex Principiis suis fuere demonstranda, ut in Capitibus deinde Elencticis haberemus fundamentum, indubia certaque Principia, ex quibus hypotheseos Adversariorum falsitas demonstrari posset. Unde *Capite tertio* præcipua Religionis Christianæ purioris Dogmata in Nexu suo exhibuimus. De Capite autem hoc tenendum α. quod in primis ejus Sectionibus, quæ Theologiam Naturalem spectant, *Wolfiana* secuti simus

Prin-

Principia, *Theodicæamque Leibnitianam*, β. Quod cum brevitati ſtudendum fuerit, neque ſcopus noſter primarius ſit, integrum aliquod Theologiæ Theticæ Syſtema tradere, ſed nonniſi Polemicam tractare, non ea ibi inveniri, quæ levioris ſunt momenti, & in conſummato aliquo Dogmatum Chriſtianorum Syſtemate doceri ſolent; Quamvis etiam hic nihil plane omiſſum ſit, quod ad ſanctæ Religionis noſtræ Eſſentiam atque Centrum pertinet, γ. Unde in id præcipue fui intentus, ut Articulos controverſos, tum eos, qui ab Incredulis, tum eos, qui ab Hæreticis ſummis viribus oppugnantur, in maxima luce ponerem, eosque accurate demonſtrarem. δ. Ne tamen Veritatum Nexui aliquid deeſſet, reliqua minus controverſa connexui, & ceu Corollaria ex demonſtratis deduxi, eaque de quibus nulla Lis eſt ceu Lemmata aſſumſi; ut non omnes & ſingulas poſitiones ſeorſim juxta Regulas Logicas demonſtraverim (Id enim ſi feciſſem Libri moli multum acceſſiſſet), ſed eas quæ fini meo inſervientes in Controverſiis neceſſariæ ſunt, ε. Nimis etiam crebram & inutilem præcedentium paragraphorum repetitionem & citationem ſtudio evitavi, ne Lectori nauſeam crearem, ipſique moleſtus fierem. ς. Nec in omnibus acceptum vulgo Theologis ordinem ſecutus ſum, ſed eum, qui maxime natu-

naturalis mihi videbatur, & quem ipsa mihi dictitabat ratiocinatio. §. Cæterum id maxime in toto Capite egi, ut Veritatum Theologicarum Θεοπρεπείαν ostenderem, earumque tam possibilitatem, quam certitudinem demonstrarem, Religionem etiam Christianam totam rationalem exhiberem, ab injuriis eam vindicarem, omnium Conscientiis commendarem, veram illius formam, decus & præstantiam perspiciendam darem, ejus cum divinis Perfectionibus ac Rationis Principiis convenientiam indicarem, Ut illa sapientissima, Dei Majestate dignissima, humanæ Naturæ convenientissima deprehendatur. Ut hæc tandem in cujusvis Conscientia resultet Conclusio: *Aut nulla Religio vera est, aut Religio Christiana purior vera est. Atqui per demonstrata datur Religio. E. hæc vera est.*

Et cum in Theologia Polemica non omnes Veritates, sed eæ solum, quæ ad Salutem æternam cognitu necessariæ sunt, contra Adversariorum Objectiones vindicandæ sint, hinc nobis constare debet, quinam illi Articuli sint, quorum defensio in Theologia Polemica suscipienda, ut inde etiam cujusvis Dogmatis & Erroris momentum intelligatur; Propterea *Caput quartum* veram Articulorum fidei fundamentalium notionem, illorumque

vera

vera Criteria tradit, falsaque rejicit, modumque ostendit, quo Systema Articulorum fundamentalium componi possit.

Illi, contra quos in Theologia Polemica Veritas Salutaris defendenda est, sunt vel *Increduli*, vel *Infideles*, vel *Hæretici*, inde ut sciamus, quinam sint qui hoc mereantur nomen, & contra quos disputandum sit, etiam necessum fuit, ut de Hæresi, & cum Hæreticis agendi modo, nec non de Tolerantia etiam erga Schismaticos agamus, quod *Caput quintum* efficit.

Hisce *primus* hic *Tomus* absolvitur, quem quatuor adhuc sequentur, in quibus ad ipsum Veritatis Hostium Elenchum acceditur. Quæ ordinem spectant, quo unum Caput alterum excipit, de eo primum Tomi hujus Caput agit: quæ non repetimus; sed id solum hic monemus, nos ita disposuisse Adversariorum Aciem, ut ab Erroribus generalissimis, quales Atheorum sunt, procedamus ad specialiores. Ab iis, qui Religionis Principia, vel omnia, vel plura, vel pauciora negant, ad eos, qui Principiata inficiantur. Qualis scilicet nexus est inter Principia & Principiata, talis etiam inter singulas Hæreses institui potest ordo. Dantur nempe tales Adversarii, qui duo Theologiæ Princi-

pia generaliora Rationis & Revelationis rejiciunt. Dantur, qui nonnisi principium Revelationis in dubium vocant. Dantur denique alii, qui principiata solum agnoscere nolunt, eaque vel magis, vel minus à fundamento remota. Et ita talis instituitur Hæresium nexus, ut pro momenti sui gradu seinvicem sequantur. Gravitas autem, sive momentum Erroris dependet à momento Articuli fundamentalis, cui oppositus est. Unde ea, in refutatione Incredulorum & Hæreticorum, ordinis ratio habenda est, quo ipsi fundamentales Articuli ordine maxime naturali seinvicem sequuntur.

Quilibet vero Religionis nostræ Adversarii seorsim in singulis Capitibus ita tractantur & refutantur, ut vera *Doctrinæ* illorum, atque *Systematis* inquiratur *natura* & *forma*, in plurimis ostendatur *Caussa*, ut & *Occasio*, in omnibus vero *Hypotheseis primaria*, sive πρῶτον ψεῦδος. Systema dein Errorum illorum ita cum Hypothesi primaria connectitur, ut vera illius ratio pateat, & quo omnia in toto vel Incredulorum vel Hæreticorum quorumlibet Systemate tendant facile perspiciatur; Eum in finem, ut illud rectius intelligatur, & minori negotio etiam illius fundamenta everti possint.

Refuta-

Refutatio ita comparata est, ut *primo* Propositiones generales, quæ arcem rei petunt, contra Hypothesin primariam & Errores cum illa connexos demonstrentur, ut fundamenta & subruantur & evertantur. *Secundo* Objectiones præcipuæ ex certis & indubiis Principiis à nobis stabilitis solvantur.

Cæterum, quantum licuit, facilem me Adversariis meis præbui, nihil ipsis imputando, nisi quod in ipsis illorum verbis clarissime continetur; Concedendo aut quæ nullius sunt momenti, aut quæ cum Veritate conciliari possunt; Difficultates illorum cum omni robore & nervo suo proponendo, neque quidquam, quod ad illorum caussam tuendam facit, reticendo; Modeste denique in omnibus cum ipsis agendo.

Præcipua mihi Cura fuit, ut Opus quoddam continuum, perspicuum & succi plenum pararem; Ut non Controversias solum enumerem, sed ut rationes etiam in omnibus intelligantur. Quanam vero felicitate in difficili hoc & spinoso negotio versatus sim, viderint quibus hæc cognoscendi Jus & Potestas est. Si vero in re tam ardua & difficili peccavi, Viri boni & eruditi faciles erunt ad veniam mihi dandum; Neque si de Errore per humanæ Naturæ fragilitatem

& inſcitiam meam commiſſo monitus fuero, pertinaciter eum defendam, ſed reluctantem me erraſſe facillime confitebor.

Ut Præfationi modus ſtatuatur, multa enim, quæ adhuc addi poſſent, non deſunt, unum hoc moneo, multa me, quæ apud celeberrimos ſæculi noſtri tam Theologos, quam Philoſophos legi, ad rem meam facientia in uſus meos convertiſſe; Ut quæcunque in hoc Libro non bene dicta ſunt, cuncta mea ſint; quæ vero bona, ex alio mihi venerint fonte. Scribebam Bernæ Helvet. X. Calend. Julii MDCCXLIII.

* * * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

* * * \

Sectio VIII. De hominis dependentia à Deo ut Religionis fundamento. pag. 208.
Sectio IX. De primo hominis ſtatu. pag. 213.
Sectio X. De Peccato ejusque ſequelis. pag. 228.
Sectio XI. De hominis impotentia ad ſe ex infinito malo extricandum, & priſtino ſtatui reſtituendum. pag. 242.
Sectio XII. De Revelationis Neceſſitate ejusque Criteriis. pag. 258.
Sectio XIII. De Libro, in quo Revelatio de Medio humanæ Liberationis continetur. pag. 282.
Sectio XIV. De Religione Peccatoris in genere. pag. 299.
Sectio XV. De Perſona Liberatoris ejusque proprietatibus. pag. 308.
Sectio XVI. De Myſterio S. S. Trinitatis. pag. 310.
Sectio XVII. De Conſilio S. S. Trinitatis circa Salutem hominis. pag. 322.
Sectio XVIII. De Executione Decreti de Medio Salutis per Chriſtum parando. pag. 337.
Sectio XIX. De Medii Liberationis Applicatione. pag. 352.
Sectio XX. De Civitate Dei. pag. 408.
Sectio XXI. De Officiis Civium & Cultu publico. pag. 428.
Sectio XXII. De Ritibus, ſive Cærimoniis Sacris in Cultu publico adhibendis in genere. pag. 440.

Opere comprehenduntur.

Sectio XXIII. De præcipuis Ecclesiæ Ritibus sive Sacramentis, Baptismo & S. Cœna. pag. 446.

Sectio XXIV. De Ecclesiæ Consummatione. pag. 470.

Sectio XXV. De Magistratu Politico. p. 491.

Sectio XXVI. De Religionis Christianæ Præstantia. pag. 497.

CAPUT IV. De Articulis Fundamentalibus. pag. 513.

CAPUT V. De Hæresi & cum Hæreticis agendi modo, nec non Schismaticorum Tolerantia. pag. 551.

TOMUS SECUNDUS.

CAPUT VI. De Atheismo.

CAPUT VII. De Deismo.

CAPUT VIII. De Epicuræismo.

CAPUT IX. De Ethnicismo.

CAPUT X. De Naturalismo.

TOMUS TERTIUS.

CAPUT XI. De Judaismo & Muhamedanismo.

CAPUT XII. De Socinianismo.

CAPUT XIII. De Indifferentismo Religionum, Latitudinariis, & Religione Prudentum.

Index eorum, quæ hoc Opere compreh.

TOMUS QUARTUS.

CAPUT XIV. De Papismo.

CAPUT XV. De Fanaticismo.

CAPUT XVI. De Pelagianismo.

CAPUT XVII. De Remonstrantibus.

CAPUT XVIII. De Mennonitis sive Anabaptistis.

TOMUS QUINTUS.

CAPUT XIX. De Ecclesia Orientali.

CAPUT XX. De Consensu & Dissensu Protestantium, sive Reformatorum & Ecclesiæ, Augustanæ Confessioni addictæ.

APPENDIX. De Hæresibus primorum Sæculorum.

INDEX Rerum toto Opere comprehensarum.

* * * * *
* * * *
* * *
* *

Brevis

* * * \

di tam Spiritualis quam Corporalis, contra omnes Carnis murmurationes adstruitur.

SECTIO VIII. Agit de Hominis, ceu Creaturæ, *Dependentia* à Deo Creatore & Conservatore ut *Religionis fundamento*, ubi genuina Religionis notio traditur.

SECTIO IX. Ostendit, quomodo *primus Hominis Status* Naturalis comparatus fuerit, & quidem ex ipsis Rationis Principiis, cum hactenus nec Revelationis Necessitas nec ejus Veritas demonstrari potuerit.

SECTIONE X. Per Experientiam universalem & ad cujusvis Conscientiam Provocationem assumitur, *Homines* omnes, quotquot nunc existunt, *esse transgressores Religionis naturalis & Juris Naturæ*, adeoque per Libertatis abusum peccato obnoxios factos; Ubi id, quod ex Peccato necessario sequitur, à priori demonstratur, & ita fundamentum ad demonstrationem Necessitatis Revelationis ponitur.

SECTIONE XI. Ex præcedentibus demonstratur *Hominis impotentia* ad se ex infinito malo status moraliter imperfecti & miseri liberandum, & pristino statui moraliter perfecto restituendum. Ubi simul *absoluta Satisfactionis necessitas* demonstratur, quæ est Compensatio dissensus per Legis Violationem introducti.

Cum à parte hominis per demonstrata impossibile sit, ut Compensationem æquivalentem Dissensus per Legis Violationem introducti præstare, seque à malo, quod per Libertatis abusum sibi accersivit, liberare, atque pristino perfectio-

fectionis ſtatui ſe reſtituere poſſit, illa vero Compenſatio ſit abſolute neceſſaria & indiſpenſabilis, & id quod ad hoc requiritur, juxta demonſtrata, Vires Intellectus finiti excedat; Hinc

SECTIONE XII. *Revelationis Neceſſitas* demonſtranda fuit. Simul etiam tam Medii Liberationis requiſita generalia, quam veræ Revelationis Criteria à priori eliciuntur.

SECTIONE XIII. Disquiritur de Libro, in quo vera de Medio Liberationis Revelatio continetur. SACRAM SCRIPTURAM vero præ omnibus fictitiis Revelationibus hoc Charactere tanquam divinam ſe commendare demonſtratur; Quod cum requiſitis illis, quæ ex ipſis Rationis Principiis demonſtrata fuere, optime convenit, dum illa Homini Peccatori tale oſtendit Salutis Medium, quod nulla unquam Ratio humana viribus ſuis aſſequi, aut per ſe intelligere potuiſſet, quod tamen homini ſcitu maxime neceſſarium eſt, maximumque Myſterium. Quod omnia Divina Attributa quammaxime illuſtrat & ad Perfectionem totius Univerſi & pulchritudinem Civitatis Dei tendit, Sapientiæque Divinæ longe convenientiſſimum eſt, & Diſſenſum per Legis Violationem ortum, pœnamque infinitam ex malo morali orientem exacte compenſat, & Vires Univerſi omniumque Creaturarum excedit, ab ipſo Deo inſtitutum, ad quod amplectendum homo ſponte determinari debet, in quo tamen homini multa ſunt imperſcrutabilia. Cum vero per ante demonſtrata talis Revelatio, quæ tale Medium patefacit, pro divina habenda ſit, Concluſio infertur, S. Scripturam hanc divinam Revelationem continere.

Cum

Cum per Revelationem Medii Liberationis nova hominis à Deo oritur *Dependentia* ceu Salvatore Benigniſſimo, novaque propterea *Obligatio*, hinc præter *Religionem Naturalem* (de qua Sect. VIII.) adhuc *Revelata* accedit, cujus vera Notio atque Criteria traduntur, illamque Naturalem non tollere, ſed potius ambas has ſimul ſumtas Religionem Peccatoris conſtituere, oſtenditur SECTIONE XIV.

Ex iis, quæ de Medii Liberationis, quod Revelationis finis eſt, Requiſitis demonſtrata fuere (SECTIONE XII.), nunc SECTIONE XV. oſtenditur, qualis Liberatoris Perſona, qualesque ejus *Proprietates* eſſe debeant, atque ad Jeſu Chriſti Perſonam applicantur, quæ a Priori fuere elicita.

Hæc vero Doctrina absque *Trinitatis Myſterio* intelligi & explicari nequaquam poteſt, unde *illud* SECTIONE XVI. probatur & vindicatur.

Cumque inter Tres Divinitatis Perſonas, per demonſtrata, maximus ſit conſenſus, ut quævis ſuum conferat, ipſis propterea *Conſilium* circa hominis Salutem adſcribitur; unde SECTIONE XVII. illud explicatur & demonſtratur, & quomodo *Decretum* illud *particulare* comparatum eſſe debeat, non modo ex S. Scriptura, ſed ex ipſius etiam Philoſophiæ Principiis deducitur.

SECTIO XVIII. De *Executione Decreti* hujus, *de Medio Salutis* per Chriſtum parando agit. Ubi Jeſum Chriſtum eſſe Mundi *Salvatorem* & *verum Meſſiam* oſtenditur; Omniaque ea feciſſe, quæ ad compenſationem æquivalentem diſſenſus

per

per Legis Violationem orti à Justitia Dei requirebantur.

Qualis *Medii* hujus *Liberationis Applicatio* esse debeat SECTIONE XIX. ex antecedentibus eruitur. Ubi de omnibus Gratiæ Beneficiis; ipsius etiam *Resurrectionis* & *Vitæ æternæ* certitudo & conditio ex ipsa hominis Natura, sine Existentiæ illius, & Divinis Attributis demonstratur.

Cum quilibet homo *vel* seorsim & in se considerari possit, quidque ejus officium sit, ut Gratiæ divinæ particeps fieri, propriamque Salutem cum Glorificatione Dei promovere possit, ut Sectione præcedente ostensum: *Vel* quatenus cum reliquis unam constituit Societatem sub Rectore aliquo constitutam: Unde SECTIONE XX. Doctrina de *Civitate Dei* traditur.

SECTIO XXI. Doctrinam de iis Civium Officiis tradit, quæ quilibet non seorsim tantum Deo præstare tenetur, & sibi soli, sive propter Bonum privatum, debet; sed quæ in commune omnium Bonum tendunt; unde Doctrina de Cultu Dei publico officiisque Charitatis mutuæ huc pertinentibus in hac Sectione, ex ipso Societatis hujus sive sanctæ Civitatis, sine eruitur.

Cum in Cultu publico Cærimoniarum nonnullarum observatio insignem præstet usum, SECTIO XXII. de *Ritibus sacris*, sive Cærimoniis in Cultu publico adhibendis, illarumque ratione in genere agit.

Quoniam inter Ritus illos sacros Baptismus & S. Cœna principem obtinent locum, SECTIO XXIII. de illis in specie agit, eorumque Naturam exponit.

Et

Et quia Deus finem manifestationis Gloriæ suæ per Ecclesiam sive Civitatem suam non plane in hac Terra atque mortali vita consequitur, id demum post hanc Vitam fieri deprehenditur; Unde SECTIONE XXIV. *De* Ecclesiæ sive *Civitatis Dei Consummatione* agitur, statusque Fidelium æternus ex fine existentiæ animarum demonstratur, & simul Civium rebellium pœnæ æternitas probatur.

Societas hominum in hac Terra duplex est, vel *Ecclesiastica* vel *Civilis*; Utriusque vero finis est Salus communis & tranquillitas publica, juxta Sectionem XX. unius scilicet in statu *Spirituali*, alterius vero in statu *Civili*; Unde quænam, ratione utriusque, *Magistratus Politici* sint Officia demonstrandum, illiusque Jura vindicanda fuere SECTIONE XXV.

SECTIONE denique ULTIMA Religionis Christianæ *Præstantia* atque præ omnibus falsis Religionibus præcellentia celebratur, huicque Capiti finis imponitur.

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

CEN-

CENSURA.

In Tomo Primo Theologiæ Polemicæ à Reverendo & Eruditissimo Viro, JOANNE FRIDERICO STAPFERO, V. D. M. ingenioſe contextæ, ab Librorum Theologicorum Cenſoribus nihil obſervatum fuiſſe, quod Libris Symbolicis repugnet, & Editioni officere poſſet, publice teſtatur

Tiguri, ipſis Kal. Juliis
MDCCXLIII.

JOANNES CONRADUS WIRZIUS,
Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtes.

Vidit Facultas Theologica Bernenſis hunc Tomum I. Theologiæ Elenchticæ Reverendi ac Doctiſſimi Viri, JOH. FRID. STAPFERI, V. D. M. neque in eo deprehendit, quod Libris noſtris Symbolicis adverſetur, adeoque Editionem morari debeat

Bernæ IV. Id. Jan.
MDCCXLIII.

Teſte
SAMUEL SCHEURERO,
V. D. M. S.S. Theol. Prof. Publ.

Eidem Sententiæ ſubſcribit
JOH. HENR. RINGIER,
V. D. M. S.S. Theol. Prof. Prim.

Librum acutiſſime & ſolidiſſime ſcriptum omni modo approbat
JOH. RUD. SALCHLINUS,
V. D. M. Theol. Catech. & Ling. Hebr. Prof.

27. 327

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.

CAPUT I.

De vera ratione studii Theologiæ Elenchticæ.

§. I.

THeologia Elenchtica est Scientia veritates ad salutem æternam necessarias, sive nitantur principio Rationis sive Revelationis, ab objectionibus adversariorum vindicandi & errores oppositos refutandi.

Definitionem hanc & fœcundam & genuinam esse apparebit ex sequentibus, omnia enim in se continet, quæ ad demonstrationem sequentium necessaria sunt, ita tamen limitata ut scientia hæc justis coërceatur terminis.

§. II.

Scientiam enim illam esse inde patet, quia veritas contra errantes debet demonstrari; quod

etiam vox Ἔλεγχος significat, nempe *certam demonstrationem*: ita enim ARISTOT. *Rhetor. ad Alexandrum cap. XIV.* Ἔλεγχος δέ ἐστιν, ὁ μὲν μὴ δυνατὸς ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' ὅτως ὡς ἡμεῖς λέγομεν; *Elenchus talis ratiocinatio est, quæ aliter se habere non potest, ac nos dicimus.*

§. III.

Patet ergo ex definitione, in Theologia Elencht. certas veritates esse asserendas, erroris vero oppositi falsitatem esse ostendendam; sive unius propositionis veritatem, alterius vero falsitatem esse demonstrandam.

§. IV.

Hoc si facimus, alterum de hac re certum reddere studemus: aliquem autem certum reddere & convincere, est unum idemque: Ita apparet finem illius demonstrationis esse *convictionem alterius*, quod idem etiam vox ἔλεγχος significat, ita enim ARISTOPHANES *in Pluto*: Σὺγ' ἐλέγξαι μ' ὄπω δύνασαι περὶ τούτου: *Tu enim me de hac re convincere nondum potes.*

§. V.

Cum ergo finis Theol. Elencht. sit convictio alterius, illa autem per demonstrationem obtineatur (§. III. IV.); sequitur id fieri non posse externa vi, neque utendum esse Theologo verbo imperii, non loquendum ἀναποδεικτῶς, dissentientes non rapiendos ad carceres & supplicia.

Optime celeb. ROELLIUS alicubi in Dissert. egregia sua de Relig. rationali hoc ita exprimit: *Cogere vi eum qui rationibus convincendus est, & in animos imperium affectare, quod soli Deo convenit, impia Tyrannis est: Neque ergo, qui simpliciter tantum dissentiunt, puniri debent, sed per veritatis ad conscientiam demonstrationem convinci.* §. CXLVI. sub finem.

§. VI.

Ubi autem est Demonstratio, ibi debent adesse prin-

principia demonstrationis : cum vero Veritates Theologicæ nitantur duplici principio (§. I.) Rationis nempe & Revelationis; principia autem Rationis tradantur in Philosophia, Scientiæ Philosophicæ non potest non esse maximus in Theol. Elencht. usus.

§. VII.

In illa enim demonstrantur veritates maxime fundamentales, & ex ea convinci possunt, non tantum illi, qui veritates Theologicas tales negant, quæ Principiis philosophicis nituntur; sed etiam rerum revelatarum decentia, pulchritudo atque nexus cum certissimis veritatibus philosophicis, & magnifica veritatum Theologicarum revelatarum θεοπρεπεία ex illius principiis demonstrari potest.

§. VIII.

Alterum Theologiæ peccatoris principium est Revelatio : patet hinc Veritates, quas vera Religio docet, ex divina Revelatione tanquam principio esse demonstrandas.

§. IX.

Demonstratio autem est connexio ratiociniorum ex certis principiis; hinc veritates in Sacra Scriptura revelatæ non tantum quoad singulas partes seorsim sunt cognoscendæ & proponendæ, sed veritas salutaris ita tractanda est, ut ex primis suis principiis in omni suo nexu & in systemate proponatur.

§. X.

Ita simul indicatur, quodnam præcipuum veritatis sit fundamentum, unde omnes ejus partes dependeant; & qua ratione singuli veritatis articuli ex ipso fundamento per connexionem deducantur.

§. XI.

Alterum ergo Principium, eo ipso quod ex Revelatione divina est (§. VIII.), nititur testimonio fallere nescientis Dei: est ergo αὐτοαλήθεια, supra quam alia nulla certitudo ascendere potest.

§. XII.

Veritates ergo revelatæ nituntur hoc principio; *Quidquid Sacra Scriptura affirmat, illud verum est:* adeoque ejus certitudo resolvitur in Autoritatem Dei dicentis, qui nec ipse falli potuit, nec fallere potest alios.

§. XIII.

Quamobrem demonstrandum est, hanc vel illam veritatem in S. Scriptura contineri; explicandus est vocabulorum significatus, quibus illæ veritates indigitantur; atque demonstrandum significatum hunc iisdem tribui ex mente loquentis.

§. XIV.

Sensus igitur Sacræ Scripturæ, & præcipue illorum dictorum, de quibus agitur, est demonstrandus. Per sensum autem intelligo illum Spiritus Sancti conceptum, quem per verba in animis legentium & audientium vult produci.

§. XV.

Cum vero sensus Spiritus Sancti per verba significetur (§. XIV.), consequens est, ut qui illius sensum eruere cupit, linguam, qua loquutus est & mentem suam explicavit, probe calleat, ejusdemque linguæ idiotismos perspectos habeat.

§. XVI.

Unde etiam notitia linguarum, præcipue Hebraicæ & Græcæ, in tractatione Theologiæ Elencht. necessaria est. Cum enim veritas ex Sacra Scriptura demonstranda sit (§. VIII.), id præstari

ſtari non poteſt, niſi ab eo, qui hebraicæ & græcæ linguæ peritus oraculorum divinorum pondera, emphaſes & δυνάμεις cognoſcit.

Vide de hac re *GLASSIUM in Oratione de Ling. hebr. neceſſitate & utilitate in Philologia Sacra.*

§. XVII.

Quia autem ſæpe fit, ut ſermo ſcriptoris multiplices patiatur interpretationes, unica autem tantum vera eſſe poſſit; quænam ſit vera ex legibus hermeneuticis definiendum eſt; per illas leges autem intelligitur ea interpretandi ratio, quæ ex quibusdam in ſcripto Autoris obviis circumſtantiis, verborum ſignificatione, ſermonis connexione atque contextu, locorum parallelorum collatione atque ſcopo loquentis ad ejus ſenſum concluditur.

§. XVIII.

Hinc cum ſignificatus ex mente loquentis demonſtrandus ſit (§. XIV.), in Theologia Elenchtica cognitio Hermeneuticæ ſacræ maxime neceſſaria eſt.

§. XIX.

Quoniam in Theologia Elenchtica veritates ex principio Sacræ Scripturæ ſunt demonſtrandæ; demonſtrare autem eſt propoſitionem aliquam tanquam concluſionem ex principiis certis & indubiis legitime ratiocinando deducere (§. IX.): Sequitur veritatem vel falſitatem propoſitionis alicujus in demonſtratione veritatis & refutatione erroris, non tantummodo immediate ſive expreſſis Scripturæ verbis, ſed etiam mediate demonſtrari poſſe, per legitimam nempe concluſionem, quæ ex principio aliquo in Scriptura contento deducitur.

§. XX.

Tales ergo concluſiones, ſi ex principio in Sacra Scriptura expreſſis verbis contento per legitimam ratiocinationem deducuntur, etiam vim demonſtrationis habent, & pro veritatibus divinis agnoſcendæ ſunt; non minus ac in Philoſophia demonſtrata æque vera habentur, ac illa principia, ex quibus demonſtrantur.

§. XXI.

Objectum Theologiæ Elenchticæ ſunt veritates quatenus adverſus hoſtes defendendæ ſunt (§. I.): Totam Theologiam Apoſtolus vocat *cognitionem Veritatis Tit. I.* 1. quæ pura retinenda eſt, quia ab ea dependet noſtra ſalus æterna.

§. XXII.

Per veritatem autem Theologicam intelligimus convenientiam propoſitionis Theologicæ cum mente ſive conceptu divino.

§. XXIII.

Cum vero Theologia hæc tantum ſollicita ſit de veritatibus ad ſalutem æternam neceſſariis (§. I.), tales ergo tantum controverſiæ tractandæ ſunt in illa, quæ reſpiciunt veritates tanti momenti, ut ſine ſalutis æternæ detrimento negari non poſſint, ſemper ideo reſpiciendum, an ad fundamentum fidei pertineant nec ne.

Servum Dei præterea non oportet eſſe contentioſum in rebus parvi momenti, qui ex mero pruritu controverſias moveat, ſed illud ſolum ipſi agendum, ut fundamentum maneat ſalvum: ab omnibus ergo inutilibus diſputationibus & rixis abſtinendum.

§. XXIV.

Veritates ad ſalutem æternam cognitu neceſſarias, aut quæ abſque ſalutis detrimento vel ignorari vel negari non poſſunt, vocamus *articulos fun-*

da-

damentales: illas autem, quæ ſine vitæ æternæ periculo negari poſſunt, *non fundamentales.*

§. XXV.

Quia autem Theologia Elenchtica tantum ſollicita eſt de illis veritatibus, quæ ad ſalutem æternam abſolute neceſſariæ ſunt (§. XXIII.), ſequitur inde, differentiam articulorum fundamentalium & non fundamentalium in controverſiis theologicis rite intelligendam eſſe.

§. XXVI.

Ad hoc opus eſt, ut ſciamus, quid ſit fundamentum fidei? quid articulus fundamentalis? quotuplices illi ſint? quænam horum articulorum criteria & attributa? quid ſit fidei analogia? quid articulus non fundamentalis?

§. XXVII.

Cum enim ratio habenda ſit momenti veritatis (§. XXIII.), momentoſiſſimæ autem ſint fundamentales veritates (§. XXIV.), neceſſum eſt, ut ſciamus, quam prope quilibet articulus fundamentum ipſum ingrediatur, & quæ ſit omnium Veritatum cum fundamento analogia.

§. XXVIII.

Et hac ratione intelligimus ſingulorum articulorum, tanquam veritatis fundamentalis partium, momenta; quo enim quilibet articulus propior cum fundamento connexus eſt, eo majoris etiam momenti eſt.

§. XXIX.

Quo autem gravior eſt articulus aliquis, eo etiam gravior eſt error ipſi oppoſitus. Ex cognitione ergo momenti articuli alicujus etiam dependet cognitio momenti erroris ipſi oppoſiti: ex cognitione igitur articulorum fundamentalium errorum momenta recte arbitrari poſſumus, anne ſci-

licet sint tolerabiles ? an vero ipsum subruant fundamentum ? & ita inter ipsos errores recte distingui potest : circa illos autem errores, qui non respiciunt fidei fundamentum, nulla lis incipienda est (§. XXIII.).

§. XXX.

Veritates ad salutem æternam cognitu necessariæ, adeoque articuli fundamentales (§. XXIV) duplici nituntur principio, *Rationis* nempe & *Revelationis* (§. I): inde ipsi articuli etiam duplicis generis sunt, alii *Rationis*, alii *Revelationis*, illi dicuntur *Generales*, hi *Speciales*: Generales ideo præcedunt, Speciales sequuntur, cum hi absque illis subsistere nequeant, specialia enim nituntur generalibus.

§. XXXI.

Illi ideo, quia sunt generales, in omnibus articulis fundamentalibus specialibus locum habent & præsupponuntur : scilicet certitudo Existentiæ & Providentiæ Dei, ejus Attributa & inde dependens veritas Religionis & autoritatis divinæ Sacræ Scripturæ, absque quibus veritatibus articuli fundamentales revelati subsistere nequeunt;

§. XXXII.

Speciales autem respiciunt hanc vel illam partem veritatis revelatæ.

§. XXXIII.

Cum speciales nitantur generalibus (§. XXX.), hi illis fundamenti loco sunt ; qui ergo generales negant, simul negant speciales, sed non vice versa: periculosius ergo errant illi, qui negant articulos generales, illis qui negant speciales.

§. XXXIV.

Quo periculosius autem erratur, eo magis erro-

roribus obviam eundum eſt propter magnitudinem naſcentis inde periculi, & ipſa rei natura poſtulat, ut prius refutentur illi, qui errant circa principia, & deinde qui errant circa principiata; prius qui errant circa principia generalia, & deinde qui errant circa principia ſpecialia.

§. XXXV.

Unde in Theologia Elenchtica prius refutandi veniunt illi, qui negant principia Rationis ſivé articulos generales, qui reliquis fundamenti loco ſunt, & deinde etiam illi qui errant circa ſpeciales: Hinc patet ordo, qui in refutatione adverſariorum obſervandus eſt: ut in ſequentibus videbimus.

§. XXXVI.

In hac articulorum diſtinctione fundata eſt differentia errantium: Qui nimirum Principium Rationis & Revelationis ſimul, ſive alterutrum oppugnant, vocantur *Infideles*, ſi neſciunt veram Revelationem exiſtere; *Incredüli* vero, ſi ſciunt dari principium Religionis revelatæ quæ pro vera habetur. Negant hi principia generalia, ideo ſimul etiam omnia ſpecialia.

§. XXXVII.

Qui vero hæc duo principia generalia admittunt, ſed tamen articulos fundamentales ſpeciales impugnant, & errores eis oppoſitos pertinaciter tuentur, vocantur *Hæretici*.

§. XXXVIII.

Qui tandem quidem errant, ſed non contra articulum aliquem fundamentalem, nominantur *Schiſmatici*, quia nempe ab Eccleſia ſe ſeparant ob res quæ nullum diſceſſum merentur, qualis

est hæresis sive error fundamentalis, qui cum pertinacia defenditur.

§. XXXIX.

Modus, quo Theologia Elenchtica circa veritates fundamentales occupata est, in eo consistit, quod illæ contra objectiones adversariorum defenduntur & errores refutantur (§. I.), hoc ergo constituit formam illius, per quam à Theologia Dogmatica distinguitur: in Dogmatica enim veritates demonstrantur, in Elenchtica autem ab erroribus vindicantur, ut, si possibile, errantes convincantur (§. IV.).

§. XL.

Cum alios erroris convincimus, illos refutamus, quicunque vero alterum refutat, ille debet demonstrare falsitatem propositionis, quam alter pro vera habet; qui vero alterius propositionem vult refutare, oportet intelligat eam, ut possit formare controversiæ statum, unde Propositio ex mente affirmantis explicanda est. Propositionem autem talem veritati contrariam vocamus *Errorem*.

§. XLI.

Si ergo falsitas propositionis demonstranda est, sive alter erroris convincendus, duo requiruntur, α. ut Error sive status controversiæ intelligatur. β. ut, si intellectus fuerit, refutetur.

§. XLII.

Recte autem demum is aliquid intelligit, uti ex Philosophia patet, qui scit ejus Caussam & Rationem, unde qui errorem recte intelligere vult, oportet sciat ejus *Fontem*, *Occasionem*, *Caussam* & præcipue πρῶτον ψεῦδος: hæc studio à se invicem separamus, cum à multis confundantur.

§. XLIII.

§. XLIII.

Per *Fontem* intelligo Doctrinam alterius alicujus, ex qua quis errores ſuos haurit.

Ita Fons Hæreſium primorum ſeculorum fuit Philoſophia Orientalis, ex qua tanquam impuro fonte errores illi hauſti fuere.

§. XLIV.

Occaſio autem diſſeminationis Hæreſeos alicujus ſemper ex Hiſtoria, in qua fundamentum ſuum habet, petenda eſt.

Ita occaſio promulgationis Errorum apud quosdam fuit ambitio, uti apud ARIUM, qui odio & invidia in ALEXANDRUM antiſtitem ſuum incitatus fuit, ut ſententiam ejus de æterna Filii Deitate contentioſe oppugnaret. Ita NOVATUS & NOVATIANUS ex ambitione & nimio contradicendi ſtudio errores ſuos conceperunt diſſeminaruntque. Ita etiam Papiſmi errorum occaſio, tum in rigidiore & male intellecta Diſciplina eccleſiaſtica, tum in perverſo Gentiles convertendi ſtudio, tum in Epiſcoporum metropolitanorum dominandi libidine quærenda eſt.

§. XLV.

Cauſſæ erroris ſunt vel *internæ* vel *externæ*. Per *Cauſſam* internam intelligo corruptum hominis ſtatum, præſertim vitia facultatum mentis ex corruptione nativa orta, quorum in uno homine magis hoc, in altero vero alterum magis dominatur.

§. XLVI.

Talis cauſſa eſt Intellectus voluntatis & affectuum vehementia obtenebratus, ut homo videre non poſſit ea, quæ vera ſunt.

§. XLVII.

Et ſapientia carnis, quæ intellectum adeo corrumpit, ut ſe à Deo avertat, qui eſt fons omnis veritatis.

§. XLVIII.

Et abuſus Intellectus ad res vanas, quando homo

mo rebus sensualibus ita captus est, ut nil nisi per phantasiam sibi repræsentare possit, quo modo intellectus ineptus redditur ad res divinas sibi repræsentandas.

§. XLIX.

Sunt porro siniſtræ præconceptæ opiniones, quando homo ad prava animi desideria judicium suum exigit.

§. L.

Et præcipitantia in judicando ab ignaro.

§. LI.

Est denique amor voluptatum, quæ intellectum, voluntatem & judicium turbant; præcipue ambitio, qua quis ea sapit quæ à vulgo sunt remotiora: Hæ & aliæ sunt causſæ internæ, quæ ex ipso quasi fundo cordis enascuntur.

De his legenda sunt, quæ scripserunt Theologi longe celeberrimi, *Reverendiſſimus PFAFFIUS Cancellarius Univerſ. Tubing. in Diſſert. de Præjudiciis Theologicis Primitiis Tubing. inſertis: & celeberrimus ZIMMERMANNUS Theologus Tig. in Diſſert. de cauſis incredulitatis.*

§. LII.

Præter internas dantur etiam externæ, quales sunt prava institutio & educatio, malorum librorum lectio, exempla mala, & alia plura.

§. LIII.

Tandem etiam subinde in causſa est Doctrinæ sublimitas & hominum in hoc ævo imbecillitas, ex parte enim in hac vita tantum cognoscimus.

§. LIV.

Quo fit, ut illi, qui eandem veritatem tenent, in quibusdam tamen ejus partibus sibi invicem dissentire videantur; alter enim hanc veritatis partem, alter alteram cognoscit; ut subinde pro Errore habeatur id, quod est pars veritatis incognita,

ta, quod exemplo doctrinæ de prædeſtinatione probare poſſemus: ſed infra de hoc differendi occaſionem habebimus.

§. LV.

Per πρῶτον ψεῦδος ſive *Errorem primarium*, den Haupt-Irrthum tandem intelligimus generalem & primariam Hypotheſin, ex qua ſinguli errores hæreſeos alicujus profluunt.

§. LVI.

Qui enim novum aliquod Religionis ſuæ ſyſtema formant, habent præcipuas ſuas hypotheſes, ex quibus errores ſuos deducunt, & cum quibus reliqui errores conformati ſunt, ſive hæ hypotheſes ſint propriæ, ſive cum aliis communes, ſive oriantur ex communi ingenii humani corruptione, ſive ex peculiaribus quibusdam præjudiciis & opinionibus.

Ita Religionis Pontificiæ primaria hypotheſis ſive πρῶτον ψεῦδος eſt, quod ſtatuunt *ſupremum Dominatum fidei*, quo ſalus parata Eccleſiæ ſive Capiti ejus ita eſt commiſſa, ut eam nemo conſequatur niſi dependenter à Pontifice tanquam capite Eccleſiæ viſibili; huc directa ſunt omnia dogmata principaliora, huc tanquam ad centrum omnia tendunt. Ita præcipua Socinianæ hæreſeos hypotheſis eſt, quod *Rationem faciunt Religionis normam, & ita Indifferentismum Religionum ſtabilire allaborant*, ex qua hypotheſi omnia reliqua illorum dogmata fluunt.

§. LVII.

Uti notitiæ Fontis, Occaſionis & Cauſſæ erroris, tum ratione intelligentiæ, tum ſolutionis ejus, ſubinde haud parvus uſus eſt; ita maximi uſus eſt, ſi cognoſcatur Hæreſeos cujusvis πρῶτον ψεῦδος.

§. LVIII.

Fontem quod attinet, magna lux accedit, ſi Doctri-

ctrinam illius, ex quo alter sua hausit principia, cum alterius conferamus.

Ita ex. gr. meræ essent tenebræ ratione errorum primorum seculorum, nisi ad primum ipsorum fontem accedamus, ex quo vera illorum ratio patet.

§. LIX.

Occasionem vero quod spectat, illius cognitio magni subinde usus est, præcipue in refutatione Religionis Pontificiæ, si ex indubiis argumentis & documentis probare possumus, qua quivis error occasione initium sumserit & in Ecclesiam irrepserit.

§. LX.

Ex hisce nunc facile perspicimus, qualis porro cognitio, ad studium Theol. Elenchticæ recte instituendum, requiratur, præter ea, quæ jam supra (§. VI. VIII. XV. XVI. XVIII.) indicavimus: Ut enim fontem & occasionem cujusvis hæreseos & erroris sciamus, opus est notitia Historiæ Ecclesiasticæ.

§. LXI.

Ex illa nimirum discimus α. quomodo errores pedetentim fuerint orti? Quænam ipsis fuerint fata? β. quomodo & quibus argumentis fuerint impugnati? γ notæ inde fiunt sectæ & personæ, contra quas disputandum est.

§. LXII.

Accurata porro Hæreseos alicujus historia refutationis loco subinde esse potest, ut ex SPANHEMII, DALLÆI, BASNAGII aliorumque operibus patet.

§. LXIII.

Non minus ipsorum etiam errorum sensum ex Historia Ecclesiastica melius perspicere possumus, & præcavetur hoc modo, ne falso cuiquam error im-

imputetur; neque etiam facile quisquam refutari poteſt, niſi illius vita, ſcripta, ſcopus &c. fuerint nota, quæ omnia ex ſola hiſtoria addiſci poſſunt.

De his conſulendus *Celeb. WALCHIUS in der Einleitung zu den Religions-Streitigkeiten Tom. I. pag. 7. ſeq. & Tom. II. pag. 25. ſeq.*

§. LXIV.

Cauſſam vero erroris noſſe tum maxime neceſſarium, quando cum ſingulis Perſonis nobis diſputandum venit, ibi tum maxime remedendum, ubi cauſſam erroris latere videmus, quod in erroribus theoreticis, maxime vero practicis, obſervandum eſt: dantur ſubinde aliquot qui eosdem fovent errores, qui tamen, cum diverſa ſit errorum illorum cauſſa, eadem ratione convinci & refutari nequeunt.

§. LXV.

Utile autem quam maxime, ut operam impendamus ad cognoſcendam ſectæ cujusvis *Hypotheſin primariam* ſive πρῶτον quod vocant ψεῦδος: hoc enim ad veram adverſariorum mentem adeoque controverſiæ ſtatum intelligendum & rite ponendum multum conducit.

§. LXVI.

Sæpe nimirum in verbis vel conſentire, vel diſſentire videntur, qui tamen viceverſa vel diſſentiunt, vel conſentiunt; ex primaria vero quam quisque fovet hypotheſi vera animi ſententia cognoſci poteſt, inde enim palam fit, ad quid Autor intendat, quis ſit illius ſcopus, quare hoc vel illud ſtatuat.

§. LXVII.

Neceſſum propterea eſt, ut integrum hæreticorum ſyſtema in nexu ſuo exhibeatur, neque errores tantum confuſo aliquo ordine in notitia habeantur.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Eo etiam hoc conducit, ut controverſiæ aut erroris cujusvis momentum indicare valeamus, quod ex hypotheſi, ex qua fluit, ex ſcopo ad quem tendit, judicari poteſt.

§. LXIX.

Sed melius etiam, ſi recte perceperis adverſarii mentem, eum refutare poteris; ſi ſcias quomodo reliqui ipſius errores per modum conſequentiæ ex prima hypotheſi fluant, ut etiam errores hypothetici tantum ſint, πρῶτον ψεῦδος refutaſſe ſufficit; priore enim errore deſtructo etiam deſtructus erit alter, fonte obturato etiam obſtructi erunt rivuli, fundamento ſublato totum etiam corruet ædificium.

§. LXX.

Neque, ſi ſyſtemata adverſariorum hoc modo adgrediamur, opus eſt, ut ſemper ad ſpecialia perveniamus argumenta, quibus ſinguli errores roborantur, ſi erroris fons atque nervus fuerit inciſus.

§. LXXI.

Si porro errores in ſyſtemate ſuo cognoſcantur, cognitio perfectior eſt, quam vero, ſi quilibet error tantum ſeorſim conſideratur. Cognitio enim illa ſufficiens eſt, quæ rerum cauſſas & rationes in ſe continet, inſufficiens autem, quæ res extra nexum illum conſiderat: cognitio autem ſufficiens perfectior eſt inſufficiente.

§. LXXII.

Imperfecta ergo eſt illa cognitio, quæ partes tantum ſyſtematis ſeorſim ſpectatas conſiderat, perfectior vero, quæ comprehendit totum ſyſtema in integra ſua connexione, quomodo una pars ſe habeat ad aliam, quis ſit mutuus nexus inter prin-

principia & principiata, & quæ totius ſyſtematis & omnium ejus partium ſit ratio.

§. LXXIII.

Cognitio ergo erroris inſufficiens ſive imperfecta eſt, ſi quivis error tantum in ſe conſideretur, ſive ſit ipſa hypotheſis primaria, ſive conſequentia aliqua inde fluens; nec nexus obſervatur qui intercedit, aut quo modo unus error rationem in ſe contineat alterius.

§. LXXIV.

Cognitio contra ſufficiens ſive perfecta eſt, ſi modo ſupra dicto primariæ errorum hypotheſes detegantur: Totum enim Hæreſeos ſyſtema perſpicitur, ſi omnium errorum cum primaria ſua hypotheſi ſive principio cognoſcitur connexio; ita enim quilibet error æque in ſe ac in ſyſtema redactus conſideratur.

§. LXXV.

Cum vero haud dubie perfectior cognitio imperfectiori præferenda ſit, etiam hic illa præferenda eſt in Theologia Elenchtica, quæ totum Adverſariorum ſyſtema in integra ſua connexione exhibet.

§. LXXVI.

Optima ergo hæreſes tractandi methodus eſt, ſi cujusvis ſectæ errores in nexu ſuo cum primaria hypotheſi proponantur, præcipue cum methodi hujus inſignis præterea ſit uſus (65--70.) & longe melior quam ſi errores ſecundum ordidem Theologiæ dogmaticæ tractantur.

§. LXXVII.

Si enim in quovis Theologiæ theticæ loco errores eo pertinentes, vel illis veritatibus oppoſi-

ti, allegantur, totius ſyſtematis connexio rumpitur, nec alia quam ſuperficiaria errorum cognitio oriri poteſt.

De iis tamen hæreſibus tantum hoc intellectum volo, quæ integrum hypotheſium ſuarum Syſtema habent.

§. LXXVIII.

Cum forma Theologiæ Elenchticæ in hoc conſiſtat, ut veritas ab objectionibus Adverſariorum vindicetur & errores eorum refutentur (§. XXXIX.): ad hoc autem duo neceſſaria ſunt §. XLI.), *primo* ut ſtatus controverſiæ intelligatur: *ſecundo* ut errores refutentur; priore explicato alterum nunc nobis explicandum venit.

§. LXXIX.

Refutatio in eo conſiſtit, ut unius propoſitionis veritas, alterius vero falſitas demonſtretur. (§. III.)

§. LXXX.

Ut autem Propoſitionis veritas demonſtretur, requiritur 1.) ut veritas ex primo ſuo principio per ratiocinationem eliciatur, & quidem tam clare, ut Adverſarius nexum veritatum perſpicere queat: hoc ſi facimus veritatem demonſtramus, neque multis, ſed validis utimur argumentis, infirmaque omittimus.

§. LXXXI.

2.) Ab objectionibus vindicanda veritas, quæ tunc locum habent, quando Adverſarius veritatum nexum non perſpicit, ſive quo modo prædicatum cum ſubjecto conveniat, quod ipſi oſtendendum eſt.

§. LXXXII.

Ut autem veritati oppoſitus error refutetur, ſi-

ve

ve falſitas propoſitionis alterius demonſtretur, requiritur, ut propoſitio illa ex mente, & ſi fieri poteſt, ipſius Adverſarii verbis proponatur, & ita ſtatus controverſiæ recte formetur, ne res in Logomachiam abeat.

§. LXXXIII.

Et Argumenta, quibus Propoſitio illa roboratur, fideliter in omni ſuo nervo adducenda, & falſitas, ſive principiorum quibus nituntur, ſive concluſionis ex illis principiis, demonſtranda eſt: hoc ſi facimus, alterum refutare dicimur, ſive quod idem eſt, falſitatem propoſitionis illius demonſtramus.

§. LXXXIV.

At vel totum Adverſarii Syſtema ſimul impugnari poteſt, vel quilibet error ſeorſim, hinc naſcitur differentia inter *Argumenta generalia & ſpecialia*: Priora in eo conſiſtunt, quod adverſus ſectarum hypotheſes & errorum ſyſtemata talia proferuntur præjudicia, ex quibus jam conſtat eorum falſitas, antequam ad ſingulas partes & membra deſcendamus.

§. LXXXV.

Ita autem comparata eſſe debent Argumenta hæc, ut certis nitantur Principiis, adeoque in ratiocinio & major & minor propoſitio vera ſit.

Hac methodo uſi ſunt contra Religionem Pontificiam PETRUS JURIEUS *in præjudiciis legitimis adverſus Papiſmum* & CAMERO *in tractatu de præjudiciis Eccleſiæ Romanæ*. Omnes illi etiam hanc methodum cum fructu adhibuerunt, qui Argumentis generalibus Religionis Chriſtianæ veritatem contra Gentiles, Judæos & Atheos demonſtrarunt, quales ſunt GROTIUS, HUETIUS aliique.

§. LXXXVI.

Argumenta ſpecialia ſunt, quæ contra ſingulos errores & ſyſtematis partes proferuntur: Ne vero andabatarum more pugnemus, ſciendum eſt, quæ prima hypotheſis? quis ſit controverſiæ ſtatus? quis ſit erroris cum aliis nexus? Qua ratione oſtendi poteſt, vel principia quibus nititur hypotheſis eſſe falſa, vel concluſionem inde male deduci.

§. LXXXVII.

Ex hiſce nunc patet, qua ratione Syſtema Theologiæ elenchticæ compoſitum eſſe debeat. Cum nimirum Finis illius ſit errantis Convictio (§. IV.): Prudentiæ Regulis opus eſt, ut finis ille obtineri poſſit.

§. LXXXVIII.

Is nimirum, qui ea media eligit, quæ fini ſuo ſunt convenientiſſima, eſt Sapiens: media autem illa qui bene adhibet ſive exequitur, dicitur Prudens.

§. LXXXIX.

Bene autem utimur mediis, quando nihil eorum omittimus quæ neceſſaria ſunt, ea autem evitamus quæ nobis ad finem conſequendum impedimento eſſe queunt, & has prudentiæ regulas vocamus *Cautelas*.

§. XC.

Sequitur hinc, quod ad finem in Theologia elenchtica propoſitum conſequendum Cautelis opus ſit: Ne autem in limine ſtatim impingamus, ante omnia Cautelæ illæ tradendæ ſunt.

§. XCI.

Unde *ſecundum* Theologiæ elenchticæ *Caput* tradit CAUTELAS *in hac Scientia obſervandas*. In

§. XCII.

In Theologia polemica Veritates ad ſalutem æternam ſcitu & creditu neceſſariæ ſunt demonſtrandæ (§. II. IX.), ideo antequam ad errorum refutationem acceditur, veritates illæ ex principiis ſuis deductæ in admirabili ſuo nexu, quantacunque brevitate id fieri poteſt, ſunt tradendæ.

§. XCIII.

Inde tum veritas Religionis noſtræ, tum ſingulorum articulorum harmonia patefiet, & oſtenditur quod vera Religio tam præſtans ſit, tam rationalis, ut rigidiſſimum etiam Rationis examen ſuſtinere, & omnium ſeſe conſcientiis, qui quidem non data opera cœcutire volunt, approbare queat.

Videſis *ROELLII Diſſert. de Relig. rat.* §. CLXXVI.

§. XCIV.

Talis etiam veritatum connexio fundamenti loco inſervire poteſt, quo in ſequenti errorum refutatione tuto niti queamus.

§. XCV.

Unde *Caput III.* breve *præcipuarum Religionis noſtræ VERITATUM continebit SYSTEMA.*

§. XCVI.

Cum porro nihil fruſtra, hoc eſt, absque ſcopo agendum ſit, hinc etiam in ſyſtemate Theologiæ elenchticæ non extra oleas vagandum eſt; hoc autem fieret, ſi talia in ipſo tractarentur, de quibus Theologus elenchticus non ſollicitus eſſe debet.

§. XCVII.

Id autem circa quod Scientia hæc verſatur, ſunt

articuli ad vitam æternam neceſſarii (§. I.), & errores ipſis oppoſiti (§. XXIX.): articuli autem ad vitam æternam neceſſarii vocantur fundamentales (§. XXIV.); ne ergo extra oleas vagemur cognitio Doctrinæ de Articulis fundamentalibus abſolute neceſſaria eſt.

§. XCVIII.

Et cum differentia ſit inter errantes, & diſtinctio illa cognoſcatur ex differentia articulorum fidei quos impugnant (§. XXXVIII.); & quo gravior eſt articulus contra quem peccatur, tanto etiam majoris momenti eſt error (§. XXIX.); momentum autem alicujus articuli cognoſcitur ex eo, an propius cum fundamento conjunctus ſit (§. XXVII.): Hinc etiam ſequitur, ſi non omnes errantes eodem loco habere velimus, theoriam de articulis fundamentalibus in Theol. elencht. neceſſario intelligendam eſſe.

§. XCIX.

Hinc *Caput IV.* in hoc noſtro ſyſtemate agit *de ARTICULIS FUNDAMENTALIBUS.*

§. C.

Cum in Theol. polemica non tantum veritas ſit demonſtranda, ſed & erroris oppoſiti falſitas (§. III.), non autem omnis erroris, ſed tantummodo fundamentalis (§. XXIX.); illi autem qui fundamentaliter errant, ſunt aut Infideles & Increduli, aut Hæretici (§. XXXVI. XXXVII.); hinc ut ſciamus contra quos diſputandum ſit vel non diſputandum, determinandum prius, quid ſit Infidelis, quid Hæreticus, ne vel aliquem ut Infidelem aut Hæreticum tractemus, qui talis non eſt, vel vice verſa.

Unde

§. CI.

Unde Doctrina *de HÆRESI & HÆRETICO Caput V.* conſtituit.

§. CII.

Et quoniam veritas non tantum demonſtranda, ſed etiam oppoſitus error oppugnandus (§. XXXIX.), hinc poſt traditum veritatis ſyſtema & reliqua capita præliminaria, ſequitur ipſa errorum refutatio; quia autem hæreſes & errores varii generis ſunt (§. XXX. - XXXVIII.), prout à principiis & fundamento Religionis vel Naturalis vel Revelatæ magis vel minus diſcedunt, in certum ordinem ſunt redigendi, & concinna eorum connexio inſtituenda eſt.

CIII.

Quod hoc modo fieri debet, ut 1.) quævis hæreſis in ordine ſuo tractetur, & 2.) cujusvis hæreſeos errores ex primariis hypotheſibus ſuis deducti in ſyſtemate ſuo legitima connexione exhibeantur, ut hac ratione eo facilior etiam refutatio evadat.

CIV.

Nonnulli imo plurimi Theologi omnes indiſcriminatim Hæreſes atque errores eo ordine tradunt, ut eos cum locis communibus Theologiæ Dogmaticæ conjungant, hujus autem methodi inconvenientiam ſupra jam (§. LXXV. LXXVI. LXXVII.) oſtendimus, & alium Hæreſes tractandi modum (§. XXXIV. XXXV. LXV. - - LXX.) indicavimus.

Hæc dum dicimus, nihil Summorum Virorum deque Eccleſia meritiſſimorum laudi detrahendum arbitramur, qui in Eccleſia Reformata talia ediderunt Syſtemata Theologica, in quibus Theſis & Antitheſis fuere conjun-

junctæ, ut ab una parte Veritas fuerit tradita, ab altera vero parte oppositus Error ostensus & ad difficultates responsum sit. Eminent inter eos, POLANUS, WENDELINUS, TURRETTINUS, HEIDEGGERUS, VAN MASTRICHT, BRAUNIUS, GURTLERUS, aliique multi. Observandum autem Adversarios nostros vel *opponentium* vicibus fungi, vel *respondentium*; Si Opponentium tantum vicibus fungantur, ea Systemata, Didactico-Elenchtica, in quibus juxta locos Theologiæ nostræ communes ad Adversariorum objectiones simul respondetur & error Veritati oppositus simul ostenditur, omnino bene se habent & sufficiunt, neque hoc in casu illis aliquid deest: Si enim Veritatem ex Philosophia & S. Scriptura intime noscamus, omnibus etiam Adversariorum Strophis atque difficultatibus occurrere, illorumque Argumenta eludere possumus. Ubi vero non solum Opponentium sed & Respondentium vices Adversarii nostri agunt, hoc in casu non sufficit, ut ad illorum objectiones respondere possimus, sed id præcipue requiritur, ut illorum Systema & veram hypothesium rationem intimius noscamus, ut nobis perspectum sit, quomodo acies illorum instructa? quis singulorum errorum Scopus sit? quænam præcipua illorum munimenta? quis sit apparatus hostilis? quæ Origo? quæ illis Species? quis ordo? qui obtentus? quæ præsidia? Hæc enim nisi prius noscamus ἀσόχως, & *Andabatarum more & cum larvis veluti atque infelici marte plerumque dimicatur*, inquit Celeb. SPANHEMIUS. Unde hoc in Casu Methodum nostram præferimus, in qua prius Hostium Systema in ordine exhibemus, Errorem primarium ostendimus, Hostium munimenta, Castrorum hostilium formam & delineationem, verum Conatuum illorum scopum exhibemus & indicamus, antequam ipsos adgredimur. Vel enim hostis nos adgreditur, vel nos ipsum adgredimur: si prius, sufficit ut nobis arma adsint quibus nos defendere, illorumque insultus retundere possimus, quod Viri supra laudati felici cum successu præstiterunt, & ad hæc eorum Methodus bene se habet. Si vero posterius contingit, ut nos hostem adgrediamur, omnino necesse est, ut prius sciamus, qua

qua ratione ipſius Caſtella ſint munita, ubinam felicissimo cum ſucceſſu ea adgredi poſſimus; aut quomodo diſpoſita ſit illius acies? quibus Copiis conſtet illius Exercitus? quomodo circumvallata ſint illius Caſtra? alias fruſtranei futuri eſſent noſtri contra illum conatus; Cui rei noſtra methodus accommodata eſt, ita tamen ut & veritatem contra hoſtium inſultus muniamus. Cum vero in Theologia Elenchtica non modo hoſtium inſultus ſint retundendi, ut reſpondentium vicibus tantum fungamur, ſed & adgrediendi ſint Adverſarii, illorumque Syſtemata confutanda, hinc eam hanc Theologiæ partem tractandi methodum præferimus, quæ & Doctrinæ veræ defendendæ & hoſti adgrediendo accommodata eſt. Nemini tamen Methodum hancce obtrudimus, ſi perverſa & inutilis alicui videtur, præferat RYSSENIUM vel alium quemcumque Autorem qui ipſi optimus videbitur, nemini enim ſtudiorum Theologicorum hic Leges præſcribimus, neque cuiquam hac noſtra Methodo præjudicatum volumus, ſed legat quisque ea quibus Veritatem tueri, eam adverſus hoſtes vindicare, Adverſariorum Syſtemata impugnare, eosque de Veritate convincere poteſt, quacunque Methodo id fiat perinde eſt, modo ſit breviſſima & clariſſima.

§. CV.

Qualis vero nexus eſt inter principia & principiata, talis etiam inter ſingulas hæreſes inſtitui poteſt, dantur nempe tales adverſarii qui duo Theologiæ Principia Generalia Rationis & Revelationis rejiciunt (§. XXXVI.); dantur qui tantum principium Revelationis negant (§. XXXVI.) dantur denique alii qui tantum principiata non agnoſcunt (§. XXXVII.), eaque vel magis vel minus à fundamento remota.

§. CVI.

Et ita talis inſtitueretur Hæreſium ordo, ut pro momenti ſui gradu ſeinvicem ſequerentur.

§. CVII.

Gravitas autem sive momentum erroris dependet à momento Articuli fundamentalis cui oppositus est (§. XXIX.), ea ergo in refutatione hæresium ordinis ratio habenda est, quo ipsi fundamentales articuli ordine maxime naturali sibi invicem succedunt.

§. CVIII.

Qui ordo hic est: Deus existit: Omnes perfectiones infinito modo possidet: Et uti ipse est independens, ita omnia ab eo dependent: Datur ergo Religio naturalis: Illa autem Religio propter hominis corruptionem est insufficiens: Deus est Triunus: Ille nobis talem Religionem revelavit, quæ nobis ad viam salutis monstrandam sufficiens est: Illa revelatio continetur in Sacra Scriptura: Secundum illam Christus unicum atque perfectum salutis fundamentum atque medium est: Ut hoc esse possit, oportet sit ille verus Deus: Qui autem illius ut unici ad salutem medii participes esse volunt, illos oportet cum abnegatione sui illum vera fide amplecti: Abnegat autem is semetipsum, qui in negotio salutis, nihil sibimetipse vel suis viribus, sed omnia in solidum Christo tribuit. &c.

§. CIX.

Ex his nunc patet, qualis ordo habendus, quisque nexus inter Hæreses instituendus sit: Nituntur nempe hi articuli principio Rationis & Revelationis ceu fundamento, qui ergo hæc Principia Generalia negant, simul negant omnes Articulos speciales.

§. CX.

Tales sunt ATHEI, qui eoipso, quo existentiam

am divinam negant, etiam ambo Religionis principia evertunt, unde ratione gravitatis erroris omnes alios præcedunt.

§. CXI.

SEXTUM ergo Syſtematis Theol. Elencht. *CAPUT* agit de *ATHEISMO*, & de iis qui ad hoc genus pertinent.

§. CXII.

Cum dentur porro tales, qui quidem exiſtentiam divinam admittunt, ſed mundi gubernationem per divinam Providentiam negant, adeoque omnium rerum à Deo dependentiam, eoipſo omnem etiam Religionem tollunt. Hos DEISTAS appellamus, hinc Atheos immediate ſequuntur.

§. CXIII.

Quare *SEPTIMUM* Theol. Elencht. *CAPUT de DEISMO* agit.

§. CXIV.

Sunt qui Deum exiſtere concedunt, omnem vero obligationem divinam, ad alias actiones committendas, alias vero omittendas, inficiantur, adeoque etiam Religionis naturalis fundamentum ſubruunt, hi EPICURÆI vocantur.

§. CXV.

Ut adeo *OCTAVUM CAPUT ERRORES EPICURÆISMI* tradat atque refutet.

§. CXVI.

Exiſtunt alii, qui neque Athei ſunt, neque Deiſtæ, neque Epicuræi, quique ergo nec Divinam exiſtentiam, nec Mundi hujus Gubernationem atque Providentiam, neque hominis ad malas actiones omittendas & bonas committendas obli-

obligationem negant ; ſed tamen verum Deum non agnoſcunt, adeoque etiam veram Religionem ignorant, quos GENTILES vocamus.

§. CXVII.

Sequuntur ideo preſſo pede præcedentes & tractatio errorum *PAGANISMI NONUM* Theologiæ noſtræ conſtituit *CAPUT.*

§. CXVIII.

Illi qui quidem unum Religionis principium, nempe Rationis, adeoque Religionem naturalem admittunt, alterum vero, hoc eſt, Revelationis vel rejiciunt ut falſum, vel non neceſſarium perhibent, vocantur NATURALISTÆ.

§. CXIX.

Quia ergo unum tantum Religionis principium generale agnoſcunt, alterum vero ut vel falſum vel ſupervacaneum repudiant, eoipſo etiam omnes articulos fundamentales revelatos evertunt, antecedentes ideo in Syſtemate noſtro ſequentur. *DECIMUM* ergo *CAPUT* de *NATURALISMO* aget.

§. CXX.

Sunt porro, qui quidem principium revelatum agnoſcunt, ſed vel præcipuam veræ Revelationis partem negant, uti JUDÆI novi Teſtamenti Autoritatem non admittentes; vel qui loco Revelationis divinæ falſam ſubſtituunt, uti MUHAMMEDANI.

§. CXXI.

Quare *UNDECIMUM CAPUT* errores *JUDAISMI*, & *MUHAMMEDISMI* comprehendit.

§. CXXII.

Prioribus non multo meliores ſunt illi, qui qui-

quidem principium revelatum admittunt, cum vero illud ad rationis normam exigunt, & Scripturam ad ejus hypotheſes pervertere conantur, adeoque Religionis normam Rationem conſtituunt, & propterea Revelationis Myſteria inficiantur, ſimul etiam ejus neceſſitatem negant: Hi dicuntur SOCINIANI & ANTITRINITARII.

§. CXXIII.

Complectitur ideo *Hæreſin SOCINIANISMI DUODECIMUM* tractatus noſtri *CAPUT.*

§. CXXIV.

In eandem cum illis claſſem pertinent, qui *Indifferentiſmum Religionum* ſtatuunt, ideoque omnem articulorum credendorum differentiam atque eorum momentum tollunt, quæ vocatur RELIGIO PRUDENTUM, *Die Staats-Religion:* hocque modo ſcepticiſmus Theologicus quam maxime ſtabilitur.

§. CXXV.

Hi in eundem cum Socinianis cenſum veniunt, unde *DECIMUM TERTIUM CAPUT de INDIFFERENTISMO RELIGIONUM & SCEPTICISMO THEOLOGICO* agit.

§. CXXVI.

Dantur Hæretici, qui quidem ambo illa Religionis principia admittunt, ſed non tantum veritates ex illis fluentes demonſtrationi ſubtrahunt, & mero hominis alicujus arbitrio atque magiſterio committunt, atque ab illius explicatione autoritativa dependentes faciunt; verum inſuper tertium aliquod Religionis principium, nempe TRADITIONES Eccleſiæ ſive Capitis ejus repræſentantis, ſtatuunt, adeoque omnes Religionis arti-

articulos ab homine, non à Deo dependentes faciunt, & omnia Ecclesiæ membra in negotio salutis à capite aliquo visibili dependere perhibent, omnem ideo Religionis rationem atque fundamentum pervertunt.

§. CXXVII.

Unde eum locum hisce, qui *PONTIFICII* vocantur, in Systemate nostro tribuimus, qui momento errorum illorum optime convenit: *DECIMUM QUARTUM CAPUT* propterea *PAPISMI* erroribus in connexione sua exhibendis atque refutandis destinatum est.

§. CXXVIII.

Impingunt adhoc alii circa Religionis Principia, qui usum Sacræ Scripturæ elevantes, aliud se Religionis Principium habere prætendunt, novas scilicet Revelationes, atque naturale quoddam Lumen internum, per quod omnia ad salutem scitu necessaria cognosci possint.

§. CXXIX.

Hi generali nomine *FANATICI* appellantur, & *DECIMUM QUINTUM CAPUT* Systematis nostri elenchtici occupabunt.

§. CXXX.

Sequuntur illi, qui & Religionis naturalis & revelatæ principium agnoscunt, neque aliud præter hoc exigunt, sed tamen in primariam atque maxime fundamentalem totius Religionis revelatæ veritatem impingunt, nempe *quod Jesus Christus sit unica & perfectissima caussa salutis*, dum præcipuam negotii Salutis partem ex propriis hominis viribus derivant.

Hære-

§. CXXXI.

Hæreſis hæc communiter PELAGIANA vocatur, unde quia contra primarium Religionis revelatæ articulum peccant & primam Principii revelati veritatem evertunt, poſt eos ſtatim locum ſuum habent, qui circa ipſa principia errant, unde *DECIMUM SEXTUM CAPUT* de *PELAGIANISMO* agit.

§. CXXXII.

Ad illorum claſſem etiam referendi ſunt ita dicti *REMONSTRANTES*, qui applicationem gratiæ Chriſtum non meruiſſe ajunt, ſed fidem conſiderant tanquam ipſius hominis opus, eoipſo Chriſtum non unicam atque perfectiſſimam ſalutis cauſſam agnoſcunt.

§. CXXXIII.

Statim propterea Pelagianos excipiunt, & tractatio errorum illorum *DECIMUM SEPTIMUM CAPUT* efficit.

§. CXXXIV.

Et cum viribus liberi Arbitrii etiam velificent illi, qui perfectum Eccleſiæ in hac terra ſtatum credunt, quos communi nomine *MENNONITARUM & ANABAPTISTARUM* appellare ſolemus, pari cenſu cum Pelagianis & Arminianis veniunt.

§. CXXXV.

Unde in eadem cum ipſis claſſe Hæreſis eorum pertractanda eſt: De quibus *CAPUT* ſequens ſive *DECIMUM OCTAVUM* agit.

§. CXXXVI.

Etſi magna Eccleſiæ Orientalis pars in multis fidei articulis, etiam quod fundamentum ſpectat, nobis-

nobiscum consentiat, nimis tamen etiam bonis operibus, cærimoniis externis, & propriis viribus tribuunt.

§. CXXXVII.

Inde in Theologia elenchtica errorum illorum pertractatio etiam locum obtinet : Quod *UNDEVICESIMUM CAPUT* est.

§. CXXXVIII.

Finis hic operi polemico imponendus esset, cum ad hasce, quas recensuimus classes, omnes qui hodiernis temporibus contra fundamentum impingunt, referri possint, nec proprie in Theologia polemica tractationi Doctrinæ Ecclesiæ, Augustanæ Confessioni addictæ, locus esse deberet.

§. CXXXIX.

Cum tamen Theologi *ECCLESIÆ* illius, quam *EVANGELICAM* nominamus, fundamentaliter Ecclesiam nostram Reformatam errare arbitrentur, ultimo etiam de differentia, quæ inter illorum & nostram Religionem intercedit, agendum, & ad illorum accusationes respondendum erit : Quod *VIGESIMUM* constituit Theologiæ Polemicæ *CAPUT.*

§. CXL.

Ne tandem Systemati aliquid desit, appendicis loco etiam vera ratio Hæresium, quæ tribus primis Ecclesiæ Christianæ seculis Civitatem Dei quam maxime turbarunt, indicari potest.

CAP.

* * * \

§. CXLV.

Sapientis nimirum est, ut optimum sibi ante omnia proponat finem (§. LXXXVIII.), alius autem in Theologia Elenchtica esse non potest, sive veritas divina demonstretur (§. II.), sive error refutetur (§, III.), & errans convincatur (§. IV.), quam ipse veritatis amor; omnia enim hæc quæ diximus ad veritatem tendunt, ut nempe Verbi divini puritas, quod ipsa veritas est, conservetur & vindicetur.

§. CXLVI.

Prima ergo *Regula* hæc est:

Qui Elenchum instituere vult, exploret seipsum, quo fine & studio id faciat, an ex sincero veritatis amore, an vero ex ambitione potius, aut damnandi libidine, aut aliis pasionibus pravis.

Si enim sincerus erga veritatem amor, de quo loquimur, omnium illorum animos, qui sacris operantur, occuparet, maxima cito controversiarum pars sponte sua caderet, & exoptata in Ecclesia quies restitueretur: Si vero eruditio pietati antefertur, & ex Religione ars fit, nonnisi lites & discordia inde oriri possunt.

§. CXLVII.

Nemo autem alterum veritatis convincere potest, qui ipse falsis opinionibus imbutus nullam veritatis certitudinem habet.

Qui

§. CXLVIII.

Qui enim aliquid demonstrat, ipse propter evidentiam demonstrationis de hac re convictus est; si ipse autem de veritate illius rei dubitat, hoc inde est, quod demonstratio ipsi satis evidens non sit, unde nec de alio sperare, vel ab ipso petere potest, ut per demonstrationem illam veritatis certus reddatur sive convincatur, quod est unum idemque (§. IV.).

§. CXLIX.

Secunda propterea Prudentiæ *Regula* hæc est:

Nemo de Articulis Religionis cum aliis litem incipiat, nisi qui ipsemet, sepositis omnibus præjudicatis opinionibus, veritatis convictus per Demonstrationem ejus certitudinem acquisiverit.

§. CL.

Cum nimirum prudentis sit omnia ea evitare, quæ in usu mediorum fini consequendo detrimento esse queunt (§. LXXXIX.), hinc is, qui elenchum instituit, ratione sui ipsius ab omnibus illis rebus cavere debet, quæ fini obesse possunt, idque tum ratione *Intellectus*, tum respectu *Voluntatis & malorum affectuum.*

§. CLI.

Intellectus nempe humanus propter miram ejus imbecillitatem atque corruptionem falsis opinio-

nibus atque præjudiciis plurimum ita imbutus est, atque ab illis in transversum agitur, ut à veritate aberret & errorem sæpenumero ejus loco defendat.

§. CLII.

Ita enim apud multos vel ignaviæ, vel perversæ educationis, vel præcipitantiæ, vel autoritatis præjudicia dominantur, ut illi etiam sæpenumero, qui doctos se arbitrantur, veritati nullam aliam ob caussam assentiantur, quam quia autoritas humana illi ex mente eorum pondus addidit.

§. CLIII.

Nam quisquis veritatem non ex ipsis suis fontibus derivat & in certitudine acquirenda operam ponit, nonnisi autoritatis præjudiciis ducitur, & ideo propositionem aliquam pro vera habet, vel quia à Viro quodam magni nominis eam audivit, aut quia in scriptis Viri celebris extat, aut quia in Libris Symbolicis illa legitur.

§. CLIV.

Nec ex cœco assensu nisi superstitio oriri potest. Nec qui nonnisi tali cœco assensu rapitur ipsemet veritatis nexum, quo modo ex principiis suis fluat, perspicere potest, neque ergo alterum per veritatis demonstrationem convincere poterit : Neque ille veritatis defendendæ momentum novit, nisi ejus cum fundamento connexionem intime habeat perspectam, unde sæpe lis nullius momenti movetur, vel in meram tandem Logamachiam abit.

De hac secunda & duabus sequentibus regulis legendus est summe Rever. atque Celeberrimus PFAFFIUS *in Primitiis Tubing. Dissert. De Præjud. Theol. pag. 17. seq.*

Cum

§. CLV.

Cum finis Theol. Polem. sit conservatio Veritatis puræ (§. CXLV.) hinc omnia deponenda sunt, quæ veritati nocent.

§. CLVI.

Unde *tertia* hæc nascitur *Regula*:

Cum pravi voluntatis affectus, præcipue ambitio, odium Theologicum, & sectæ studium, veritati tantopere noceant, inde deponendi prius antequam de Religione disputemus.

§. CLVII.

A parte nempe voluntatis veritati quam maxime nocent pravi affectus, quales sunt ambitio, odium Theologicum & nimium sectæ suæ studium.

§. CLVIII.

Ambitione enim qui inflatus est veritatem non quærit, sed laudes, hinc infelicia illa de Religione certamina (hæc Celeb. PFAFFII verba sunt) ubi nemo alteri cedit ne errasse videatur, hinc tot logomachiæ & de vocibus lites: hinc novarum controversiarum semina: hinc contradicendi studium, in errore defendendo pertinacia: hinc nulla veritatis ratione habita, nonnisi nomen sibi conciliandum quæritur.

§. CLIX.

Ita nonnulli à veritatis amore alieni nonnisi

contentionis ſtudio aguntur, quod ex odio Theologico naſcitur, quo qui imbutus eſt diſſentientes tolerare nequit, ſed quidquid dicunt ipſi ſuſpectum videtur, & errores exaggerando ex quovis conficitur hæreſis, etſi fundamentum non ſubruat, hinc novæ oriuntur rixæ; hoc quantopere veritati obſit dici vix poteſt, & hoc modo exacerbantur magis quam convincuntur animi.

§. CLX.

Sed inſuper hominum plurima pars Religionis, in qua naſcuntur, amore ita imbuti ſunt, ut opiniones in ea receptas defendant, quamvis veritatem illarum ipſimet nunquam perſpexerint, plus ergo humanæ quam divinæ in rebus fidei autoritati dant, unde nonniſi cœcus aliquis zelus & ſectarum ſtudium oriri poteſt, ut eos damnemus qui non easdem nobiscum de rebus controverſis ideas habent.

§. CLXI.

Potius autem veritas ita inquirenda eſt, quaſi illam nondum inveniſſemus, ita elenchus inſtituendus eſt, quaſi nulli ſectæ addicti eſſemus.

§. CLXII.

Hæ ſunt præcipuæ regulæ ſive cautelæ, quæ eum qui elenchum inſtituit reſpiciunt; ſed in ipſo etiam elencho, vel in modo illum inſtituendi, non minus prudentiæ regulis opus eſt (§. CXLIV.), ne à fine propoſito aberretur.

§. CLXIII.

Cum vero ad elenchum duo requirantur, veritatis ſcilicet demonſtratio & erroris refutatio (§. II. III.), hinc ambo ita inſtituenda ſunt, ut erran-

errantis convictio & veritatis conſervatio, quæ ſcopus hujus Theologiæ eſt (§. CXLV.). inde enaſci poſſit.

§. CLXIV.

Ad id ante omnia requiritur, ut non fallibilibus utamur principiis, unde *Quarta* hæc *Regula* naſcitur:

Cum in Theologia elenchtica Veritates demonſtrandæ ſunt, ut certæ evadant, hinc nec propriæ, nec alienæ autoritati, ut fallibili principio, aliquid fidendum eſt.

§. CLXV.

Etenim demonſtratio certis niti debet principiis (§. VI.), talia principia autem vel oportet ſint rationis vel revelationis, vel oportet ſit aliquis homo infallibilis in terra, cujus autoritas falli neſcia de quibusvis fidei articulis etiam absque demonſtratione decidere poteſt.

§. CLXVI.

Cum vero vel ſola experientia teſte, ſepoſito etiam Sacræ Scripturæ teſtimonio, talis homo, qui ſit αὐτοαλήθεια & falli & fallere neſcius nunquam extiterit, hinc autoritati humanæ nec propriæ nec alienæ, demonſtratione deſtitutæ, in Religione aliquid dandum, ſed ad ſola vel rationis vel revelationis principia, quæ ambo Deum autorem agnoſcunt, recurrendum eſt, ubi invenimus quo tuto pedem figere poſſumus.

§. CLXVII.

Ex eo, quod veritas demonſtranda ſit, alia obſervanda eſt *Regula*, quæ numero *Quinta* eſt, nempe hæc:

Si alteri veritas certa evadere debet, in illa tradenda talis ordo obſervandus eſt, ex quo convictio naſcitur, niſi data opera cœcutire velit Adverſarius.

§. CLXVIII.

Ubi enim alterum demonſtratione veritatis convincere volumus, ibi oportet adſit ordo in demonſtratione obſervandus: Qui hic eſt, ut principia certa præmittantur & ex his legitima connexione ſive ratiocinatione cætera deducantur, ut porro ea ſemper præmittantur, ex quibus ſequentia intelligi & demonſtrari poſſunt.

§. CLXIX.

Hinc in dogmatum fidei tractatione tali ordine utendum, ne coactæ methodo illa accommodetur, & talibus præmiſſis veritas ſuperſtruatur, de quibus Adverſarii adhuc dubitandi locum habent, quod convictioni quam maxime obeſt.

§. CLXX.

Talis ergo dogmatum fidei, quæ docentur, ſervanda eſt connexio, ut unum altero ſemper nitatur & poſterius ex priori ſemper lumen accipiat.

Si

§. CLXXI.

Si enim ea, quæ in Religione maxime sunt fundamentalia, gratis assumuntur, & reliqua ipsis superstruuntur, omnia ex illis sequentia hosti veritatis non possunt non esse dubia; recte vero posito fundamento totius ædificii structura etiam erit firmissima.

§. CLXXII.

Illi nimirum, qui circa ipsum Religionis Christinæ fundamentum peccat, omnia fidei dogmata erunt incerta, nisi ipsa prius tum Religionis naturalis tum revelatæ veritas, & Religionis peccatoris præcipuum fundamentum, nempe Christum unicam & perfectissimam esse salutis viam, demonstratum fuerit, cum his tanquam fundamentis cætera omnia sint superstructa.

§. CLXXIII.

Neque ergo in transitu tantum tractari debent ea, quibus omnium reliquorum articulorum nititur certitudo, nisi omnia ex iis sequentia incerta evadere debeant.

§. CLXXIV.

In demonstratione, quæ pro fine habet convictionem alterius, etiam adsit oportet evidentia demonstrationis.

CLXXV.

Unde *Sexta* hæc oritur *Regula*

In Theologia Elenchtica omnis evitanda est obscuritas, ut alter per demon-

monſtrationis evidentiam de propoſitione probanda certus evadat.

§. CLXXVI.

Ratio enim cur alter veritati aſſentiatur hæc eſt, quod demonſtrationis nexum perſpicit, ſive quod illa ipſi evidens fit, quam diu vero ratiocinii nexum nondum penetrat, in aſſenſum trahi non poteſt, & absque hac perſpicuitate nonniſi cœcus foret aſſenſus.

§. CLXXVII.

Omnis propterea in ratiocinio obſcuritas evitanda & ſimplicitati quam maxime ſtudendum, ne dubium aliquod remanere poſſit.

§. CLXXVIII.

Huc *primo* pertinet ut ſimpliciſſima dictio adhibeatur, & nulli termino vago locus eſt: vocabula enim obſcura decipiunt magis quam perſuadent, & nonniſi ad lites & logomachias ſerendas apta ſunt, unde veritati plurimum nocent, præcipue cum ſub iisdem vocabulis plurimi ſæpe ſenſus lateant.

§. CLXXIX.

Nexus *deinde* in tradenda veritate ita inſtituendus, ut alter perſpiciat hoc prædicatum huic ſubjecto convenire, hoc enim ipſa demonſtrationis evidentia nititur, quæ ubi deeſt etiam certitudo ipſa abeſt, ratione nempe objecti quod convincendum eſt.

§. CLXXX.

Hæ ſunt præcipuæ regulæ, quæ in demonſtra-

ſtratione veritatis, ſi finem propoſitum aſſequi velimus, neceſſario obſervandæ ſunt: non minus in erroris refutatione omnibus illis mediis utendum, quæ ad finem conducunt, & omnia illa evitanda quæ nocere poſſunt.

§. CLXXXI.

Ante omnia autem, niſi à ſcopo aberrare velimus, ſtatus controverſiæ ſive errores refutandi probe intelligendi ſunt, & quidem eo quem ſupra (§. LXV -- LXXVII.) indicavimus modo.

§. CLXXXII.

Unde *Septima* hæc obſervanda eſt *Regula:*

Ad errores refellendos totum ſectæ ſyſtema in connexione ſua probe intelligendum eſt, ut ſtatus controverſiæ inde recte formari queat.

§. CLXXXIII.

Quævis nimirum ſecta peculiaria ſua habet præjudicia, proprias ſuas hypotheſes, quibus quam maxime favet, inter has vero hypotheſes dantur primaria quædam præjudicia (§. LV. LVI.), quæ cæteris fundamenti loco inſerviunt.

§. CLXXXIV.

Totum vero errorum ſyſtema ſimul conſiderandum eſt, ut ſciamus quomodo unus error alteri conjunctus ſit, & quomodo ad ſtabiliendam hypotheſin primariam, quisque reliquorum errorum ſuum conferat.

Hoc

§. CLXXXV.

Hoc enim demum modo mens errantium probe intelligi potest; Et subruto fundamento etiam totum ædificium sponte cadit.

§. CLXXXVI.

Perperam ergo illi, qui controversias tractant, faciunt, qui singulos errores in se consideratos seperatim explicant atque refellunt, nullo ad totum systema & mutuam quam errores ad se invicem relationem habent, respectu habito: cum tamen errores plurimi nonnisi ex nexu suo cum aliis, si scopum eorum respicias, intelligi queant.

§. CLXXXVII.

Et cum aliorum errores sint refellendi & errantes veritatis convincendi, requiritur, ut ipsum veritatis systema refutanti sit notissimum, unde *Octava* hæc oritur *Regula:*

Nemo alterius errores refutare & ipsi veritatem demonstrare potest, nisi ipse omnia ea quæ ad veritatem stabiliendam pertinent, adeoque integrum veritatis systema noscat.

§. CLXXXVIII.

Uti enim multum interest, ut vera adversariorum mens nobis perspecta sit, ita non minus ipsa veritas, antequam alium refellimus, in toto suo nexu nota sit oportet, eo quem supra (§. VI. VII. VIII. IX.) indicavimus modo.

Et

§. CLXXXIX.

Et 1.) quidem ipsa divina oracula, fons omnis salutaris veritatis, diligenter prius legenda atque meditanda, in his & ex his sapiendum, quod si facimus, omnes in contrarium murmurationes, omnes falsi nominis scientiæ, objectiones, omnia factiosæ carnis sophismata facile dispalescent.

§. CXC.

Ita vero veritates inde addiscendæ sunt, ut sciamus quomodo quævis cum primario fundamento suo conveniat, ita ut veritatem salutarem, quomodo ex primis suis principiis fluat, in omni suo nexu sciamus (§. XCII. XCIII. XCIV.).

§. CXCI.

Cum 2.) etiam tales existant in Theol. elencht. refutandi, qui revelatum Religionis principium negantes (CIX - CXVIII.) non aliter quam ex Philosophiæ principiis debellari possunt, etiam ejus notitia maximi in Theologia Polemica usus est.

§. CXCII.

Illa enim hominis mentem in veritatis investigatione fortiter juvat, claras & distinctas notiones formare docet, mentem assuefacit ad cautius judicandum; ejus cognitio etiam juvat mentem tum in percipienda recte veritate, tum in deprehendendo facilius errore, eoque destruendo; qui usus generales tanto magis Theologo quærendi sunt, quo magis sibi ab erroribus cavere tenetur & indubitatam acquirere certitudinem allaborat.

§. CXCIII.

Sed & Philosophia tales docet veritates, quas Theo-

Theologia revelata ut demonstratas praesupponit: Quo spectant Dei existentia; ejusdem attributa; Justitia praesertim quae totius Religionis fundamentum est; ejus Providentia & rerum omnium Gubernatio; animae natura & libertas, subjecta tamen divino moderamini; animae immortalitas & alia.

§. CXCIV.

Tanto autem magis Theologo in id incumbendum est, ut certam & indubiam de hac scientia acquirat cognitionem, quanto magis errores ex hisce natura notis refelli possunt.

§. CXCV.

Haud parum etiam ad salutaris veritatis claram cognitionem conferre potest, si etiam praecipuorum Theologorum Systemata, Libri non minus Symbolici cum attentione legantur.

§. CXCVI.

Theologia elench. non de omnibus erroribus sollicita est (§. XXIII. XXIX.), hinc *Novam* hancce formamus *Regulam:*

In selectu errorum summa prudentia opus est, ne aut tales refutemus, qui nullius momenti sunt, aut in alterum extremum prolapsi iis parcamus, qui veritati salutari quam maxime nocent, aut tandem pro errore habeamus quae ipsissimae veritatis pars sunt.

§. CXCVII.

Etenim cum errores varii generis sint, quorum alii cum Autorum suorum cineribus jam quasi sepulti jacent, & prætera omnes ejusdem momenti non sint (§. XXIX,), & insuper multa errores esse videantur, quæ tamen revera non sunt, sed potius pars veritatis (§. LIII. LIV.).

§. CXCVIII.

Hinc tum ratione ipsorum Autorum, tum ratione sententiarum eorundem selectus instituendus, neque undiquaque corradendi quasi errores, qui unquam propositi fuere, melius est aliquando eos ignorare, quam ex orco revocare.

Exempla hic possemus proferre, quæ probant errores sæpe demum disseminari & a multitudine hominum recipi, quando ipsis obviam itur; inde etiam in refutatione erroris alicujus nuper nascentis caute agendum, ne hoc modo ansam demus dissemination ejus? ita enim comparatum est hominum ingenium, ut, quamprimum aut prohibetur lectio mali alicujus libri, aut si interdicit summus Magistratus Bibliopolæ ejus venditione, aut si quis talem librum adgrediatur, quivis illum legere cupiat sive intelligat sive non intelligat, sive prius veritatis convictus sit, sive non convictus, unde ignari facile seduci possunt. Optimum autem, meo quidem judicio, foret, si lectio talis libri quidem non prohiberetur, ne vulgus illum acquirendi & legendi cupidior fiat, quod vix ac ne vix quidem impediri potest; sed si statim Viri Eruditi & Pii aliam curarent editionem talibus instructam annotationibus, quæ errores in Libro contentos funditus evertunt, quo fieret, ut Lector Veritatem errori oppositam statim ob oculos haberet, ejusque luce colluстraretur.

§. CXCIX.

Illis autem præjudiciis, quæ Christianæ Ecclesiæ tantum damnum non afferunt, aliquando parcen-

cendum, ne ea refutando aut graviora negligamus, aut ea refellendo majoribus erroribus ansam demus.

§. CC.

Non ita tamen hoc intelligendum, quod, si integrum sectæ alicujus systema refutandum sumimus, in eo quædam omitti possint, ne videamur ea tantum adgredi, quæ refutatu facillima videntur, quod malæ causæ aut imperitiæ indicium foret.

§. CCI.

Illi vero in systemate errores præcipue adgrediendi sunt, qui primarias sectæ hypotheses constituunt, ipsumque fidei fundamentum tangunt, à quibus maximum imminet detrimentum, quique cum sapientia carnali optime conveniunt, hominesque vita spirituali atque salute excludunt, his maxime obviam eundum, hi radicitus evellendi sunt.

§. CCII.

Uti vero ab una parte moderatione Theologica utendum, ita etiam ab altera parte articuli non nimis extenuandi sunt, ne vitare volentes charybdim in scyllam incidamus & indifferentismi Religionum aut saltem latitudinarismi, sit venia verbo, nos reos faciamus, & hoc modo Religionum tolerantiam nimis extendamus.

§. CCIII.

Sed cavendum præterea, ne id pro errore habeamus, quod forsan pars veritatis est, quod in illis maxime articulis fieri potest, qui captum humanum superant, qui ab una parte nimis sublimes sunt, quam ut acies oculorum mentis eo pertinge-

tingere valeat, ab altera parte nimis late patent, quam ut imbecillis intellectus nostri capacitas ea omnia comprehendere possit.

§. CCIV.

Quod quo modo in dogmatibus sublimibus, qualia, verbi gratia, decreta divina & prædestinatio sunt, locum habere queat, quivis facile intelligere potest, ut nunc alia taceamus.

§. CCV.

Cum nobis studendum sit, ut alterum convincamus, *Decima* hæc *Regula* observanda est:

Si errantes non tantum vincere, sed & convincere volumus, ita nos erga illos gerere oportet, ut nullo affectu, nullo sectæ studio, sed solo veritatis amore nos duci intelligant.

§. CCVI.

Quia in Theologia elencht. non tantum id quærimus, ut veritas divina pura conservetur, sed etiam ut alii de ea convincantur (§. IV.), omnia hinc evitanda sunt ea, quæ alterius convictioni obesse possunt.

§. CCVII.

Ante omnia ergo cavendum, ne ipse Adversarius malam de eo, qui elenchum instituit, concipiat suspicionem, quasi ille præjudiciis ita imbutus sit, ut omnibus rationibus sepositis arbi-

trum vel judicem agere & solus propria autoritate de rebus decidere velit:

§. CCVIII.

Sed ita potius in disputatione cum aliis versandum, ut propriis opinionibus & judiciis nihil tribuamus, sed maximorum etiam Theologorum, imo ipsius Ecclesiæ fallibilis (§. CLXVI.) autoritatem seponamus, & sectæ studio plane nihil largiamur, ne vel alterius intellectui conscientiæque leges præscribere velle videamur:

§. CCIX.

Rationibus quoque adversarii aliquid tribuendum, neque statim illæ contemnendæ, sed ponderandæ potius & difficultates examinandæ sunt. Quamprimum enim cum contemtu loquimur de alterius argumentis, quæ pro sententia sua affert, jam vel ipsius animi dotes contemnere videmur, vel saltem nos præjudiciis contra ipsius sententiam esse imbutos, vel examini argumentorum ipsius non justum locum daturos esse.

§. CCX.

Unde talis in Theol. Elencht. instituenda est disputatio, quasi nulli antea Religioni fuissemus addicti, & ab omni partium studio simus remotissimi; ad conciliandum enim nobis Adversarium sæpe multum confert, si vel ipsimet, ubi fieri licet, aliquantisper, cuinam sententiæ potius calculus addendus sit, dubitare videamur.

§. CCXI.

Unde MINUTIUS FELIX *in Octavio* §. V. ait:

ait: Impræſentiarum tamen ita informandus tibi eſt animus, ut libram teneas æquiſſimi judicis, nec in alteram partem propenſus incumbas, ne non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quam ex tuis ſenſibus prolata videatur.

Vide Celeb. & S. R. PFAFFII Primit. Tub. Diſſert. poſt. de præjud. Theol. §. IX. pag. 136.

§. CCXII.

Ex dictis porro hæc *Regula* naſcitur, quæ *Undecima* eſt:

Cum in Theol. Elencht. convictio errantis quærenda ſit (§. IV.), & convictio nonniſi per demonſtrationem obtineri queat, hinc ſi alterum convincere volumus, non vi in illum ſæviendum, ſed ſolis rationibus agendum eſt (§. V.).

§. CCXIII.

Siquidem cum in Theol. Elencht. per demonſtrationem veritatis ad conſcientiam agendum ſit, ut alter propoſitionem noſtram veram agnoſcat, omnis externa vis abeſſe debet.

§. CCXIV.

Neque enim coactione id effici poteſt, quod cum ſumma animi libertate fieri debet, nempe ut alter præcedentes, quas de Dogmatibus habuit ideas, pedetentim exuat atque aliis plane imbuatur; vi enim intellectus adigi non poteſt,

ut ea quæ hactenus vera credidit, in posterum pro falsis habeat, & ea quæ ut falsa sibi repræsentavit, nunc vera credat.

§. CCXV.

Et cum nemo hominum dominium in alterius cogitationes habere possit, etiam alter nonnisi rationibus adduci potest, ut idem nobiscum sentiat; & si alter minis & coactione adigeretur, ut idem nobiscum ore profiteretur, non fides sed mera hypocrisis esset.

§. CCXVI.

Neque alia, quam voluntaria professio, Deo grata esse potest, cum voluntarium ubique cultum in verbo suo postulet, etsi ergo alter vi, ferro, exilio aliisque suppliciis cogatur, ut idem nobiscum dicat, tamen cogi non potest, ut idem nobiscum credat.

§. CCXVII.

Si vero, quod quivis facile concedet, non solum externa oris professio, sed convictio & assensus cordis Religionem constituat, inde sequitur, quod etiam alter vi ad aliam Religionem amplectendam cogi non possit.

§. CCXVIII.

Et si tandem unius Religionis confessoribus jus quoddam esset, illos qui alii Religioni addicti sunt persequendi, bellum ubique in orbe perpetuo grassaretur, qui in tot partes sectasque discissus est: Et hoc modo non de erroribus, sed de errantibus debellandis ageretur.

Quousque autem Magistratus Politicus potestatem suam in coërcitione hæresium exercere & in quibus casibus vim externam adhibere possit infra Cap. V. de Hæresi agentes dicendi ansam habebimus.

Et

§. CCXIX.

Et cum errantium mens recte intelligenda sit (§. CLXXXII.), alterum confutaturus propositionem debet explicare ex mente affirmantis, unde *Duodecima* hæc conficitur *Regula:*

Nihil errantibus affingendum quod ipsi non statuunt, abstinendum ergo à periculosis consequentiis, quæ non animo convincendi, sed nocendi formantur.

§. CCXX.

Etenim cum in hac Scientia maxime opera danda sit studio amoris veritatis & convictioni alterius (§. CXLV. CXLVI.), hinc ab una parte sincere cum adversario agendum, ab altera vero parte non media convictioni contraria adhibenda, qualia sunt alterius ad iram concitatio, & affectuum ejus turbatio.

§. CCXXI.

Falsas enim si verbis alterius affingimus consequentias, non tam animum veritatis cupidum, quam cupiditatem existimationi alterius nocendi ostendimus.

§. CCXXII.

Sincere vero cum adversario nostro agimus, si sensum verborum ipsius ita proponimus, uti se revera habet; neque falso quid ipsi attribuendo verba ipsius in deteriorem sensum detorquemus;

aut placita ipsius in connexione sua nescientes mutile & extra nexum aliquid allegamus.

§. CCXXIII.

Hoc autem fit, si libros illorum non totos perlegimus, sed ex parte tantum de toto judicamus, aut si ad verba magis quam ad bonam interpretationem mentem advertimus & dictionis proprietatem premimus.

§. CCXXIV.

Illi qui fundamenta errorum intacta relinquunt & veritatis studio neglecto ejusmodi consequentias ex alterius doctrina formant, quibus vel alterius famam in discrimen vocare contendunt, aut quæ cum alterius doctrina non sunt conformes, aut quas alter ex dogmatibus suis fluere pernegat, *Consequentiarii* dicuntur.

§. CCXXV.

Hi primam consequentiam pro lubitu assumunt, ex illa deinde plures deducunt & verbis alterius multa periculosa & veneni plena affingere student.

§. CCXXVI.

Omnes tamen consequentiæ rejiciendæ non sunt, si in iis formandis debitæ adhibeantur cautelæ.

Vide de hac re Reverendiss. PFAFFII Dissert. de eo quod justum & æquum est circa imputationem consequentiarum theologicarum, & Celeb. WALCHII Einleitung zu den Religions-Streitigkeiten, Part. II. Cap. II. §. VII. pag. 118. seq.

§. CCXXVII.

Præcipuæ autem cautiones adhibendæ hæ sunt:
1.) Consequentiæ formentur non ex verbis nude specta-

spectatis, sed ex vero eorum sensu, neque extra sed intra connexionem spectatis.

§. CCXXVIII.

Ad condemnandum, enim, *quemvis librum non est prætendenda duarum vel unius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici; & sunt nonnulla, quibus singularibus potest contradici, sed cum omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque studio circumjacentium muniuntur.*

Sunt verba PHILIPPI *ABBATIS* BONÆ SPEI, *Epist. V. citante Reverendiss.* PFAFFIO. *in Primit. Tub. Diss. II. de præjud. Theol. pag. 138. nota c.*

§. CCXXIX.

Et de intelligentia hæresis est, non de scriptura, & sensus non sermo sit crimen.

Hæc sunt verba *HILARII Lib. II. de Trinit. §. III. citante Celeb.* PFAFFIO.

§. CCXXX.

2.) Necessum est, ut consequentia non per multas ambages, sed immediate ex alterius doctrina fluat, ut ex alterius principiis tam clare deduci possit, ut alter aut principia sua abjicere, aut conclusionem admittere teneatur.

§. CCXXXI.

3.) Consequentia, quæ ex adversarii dogmatibus fluit, illi tamen propterea imputanda non est, cum forsan ipse illam non introspexerit.

§. CCXXXII.

Distinguendum nimirum hic inter illos, qui judicii acumine pollent & facultate rerum nexum

obſervandi gaudent, & illos, qui rationem minus philoſophicam poſſident, inter doctores & auditores, inter doctos & indoctos. Poſterioribus enim conſequentiæ, etſi ex illorum doctrina clare fluant ſtatim tribui nequeunt.

§. CCXXXIII.

4.) Ab illis vero conſequentiis abſtinendum plane, quæ ideo tantum formantur, ut alii noceamus, & eum aliorum riſui exponamus.

§. CCXXXIV.

Quo errantem convincere queamus, abſtinendum ab omnibus illis rebus, quæ affectus ipſius turbant & eum ad iram excitare poſſunt (§. CCXX.), quod fit, ſi talibus utimur rationibus, quibus & adverſarium & ipſius doctrinam aliis exoſam reddere quærimus.

§. CCXXXV.

Tales vero rationes appellantur *Argumenta ab invidia ducta*, unde *Decima Tertia* hæc obſervanda eſt *Regula:*

Ab Argumentis ab invidia ductis abſtinendum eſt in Theologia Polemica, cum ita non concilientur animi, ſed in errore confirmentur.

De his legenda eſt *Celeb. CLERICI Diſſert. Philoſophica de Argumento Theologico ab invidia ducto*, quam operibus ſuis Philoſophicis adjunxit.

§. CCXXXVI.

Talia Argumenta ſunt, quando quis alterius

rius famam & fortunam perdere ſtudens α.) ſententiam alterius, quem refutare vult, livido rodit dente & malitioſe explicat:

§. CCXXXVII.

Et ita fit, ut ſubinde aliquid erroris loco habeatur, quod revera non eſt, Virisque innocentibus hoc modo ſumma ſæpe fit injuria.

§. CCXXXVIII.

Quod, quum Regulis amoris chriſtiani, & ſacræ Scripturæ, & rationis & tandem promotioni veritatis, honoris divini & convictionis proximi è diametro repugnet, maxime vitandum eſt.

§. CCXXXIX.

β.) Argumentum ab invidia ducitur, quando adverſarii dogmata cum placitis talium hominum conferuntur, qui jam atro carbone notati ſunt.

§. CCXL.

Hoc fit, quando exempli gratia, hæreſes antiquæ & dudum obſoletæ errantibus impinguntur, aut etiam innocentes illarum accuſantur.

Ita Proteſtantes à Pontificiis cum Simonianis, Novatianis, Sabellianis, Manichæis, Donatiſtis, Arianis, Pelagianis, Neſtorianis aliisque conferuntur. *BELLARM. Tom, II. Controvers. Lib. IV. de Eccleſia c. 9.* ita Reformatis ſæpiſſime Manichæiſmi crimen impingitur, ut alia nunc exempla taceamus.

§. CCXLI.

Cum raro contingat ut recentiorum aliquis totum veteris ſectæ alicujus ſyſtema adoptet, ineptum foret, propter ſingularem quandam ſententiam, quam cum veteri aliquo hæretico communem habet, totam propterea hæreſin impingere.

§. CCXLII.

Subinde tamen si rectus adsit scopus & ratio sufficiens, talis comparatio instituipotest, tum ad declaranda nova hæreseos alicujus placita, tum ad alios ab illa præmuniendos.

Ita *Divus Petrus 2. Epist. cap. II : 15.* illos contra quos disputat cum Balaamo comparat, quod etiam *Johannes* facit divina sua *Patefactione Cap. II: 14.* Ita non male modernorum quorundam doctrina cum Veterum Pelagianorum placitis a Theologis nostris confertur.

§. CCXLIII.

Omne etiam hic odium Theologicum evitandum est.

§. CCXLIV.

Alio modo γ.) Argumentum ab invidia desumitur, quando momentum quæstionis nimis exaggeratur, & illi, qui fundamentaliter non errant, pro hæreticis declarantur & anathematis fulmen contra illos vibratur.

§. CCXLV.

Id δ.) fit, si Adversarii doctrina invidiosis nominibus infamatur: ita Reformatorum de Prædestinatione dogma apud nonnullos Blasphemiæ, fati Stoici, Matris securitatis & aliis nominibus insignitur.

§. CCXLVI.

ε.) Si Adversarii argumenta aut plane reticentur, aut saltem non in omni emphasi sua allegantur.

§. CCXLVII.

Vel si ς.) in controversia non maximi momenti, commoda, quæ ex sententia Adversarii enasci pos-

possunt, tacentur, & incommoda tantum, quibus illa premitur, cumulantur.

§. CCXLVIII.

Cum quærenda sit errantis convictio (§. IV.), neque propterea vis externa adhibenda (§. CCXII.), *Decima quarta* ideo hæc *Regula* observanda est:

Non errantium Personæ, sed errores illorum solum adgrediendi sunt.

§. CCXLIX.

Ut enim errantibus parcamus, errores autem interficiamus & Theologiæ Polemicæ finis (§. IV. V. CXLV.), & ipsa humanitatis officia suadent: quare ita AUGUSTINUS scribit *Lib. IV. contra Donatistas: Diligite homines, interficite errores, sine sævitia pro veritate certate, orate pro iis quos redarguitis atque convincitis.*

§. CCL.

Neque hic Christi & Apostolorum exempla alleganda sunt, quando Christus duris aliquando de Pharisæorum & Sadducæorum Personis expostulationibus usus est, ipsos vocans *Generationem malam & adulteram* Matth. XVI. 4. *Ipsos à Patre Diabolo generatos esse* Joh. VIII. 44. & Johannes ipsos *Genimina viperarum* esse perhibens. Matth. III. 7. quali etiam modo Paulus Apostolus Elymam tractavit Act. XIII. 10. ipsum *Diaboli filium* nominans.

§. CCLI.

Ut enim Christi & Apostolorum exempla nobis ad imitationem proposita sunt, ita dantur casus

casus, in quibus ipsos imitari non licet, cum Christus ab immoderato zelo immunis, absolutam præterea summamque habuerit potestatem, omniscientia atque infallibilitate fuerit præditus, qua Apostolos etiam, virgâque insuper Apostolica donavit.

§. CCLII.

Talia ergo Ipsi, Apostolisque contra Adversarios suos exercere convenit, quæ nulli mortalium amplius facere competit.

§. CCLIII.

Neque porro Veterum cum hæreticis agendi ratio hic prætexenda est, qui nimis dure hæreticos subinde tractarunt; nec enim ipsorum agendi modus suprema nostra Regula, nec zelus ipsorum, si nimius fuerit, laudandus est.

ed. 1700. pag. 915

Theologus summus HERMANNUS WITSIUS *in Oratione sua de Theologo modesto quæ Tom. II. Miscellaneorum extat de hac re ita fatur.* „ Nunquam ab animo „ meo impetrare potui, ut absque exceptione lau„ darem immoderatam illam sive veterum sive recen„ tiorum Theologorum vehementiam, qua Adversa„ rios suos sæpe exceperunt, vix aliter quam canum, „ porcorum, nebulonum, aliisque id genus elogiis eos „ prosequentes, & impetuosi sermonis nimbo ac „ grandine obruentes. Fecerint illud Athanasii, Na„ zianzeni, Basilii, Hieronymi, alii, qui doctrinæ suæ „ oblocutores aculeatis orationibus ac steliteuticis, „ quamvis alioquin virtutibus abundantes, & impe„ ratoria quandoque Majestate verendos, traduxe„ runt palam, infamiæque objectarunt: fecerint illud „ Patrum nostrorum ætate magni illi & immortalis „ memoriæ heroes, quorum opera ad pellendam cras„ sissimam ignorantiæ ac superstitionis caliginem uti „ Deo libuit; ego etiam verborum duritiem seculi „ vitio, hominumque illorum ingenio (nam quan„ tumvis sancti, homines tamen fuerunt) imputare,

„ cæte-

„ cæterisque maximis virtutibus ipſorum condonare; „ quam Prophetarum & Apoſtolorum, ipſiusque adeo „ Chriſti exemplo exculpare, & ad imitationem „ commendare malo. *De hac materia porro legi merentur Orationes Celeberrimi SPANHEMII de Doctore Theologo, de Diſſidiis Theologorum eorumque cauſſis & de Prudentia Theologi Tom. II. operum L. X.*

§. CCLIV.

Neque tandem, quæ *Decima quinta Regula eſt*, Satyrico utendum ſcribendi genere, fugienda omnia convicia aculeataque ſcommata, quibus alterum oblique pungimus.

§. CCLV.

Cum enim alterum convincere nitimur (§. IV,), affectus ejus non ſunt turbandi, neque ad iram vel triſtitiam Adverſarius provocandus eſt (§. CCXX.); Sarcaſtica autem dicendi ratione nunquam efficitur, ut alter, quem adgredimur, mutet ſententiam, ſed ad iram potius atque vindictæ cupidinem concitabitur, unde ſi alterum convincere cupimus, omnia ſcommata aculeataque dicteria evitanda ſunt.

§. CCLVI.

Satyricus nimirum hic, quo utimur, ſcribendi modus, ex alterius maligno contemtu naſcitur, quo illum aliis riſui exponere & contemtum reddere ſtudemus, quod cum alterum exacerbet, & in ſe malum ſit, à ſcripto Theologico abeſſe debet.

Neque

§. CCLVII.

Neque etiam tali ſtylo illi, qui pondera argumentorum & veritatem potius, quam fallacem hancce methodum amant, facile in aſſenſum trahi poſſunt.

§. CCLVIII.

Iſta etiam refutandi ratione nec Chriſtus nec ipſius Apoſtoli uſi ſunt; gravitas enim materiæ, de qua agitur, poſtulat, ut etiam graviter tractetur & cum reverentia ſerioque agatur.

SALVIANUS *Lib. de Provid.* ait: Tanta eſt Sacræ Majeſtatis & tam tremenda reverentia, ut non ſolum ea, quæ ab impiis contra Religionem dicuntur, horrere, ſed etiam quæ pro Religione nos ipſi dicimus, cum gravi metu ac diſciplina facere debeamus.

§. CCLIX.

Nec etiam cum Theologiæ vel Philoſophiæ moralis Principiis convenit, ut affligatur is, qui aut indignatione, aut miſericordia dignus eſt.

§. CCLX.

Nec hic etiam Patrum exempla imitanda ſunt, qui hoc ſtylo aliquando uſi, cum & ipſi odio ſubinde Theologico capti, affectui ſæpe plus, quam veritati ſtuduerunt.

§. CCLXI.

Etſi tandem multi exiſtant adhucdum & extiterint Empectæ, qui ſcoptico dicendi genere, deficientibus ipſis rationibus, ipſa reverenda ſacræ Religionis myſteria riſui exponunt, ad illorum exemplum tamen refutatio non eſt inſtituenda ab iis, qui meliora edocti rem ſanctam etiam ſancte tractandam didicerunt.

Saty-

§. CCLXII.

Satyrico vero hoc Religionem debellandi modo cum ſæpiſſime homines maxime juvenes capiantur, oſtendendum eſt, quam ridicula illa ſint, quæ à talibus ſcopticis proferuntur, & nihil in toto mundo tam verum, tam ſacrum, tamque reverendum eſſe, quod non in ludibrium vocari aut riſui exponi poſſit; idque quod in medium affertur nihil novi eſſe, ſed ipſis jam olim gentilibus, ſapientia carnali faſcinatis, omnia Religionis Myſteria & Chriſti Crucem ſtultitiam & riſu dignam fuiſſe viſam. Quod *Apoſtolus Paulus* ipſe literis etiam profanis exercitatiſſimus dicit. 1. Cor. I. 23.

Ita BÆLIUS de hoc Religionem impugnandi modo loquitur in *Diction. Hiſtor. & Critique Tom. I. fol. 602. in Articulo de Bione.* „ L'Imprudence qu'il avoit de „ tourner en ridicule la Religion, devoit être repri„ mée; car une refutation ſerieuſe ne fait pas à beau„ coup prés tant de mal que les railleries d'un hom„ me d'eſprit. Les jeunes gens ſe laiſſent gâter par „ ces ſortes de moqueurs plus que l'on ne ſauroit „ dire. In genere autem de hac materia legenda ſunt quæ *Reverendiſſ. Cancellarius Tubing.* PFAFFIUS dicit *in Diſſert. Priore de Præjud. Theol.* §. *XXV. p. 92. & Diſſert. Poſteriore p. 146.* §. *XII. & BÆLII Diſſert. de libellis famoſis.*

§. CCLXIII.

Neque tandem, *quæ ultima Cautela eſt*, perverſa illa infideles convincendi & refutandi methodo utendum, quæ, cum maximo Religionis Chriſtianæ

ſtianæ detrimento, ea ſeponit, quæ ipſam Religionis Chriſtianæ eſſentiam conſtituunt.

§. CCLXIV.

Illum nempe infideles convertendi modum intelligo, quo, in gratiam eorum, omnia Myſteria & quæcunque intellectum humanum & Religionem naturalem ſuperant, ſecus habentur.

Principia autem nobis adhucdum deſunt, quibus demonſtremus hanc methodum locum habere non poſſe, & ad Religionem peccatoris myſteria abſolute neceſſaria eſſe, ſuo loco autem hac de re agemus; ubi ex principiis antea poſitis ratiocinari poterimus.

§. CCLXV.

Contra quod nunc hoc tantummodo monemus: hoc modo Pyrrhoniſmo Theologico, ſive dubitationi univerſali, qua quodvis Religionis Chriſtianæ dogma in dubium vocatur, imo ipſa illius veritas pervertitur, quam maxime viam ſterni & anſam dari.

Hac methodo inter alios utitur *Autor* quidam *Anonymus, in libello quodam Gallico Idiomate ſcripto, cui titulus eſt: Lettres ſur la Religion eſſentielle à l'Homme diſtinguée de ce qui n'en eſt que l'Acceſſoire, à Amſterdam chez Wetſtein & Smith. MDCC XXXVIII.* Summa illius hæc eſt: Aliquid infidelibus concedendum & genio illorum in tractatione Religionis ſeſe attemperandum eſſe; quod ſi faciamus hunc effectum operam noſtram habituram, ut ipſi, ſi omiſſis Religionis noſtræ dogmatibus præcepta Evangelica tantum urgeamus, confiteantur Doctrinam Evangelii eſſe bonam & juſtam, imo etiam divinæ Originis, *Vide ſub finem introductionis ad Opus*: in ipſis deinde quadra-

quadraginta illis Litteris hoc maxime urgetur, ad infideles convertendos præceptis tantum & consiliis evangelicis esse insistendum, dogmata vero illa, quæ mysteria vocantur, esse reticenda; Mysteria inde cum sint res plane obscuræ, *des choses entierement obscures*, cognitu necessaria non esse, eorumque ideo nullam plane rationem esse habendam, optime autem Rei Christianæ consuli putat, si in simplicissimis veritatibus, per quas præcepta Religionis moralia intelligit, subsistatur, quippe quæ solæ Religionis essentiam constituant, & hoc si factum fuisset, non orituras fuisse tot de Religione lites, tot distinctiones, tot hæretificinas. Sed cum infra capite X. de hoc acturi simus & hic locus non sit, plura adducere supersedemus. Consulendus autem est de hac materia Celeberrimus Vir JOH. JACOBUS ZIMMERMANNUS *Theologus apud Tigurinos consummatus in Dissertationibus de recentiorum quorundam eruditorum præpostteris adversus incredulos disputandi methodis, ubi libellum huncce acriter perstringit & falsam hancce methodum funditus evertit.* Pro more etiam solidissime & eruditissime de spuriis & falsis præjudiciorum Theologicorum remediis agit *Summe Rev. & Magnificent. PFAFFIUS in Diss. Priore de præjudiciis Theol. pag. 77. seqq. §. XXIII.* inter quæ falsa remedia etiam Scepticismum sive Pyrrhonismum Theologicum numerat.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

* * * \

quoque ex Theologia Naturali sunt præstruenda, ex quibus illi, qui principia Religionis generalia negant, refutari possunt.

§. CCLXIX.

Tali vero hic utendum est methodo, qualem supra (§. 167 -- 181:) indicavimus.

Sectio I.

De Existentia divina.

§. CCLXX.

Theologia revelata est scientia eorum, quæ lumine revelationis nobis de Deo ejusque operibus innotescunt.

Cum Theologia Revelata proprie versetur circa Dei Triunius glorificationem in hominis peccatoris salvatione, & gubernationem Ecclesiæ, illa sic etiam definiri potuisset; quod sit *Systema veritatum revelatarum de Manifestatione Gloriæ Dei in Regimine Civitatis suæ sive Reipublicæ spirituum.* Cum vero illi insint termini figurati, priorem retinere malumus.

§. CCLXXI.

Per Deum intelligimus Ens à se, à mente nostra & hoc Universo diversum, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ hujus mundi & animarum nostrarum, sive quod est absolute necessarium & independens, à quo autem omnia reliqua dependent.

§. CCLXXII.

Priusquam existentiam ejus demonstramus, principia quædam generalia sunt præmittenda.

§. CCLXXIII.

Impossibile est idem simul esse & non esse. Quod Principium indemonstrabile est.

§. CCLXXIV.

Omnium rerum datur ratio sufficiens; unde cognoscitur, cur aliquid potius sit, quam non sit; cur sit potius, hoc quam alio modo, & qua posita nihil amplius ad rei existentiam explicandam requiritur.

§. CCLXXV.

Non datur progressus causarum vel rationum in infinitum: si enim in analysi rationum & causarum alicujus rei quæstio semper remaneat cur & unde res sit? semper adhuc aliquid requiritur, unde cognoscatur, cur res potius sit, quam non sit, adeoque nondum est ratio sufficiens (§. 274.): Atqui nihil datur sine ratione sufficiente, ergo ultima sive prima in analysi causarum oportet adsit ratio, ex qua cognoscitur unde res sit, & in qua sistitur quæstio, unde res sit?

§. CCLXXVI.

Ita in qualibet demonstratione non datur progressus in infinitum; sed in serie probationum tandem pervenitur ad commune aliquod Principium.

§. CCLXXVII.

Quicunque vult demonstrare existentiam divinam, is demonstrare debet dari, Ens à se & absolute necessarium, à quo & anima nostra & totum hoc Universum tanquam à causa sua dependet (§. 271).

§. CCLXXVIII.

Quæ demonstratio hoc modo instituenda est; ut argumentemur vel à contingentia animæ nostræ, vel totius Universi & nexus rerum.

Anima

§. CCLXXIX.

Anima noſtra, ſive nos exiſtimus, nam ejus conſcii ſumus: adeoque hoc aſſumitur per experientiam ſive ſenſum communem.

§. CCLXXX.

Cum vero nihil exiſtere poſſit ſine ratione ſufficiente, unde intelligitur, cur res potius ſit, quam non ſit (§. 274.): etiam oportet ſit ratio ſufficiens, cur nos potius exiſtamus, quam non exiſtamus.

§. CCLXXXI.

Hæc autem ratio invenienda eſt, aut in nobismet ipſis, aut in Ente alio à nobis diverſo. Si ponatur, nos exiſtentiæ noſtræ rationem habere in Ente, quod rationem exiſtentiæ ſuæ etiam in alio habet, non pervenitur ad rationem ſufficientem, niſi ſubſiſtamus in Ente aliquo, quod exiſtentiæ ſuæ ſufficientem rationem habet in ſe ipſo, quod in ſerie rationum & cauſſarum omnium primum eſt, nam non datur progreſſus in infinitum (§. 275.).

§. CCLXXXII.

Aut ergo nos ipſi ſumus Ens neceſſarium, aut datur tale aliud extra nos, quod rationem exiſtentiæ ſuæ & noſtræ habet in ſeipſo.

§. CCLXXXIII.

Ens neceſſarium eſt, quod rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſe habet. Ens contingens autem dicitur, cujus oppoſitum eſt poſſibile, ſive quod aliter poteſt eſſe.

Omnium terminorum definitiones non dabimus, non tantum quia id inſtituti noſtri brevitas non permittit,

sed quia terminis eo sensu utimur, quo à modernis Philosophis accipiuntur, & cognitionem illorum præsupponimus.

§. CCLXXXIV.

Anima nostra est contingens, quia potest aliter esse, continuis enim obnoxia est mutationibus & semper alias atque alias habet repræsentationes, neque ullam in nobis deprehendimus rationem sufficientem, cur potius existamus, quam non existamus.

§. CCLXXXV.

Ergo anima nostra non est Ens necessarium, hinc oportet sit Ens aliquod necessarium extra illam (§. 282.).

§. CCLXXXVI.

Ex mundo porro existentia Entis absolute necessarii sic demonstratur. Hunc mundum & hanc rerum seriem existere, Experientia testis est.

§. CCLXXXVII.

Mundus autem est Ens contingens, nullam enim involvit contradictionem, quin mundus quoad locum & tempus sive totum rerum nexum aliter esse possit, imo nullam etiam involveret contradictionem ipsum non existere (§. 283.): Ergo est Ens contingens.

§. CCLXXXVIII.

Hic mundus & universus rerum nexus est Ens contingens (§. 287.); quamobrem oportet adsit ratio sufficiens, cur potius sit, quam non sit, cur potius sic, quam aliter sit (§. 274.).

Ratio

§. CCLXXXIX.

Ratio illa sufficiens est, aut in ipso mundo & caussarum nexu, aut extra eum.

§. CCXC.

Non autem hæc ratio potest esse in ipso mundo & caussarum serie, alias mundus & totus caussarum nexus esset absolute necessarius: cum vero mundus & rerum nexus sit Ens contingens (§. 287.); non est absolute necessarius, & per consequens rationem existentiæ suæ & modi existendi non habet in se (juxta §. 283.).

§. CCXCI.

Cum vero rationem illam sufficientem non habeat in se, illa quærenda est in alio Ente extra mundum.

§. CCXCII.

Ergo oportet sit aliud Ens extra mundum, quod ab hoc rerum nexu est diversum, in quo ratio sufficiens continetur, cur hic potius rerum nexus existat & non alius.

§. CCXCIII.

Ens autem illud item est vel contingens, vel necessarium; si sit contingens, iterum oportet habeat Ens aliud extra se, in quo ratio sufficiens existentiæ suæ continetur.

§. CCXCIV.

Non datur progressus seriei caussarum in infinitum à priori (§. 275.): Hinc oportet tandem perveniamus ad Ens aliquod Primum, quod rationem plene sufficientem, tum existen-

tiæ suæ, tum aliarum rerum extra se, in se continet.

§. CCXCV.

Ergo datur Ens necessarium, quod non potest non existere, quod ab hoc mundo est diversum, & quod rationem in se continet, cur hic mundus potius existat, quam non existat; cur potius sic, quam aliter existat.

§. CCXCVI.

Et cum detur Ens absolute necessarium ab hoc Universo diversum, quod rationem sufficientem existentiæ tum animæ nostræ (§. 285.), tum totius Universi (§. 295.) in se continet: Ergo datur Deus juxta definitionem (§. 271.).

Dantur adhuc alii existentiam divinam demonstrandi modi, argumentis desumtis, vel à motu hujus Universi ascendendo ad primum motorem. Vel à rerum agentium dependentia & caussarum subordinatione perveniendo ad Ens aliquod independens. Vel à sapienti gubernatione totius Universi, quod sui ne quidem conscium est, unde ab alio Ente extra se oportet gubernetur. Vel ab admirabili & stupenda, tum totius universi, tum corporis etiam humani structura, tum universali rerum harmonia. Vel ab idea Entis perfectissimi. Vel ab infinito hominis desiderio. Vel tandem à Conscientia vel præmii vel pœnæ post bene vel male facta. Omnia autem hæc argumenta, ultimo excepto, ita comparata sunt, ut tandem in illo, quod a rerum contingentia desumitur, resolvantur.

* * * * *
* * * *
* * *

Sectio II.

De

Attributis ab Existentia Dei pendentibus.

§. CCXCVII.

Primum quod de re cognoscitur, & unde ratio reliquorum, quæ ei insunt, vel inesse possunt, redditur, dicitur Entis Essentia. Quicquid autem rationem sufficientem in sola essentia habet & ex ejus essentia sequitur, dicitur Attributum.

§. CCXCVIII.

Primum ergo quod de Deo cognoscitur, & ex quo reliqua sequuntur, quæ Deo competunt, est ipsius Essentia.

§. CCXCIX.

Primum autem quod de Deo cognoscitur, juxta demonstrata, est quod sit Ens absolute necessarium, reliqua autem omnia, quæ Deo competunt, inde fluere & rationem sufficientem in hac absoluta existentiæ necessitate habere, videbimus in sequentibus; unde sequitur Essentiam Dei in hoc consistere, quod sit Ens absolute necessarium.

Hoc exprimit nomen יהוה quod Deo tribuitur & in se comprehendit complexum omnium Attributorum divinorum, adeoque ejus essentiam & absolute necessariam existentiam, quam radix hebræa exprimit.

§. CCC.

Deum à se existere, sive necessario etiam S. Scriptura testatur, dum omnia quæ præter

Deum sunt, à Deo tanquam primo fonte derivat: Vide Esaj. XLI: 4. Psal. CXLVI: 6. Act. XVII: 25. Rom. IV: 17.

Divinitatem quidem sacræ Scripturæ hic nondum probavimus, nihilominus tamen ostendemus, ea quæ illa dicit cum principiis Rationis convenire, quod in demonstratione divinitatis ipsius deinceps suum habebit usum.

§. CCCI.

Quicquid autem ex Essentia Dei sequitur, & ab ea separari non potest, vocatur Attributum divinum.

Varia quidem numerantur Dei Attributa, quæ autem à se ipsis non differunt, sed distinguuntur tantum pro nostro concipiendi modo, nam quicquid in Deo est, est ipse Deus.

§. CCCII.

Ens à se vocatur, quod non opus habet vi alterius ad existendum; Deus autem est Ens necessarium, quod rationem sufficientem existentiæ suæ habet in seipso, per consequens non ab alio (§. 283. 295.): Hinc Deus est *Ens à se.*

§. CCCIII.

Quicquid nihil habet in se, quod rationem sui habeat in Ente alio, dicitur independens; Ens autem à se rationem existentiæ suæ non habet in alio & existere potest, etsi nihil aliud existat; unde cum Deus sit Ens à se (§. 302.), etiam *Independens* est.

CCCIV.

Ens absolute necessarium ita existit, ut oppositum ejus, hoc est, τὸ non existere involvat contra-

tradictionem : Quicquid vero ita existit, de eo nullum potest concipi tempus, quo existere cœperit aut desinat, adeoque nec initium nec finem habet ; quicquid autem nec initium nec finem habet, illud est æternum ; Deus ergo, qui est Ens absolute necessarium (§. 296.), est *Æternus.*

BOETIUS æternitatem definit, quod sit interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Consentit sacra Scriptura Hebr. XIII : 8. Apoc. I : 8.

§. CCCV.

Quod nec initium nec finem habere potest, illud etiam nec oriri nec interire potest : Ens autem compositum per combinationem vel dissolutionem partium oritur vel interit ; cum vero Deus nec existendi initium nec finem habeat (§. 304.) : Adeoque nec oriri nec interire potest : E. non est Ens compositum.

§. CCCVI.

Quicquid non est compositum, adeoque nullas habet partes, illud est Ens simplex ; Deus non est Ens compositum (§. 305.) : E. est Ens simplex.

§. CCCVII.

Illud ergo quod oritur & interit, adeoque est compositum, Deus esse nequit, uti omnes Dii fictitii.

§. CCCVIII.

Neque Deus potest esse corporeus, cum omne corpus sit compositum, adeoque etiam nec extensus est.

§. CCCIX.

Neque etiam per imagines potest repræsentari,

tari, quicquid enim vel pingitur vel ſculpitur eſt repræſentatio Entis compoſiti; cum autem Deus non ſit Ens compoſitum (§. 306.); etiam nec pingi nec ſculpi poteſt. Conſentit S. Script. Rom. I: 23.

Et ſi Deo in ſacra Script. tribuuntur membra corporis humani, ut oculi Pſal. XXXIII: 18. facies Gen. IV: 14. manus 1. Petr. V: 6. pedes Jeſ. LX: 13. 14. nihil aliud indicatur, quam ſimilitudo quædam, quæ inter uſum horum membrorum & Attributa quædam divina intercedit.

§. CCCX.

Deus rationem exiſtentiæ Univerſi in ſe continet (§. 296.), & præterea eſt Ens ſimplex (§. 306.), quibus Entibus vis activa tribuenda eſt (juxta principia Pſychologica): unde liquet illum etiam Vi activa præditum eſſe.

§. CCCXI.

Vis activa tamdiu ſeſe exerit, quamdiu ei non reſiſtitur, Deus eſt independens, ideo ipſi reſiſti nequit (§. 303.): E. ſemper actuoſus eſt. Quod etiam teſtatur S. Script. Joh. V: 17.

§. CCCXII.

Vivere dicitur, quod actuoſum eſt ex intrinſeco principio, cum vero Deus vi activa (§. 310.), & quidem continua (§. 311.), præditus ſit: Ipſi vitam competere dubitari nequit. Conſentit S. Script. Jer. X: 10.

§. CCCXIII.

Deus vi propria exiſtit (§. 302.), & independenter ab omni alio (§. 303.): Hinc etiam vitam habet in ſe & independenter ab omni alio: Quod etiam S. Script. Joh. V; 26. aſſerit.

Deus

§. CCCXIV.

Deus in se continet existentiæ omnium rerum extra se rationem sufficientem (§. 296.): Propterea etiam ratio sufficiens omnis actuositatis intrinsecæ, hoc est Vitæ, in ipso quærenda est; est ergo fons omnis vitæ extra se.

§. CCCXV.

Quia in Deo continetur ratio sufficiens existentiæ Universi & animarum nostrarum (§. 296.): talia etiam ipsi tribuenda sunt prædicata, ex quibus explicari potest, cur hic mundus & animæ nostræ potius existant, quam non existant; cur hic potius quam alius existat?

§. CCCXVI.

Nihil fit sine ratione sufficiente (§. 274.): Ideo etiam apud Deum oportet fuerit ratio sufficiens, cur potius hunc mundum cum his animabus creaverit, quam non creaverit, & potius sic quam aliter.

§. CCCXVII.

Ad rationem sufficientem, cur aliquis quid producere statuat, requiritur distincta repræsentatio illius rei; cum vero etiam Deus agat cum ratione sufficiente (§. 316.); sequitur Deum hunc mundum sibi distincte repræsentasse.

§. CCCXVIII.

Facultas autem rem distincte sibi repræsentandi vocatur Intellectus; cum autem Deus hanc facultatem possideat (§. 317.); Illi etiam competit *Intellectus*.

Si hic vox facultatis de Deo usurpata quenquam offendat,

dat, loco ejus substituat actum, & me sibi habebit consentientem. → § 341

§. CCCXIX.

Quum totum hoc Universum sit à Deo (§. 296.), & non à se (§. 290.), requiritur in Deo determinatio ad illud producendum, & quidem tale quale existit; talis autem determinatio præsupponit voluntatem; & cum mundus hic potuisset aliter esse (§. 287.), Deus maluit eum sic esse (per Exper.), idque libere, cum à nulla alia re extra se dependeat (§. 303.); Illi ergo competit *Voluntas libera.*

§. CCCXX.

Ens intellectu & voluntate libera præditum est Spiritus: Deus autem habet intellectum (§. 318.), & voluntatem (§. 319.), E. est *Spiritus.*

Sectio III.

De

Attributis ab Intellectu divino pendentibus.

§. CCCXXI.

Ens intelligens eoipso quo intelligit sui ipsius conscium est, Deus autem est Ens intelligens (§. 318.); E. semetipsum cognoscit.

§. CCCXXII.

Deus cognoscendo semetipsum etiam cognoscit quicquid nullam involvit contradictionem,

nem, hoc est, quid per se sit possibile; possibile enim id dicitur, quod nullam involvit contradictionem.

§. CCCXXIII.

Res igitur ideo possibiles sunt, quia Deus in intellectu sibi repræsentat illas nullam involvere contradictionem, per consequens ideo quid possibile est, quia Deus id sibi in intellectu suo repræsentat ut tale.

§. CCCXXIV.

Patet inde omnem rerum possibilitatem esse à Deo, & intellectum ejus esse fontem sive radicem omnis possibilitatis.

§. CCCXXV.

Si ergo nullus esset Deus, etiam nihil esset possibile.

Vide hæc demonstrata in Ill. WOLFII Theol. N. §. 192.

§. CCCXXVI.

Possibile est id quod nullam involvit contradictionem (§. 322.); mundus autem hic est Ens contingens, cujus oppositum nullam involvit contradictionem (§. 287.): E. præter hunc mundum plura sunt possibilia.

§. CCCXXVII.

Cum intellectus divinus sit fons omnis possibilis (§. 324.), Deus omnia possibilia cognoscit; quia autem plura sunt possibilia quam actu existunt (§. 326.), (quicquid enim actu existit vocabulo mundi hujus comprehendimus): E. Deus etiam plura cognoscit quam actu existunt.

Dari-

§. CCCXXVIII.

Dantur ergo poſſibilia, quæ nunquam exiſtunt, quia non comprehenduntur in hoc mundo; & talia quæ aut actu exiſtunt, aut in illo futura ſunt.

§. CCCXXIX.

Poſſibilia conſiderari poſſunt vel ut abſolute & in ſe ſpectata, & ſine relatione ad alia, vel ut in ſyſtemata redacta, hoc eſt, inter ſe connexa tum per coëxiſtentiam tum per ſucceſſionem.

§. CCCXXX.

Si Ens absque relatione ad alia ſpectatur in ſe, cognoſcuntur de eo omnia, quæ per ejus eſſentiam ſunt poſſibilia, nempe determinationes ejus eſſentiales & attributa, tum etiam modorum poſſibilitates & illorum variæ ſeries.

Vide WOLFII Theol. N. §. 143.

§. CCCXXXI.

Si vero poſſibile ſpectatur ut in ſyſtema redactum cum aliis, tum cognoſcuntur omnes relationes, quas ad alia poſſibilia habet, nempe totæ cauſſarum ſeries, per quas exiſtentia determinatur, modorum ſeries, qui ſucceſſive ei inexiſtunt, dependentia à coëxiſtentibus.

§. CCCXXXII.

Cognoſcuntur autem omnia de Ente, ſi cognoſcuntur ea quæ tum abſolute tum relate ad alia ei inſunt, cum non detur modus tertius illud conſiderandi.

§. CCCXXXIII.

Si poſſibilia, quæ in unum ſyſtema poſſunt redigi, conſiderantur tanquam in ſyſtema redacta, tunc

tunc etiam conſpicitur uniuscujusque ordo ratione coëxiſtentium & ſucceſſivorum : Ergo locus & tempus. cf. § 329

§. CCCXXXIV.

Cognoſcuntur omnia genera & ſpecies, ut & ſubordinationes, cum omnibus prædicatis cuicunque generi & ſpeciei convenientibus, omnes rerum numeri, quæ ad unamquamque ſeriem pertinent.

§. CCCXXXV.

Non minus omnes magnitudines, quæ dari poſſunt, cum omnibus ad ſe invicem rationibus. Hæc enim omnia, quæ nunc enarravimus, ad conſtitutionem Syſtematis pertinent.

§. CCCXXXVI.

Tale autem Syſtema, ſive ſeries rerum finitarum coëxiſtentium & ſucceſſivarum inter ſe connexarum vocatur *Mundus*.

§. CCCXXXVII.

Deus cognoſcit omnia poſſibilia (§. 327.); præter hunc Mundum autem adhuc alia ſunt poſſibilia (§. 326.), poſſibilia autem poſſunt conſiderari non tantum abſolute, ſed & ut in ſyſtemata redacta (§. 329.), tale autem rerum poſſibilium ſyſtema vocatur Mundus (§. 336.); Hinc alii Mundi præter hunc ſunt poſſibiles, Deus autem omnia poſſibilia cognoſcens etiam omnes Mundos poſſibiles præter hunc, qui actu exiſtit, cognoſcit.

§. CCCXXXVIII.

Deus cognoſcit ſemetipſum (§. 321.), & om-

nes Mundos poſſibiles (§. 337.) : Ergo cognoſcit quæcunque cognoſcibilia ſunt.

§. CCCXXXIX.

Quum Deus Entia poſſibilia cognoſcat non abſolute tantum, ſed & in ſyſtemata redacta (§. 337.), hoc eſt, omnes illorum relationes & omnia diſtinguibilia : Ille etiam omnia cognoſcit diſtincte, & nihil confuſe.

§. CCCXL.

Qui omnia Entia poſſibilia cognoſcit & quidem in ſyſtemata redacta, hoc eſt, omnes Mundos poſſibiles, ille etiam novit differentiam omnem quæ inter illos intercedit ; omnia autem diſtinguibilia in unoquoque mundo, & omnis differentia, quæ inter omnia ſyſtemata poſſibilia intercedit, perſpici non poteſt, niſi ſimul totum ſyſtema quoad coëxiſtentiam entium & quoad ſucceſſionem cognoſcatur, Deus autem habet talem cognitionem (§. 337. 339.) : E. Deus ſibi ſimul conſcius eſt eorum omnium, quæ ſingulis Mundis poſſibilibus inſunt, adeoque ea ſimul cognoſcit.

§. CCCXLI.

Facultas nonniſi agendi poſſibilitatem denotat : Deus autem omnia cognoſcit ſimul (§. 340.), adeoque nulla cognitio ipſi poſſibilis eſt quæ non actu detur, & in Deo Intellectus non eſt nuda facultas, ſed actus.

§. CCCXLII.

Per antea demonſtrata nunc patet, Intellectum divinum eſſe, tum ſui ipſius, tum omnium poſſibilium, diſtinctam & ſimultaneam repræſentationem. Intel-

§. CCCXLIII.

Intellectus illimitatus est, qui ad omnia possibilia simultanea & successiva sese extendit: Deo autem talis competit cognitio (§. 342.); E. Intellectus ejus illimitatus est.

§. CCCXLIV.

Major & perfectior Intellectus dari non potest, quam qui omnia possibilia, distinctissime, unico actu & simul sibi repræsentat: Intellectus divinus talis est (§. 327. 339. 340.): E. Intellectus divinus est perfectissimus.

§. CCCXLV.

Incomprehensibile est, cujus modum quo est & fieri potest, nobis non repræsentare valemus: Intellectus finitus habet tantum ideam successivæ repræsentationis; Intellectus vero divinus omnia distincte simul sibi repræsentat (§. 339. 340.): Unde intellectus finitus modum, quo id fieri possit, sibi repræsentare non valet: Intellectus ergo divinus intellectui finito incomprehensibilis est.

§. CCCXLVI.

Omniscius dicitur, qui scit omnia, quæcunque cognitu possibilia sunt, sive sint singularia sive universalia; Deus autem cognoscit seipsum (§. 321.), & omnia possibilia in se spectata & in systemata redacta (§. 337.); Adeoque evidens est Deum esse omniscium.

§. CCCXLVII.

Magnitudo autem Intellectus divini inde patet, quod Deus cognoscit non tantum vastissima mundi hujus corpora & spatia, sed etiam omnes res minimas, quæ ope Microscopii deteguntur,

maxima, minima, præsentia, præterita, futura, omnes rerum qualitates, modos, relationes, omnia genera & species, & quæ alia sunt, imo etiam omnia possibilia nunquam futura & abstrusissima quæque.

§. CCCXLVIII.

Essentia Entis consistit in ejus possibilitate, si nempe tantummodo qua Ens consideratur: Quia vero Intellectus divinus sibi omnia possibilia repræsentat (§. 327.), id impossibile est, quod Intellectus ejus sibi non repræsentat: E. ratio cur aliquid possibile sit in Intellectu Dei est quærenda (§. 324.): Cum vero Entis qua Entis Essentia consistat in ejus possibilitate: Hinc cum Intellectus divinus sit fons possibilitatis (§. 324.), etiam est fons Essentiarum.

§. CCCXLIX.

Intellectus divinus non est nuda facultas, sed actus (§. 341.), repræsentatio ergo possibilium sive Entium Essentiæ ei constanter inest; quicquid autem Deo semper actu inest, id ipsi essentiale est; cum vero per demonstrata repræsentatio possibilium Deo constanter insit, eam ob rationem Ideæ Deo essentiales sunt, noscendo nimirum semetipsum simul noscit quid sit possibile. Uti ergo Deus non concipi potest sine Intellectu, ita etiam non potest concipi sine Ideis rerum.

§. CCCL.

Dantur plura possibilia quam actu existunt (§. 326.): Hinc à mera rei possibilitate ad ejus existentiam nondum concludi potest; etsi ergo Intellectus divinus sit fons Essentiarum, hoc est

meræ

meræ possibilitatis rerum, propterea non est fons Existentiæ, sed radix Existentiæ deinde in alio attributo divino quærenda est.

Hæc monenda fuerunt, ne inde concludatur, quod dicimus Ideas rerum Deo essentiales esse, etiam existentiam rerum ipsi esse essentialem, adeoque necessariam; hæc enim toto cœlo a se invicem differunt, aliâs omnia possibilia etiam futura essent, quod contra §. 326., & Deus ad aliquid extra se producendum necessitaretur.

§. CCCLI.

Deus sine Ideis rerum concipi non potest, ipsique essentiales sunt (§. 349.): Hinc etiam sunt necessariæ.

§. CCCLII.

Quia Ideæ rerum sunt necessariæ (§. 351.), ideo etiam sunt immutabiles.

§. CCCLIII.

Cum Ideæ rerum Deo sint essentiales (§. 349.), etiam aliæ Ideæ ipsi inesse non possunt, ideo quoque non sunt arbitrariæ.

§. CCCLIV.

Ideo res possibilis est, quia datur ejus Idea in Intellectu divino (§. 324.), Possibilitas autem Entium constituit illorum Essentiam (§. 348.): Cum vero rerum possibilitatis necessitas dependeat ab Intellectu divino (§. 351.): Etiam necessitas Essentiarum à Deo sive Intellectu divino est.

Celeb. BULFINGERUS, qui prolixe probat, essentiarum originem ab Intellectu divino unice derivandam, neque in libera Dei voluntate & Decreto quærendam, in Dilucidationibus suis p. 17. ita loquitur: „Necessa„rium dicitur, cujus oppositum involvit contradictio„nem, (quicquid enim non involvit contradictio-

„ nem illud est possibile) igitur possibilia sunt ne-
„ cessaria. Quod necessarium est, illud ex necessario
„ fonte pullulat non arbitrario ; Neque enim in prin-
„ cipiato plus esse debet, quam in principio : Hacte-
nus Vir Celeb. Ratio autem cur Philosophi in hoc adstruendo prolixiores sint præcipue hæc est, ut Manichæismum hoc modo optime debellare queant, & omnes difficultates solvere, quæ circa Originem mali moveri solent. Neque metuendum est, si necessitas essentiarum adstruitur hoc modo aliquid Deo derogari, qui hac ratione non solus Ens necessarium maneat, de existentia enim Dei intelligendum est, quando vocatur Ens necessarium ; quando autem dicitur de essentia quod sit necessaria, id nonnisi de possibilitate intelligitur, quæ fundatur in Intellectu divino ; Ex eo tamen quod aliquid necessario possibile est non sequitur, illud necessario existere. Vide Ill. W. Th. N. parag. 194.

§. CCCLV.

Ideæ rerum Intellectui divino semper actu insunt (§. 349.), & propterea necessariæ (§. 351.), liquet illas etiam esse æternas. Ideas autem rerum, earum possibilitatem & Essentiam in Intellectu divino repræsentatam, esse unum idemque (§. 354.) demonstravimus. Cum ergo Ideæ rerum sint æternæ, etiam Essentiæ rerum ab æterno fuere in Intellectu divino ; & quoniam Intellectus divinus æternus est, etiam Essentiæ rerum sunt æternæ.

§. CCCLVI.

Cum Essentiæ rerum propterea æternæ sunt, quia ab æterno in Intellectu divino fuere : etiam earum æternitas à Deo est.

Rerum Essentiæ ergo non sunt aliquid extra Deum, quasi Intellectus divinus sibi aliquid extra se repræsentaret & in cognitione sua inde penderet : sed sunt ipse Intellectus divinus, qui sibi repræsentat quid sit possibi-

le

le sive non contradictorium ; procul ergo abest, ut hoc modo aliquid statuatur Deo coæternum, & nulla ideo Entia extra Deum existentia, quæDeus cognoscat & ab iis in creando pendeat, finguntur ; sed ipse Deus consideratur ut fons omnis essentiæ non tantum existentiæ ; imo si nullus Deus existeret, etiam nullæ darentur essentiæ (§. 325.).

§. CCCLVII.

Cum Ratione etiam S. Script. conspirat, perhibens Deum mundum sibi repræsentasse ab æterno, Act. XV: 18. & Intellectus ejus nobis incomprehensibilis, nam se extendit ad maxima, Psalm. CXLVII: 4. & minima, Matth. X: 3. & est immensus, Psal CXLVII: 5. est infinitus cum ad omnia se extendat & ultra ejus cognitionem alia dari non possit, Act. XV: 18. Hebr. IV: 13. est etiam perfectissimus. Jes. XLVI: 9. 10. ex quo dicto etiam patet, Deum seipsum cognoscere.

§. CCCLVIII.

Scientia simplicis Intelligentiæ est illa, qua Deus cognoscit quid sit possibile & quid actu existere possit, non vero se extendit ad id quid actu extiturum sit, hoc enim demum ex decreto noscitur.

Antecedenter nimirum ad decretum divinum omnia mere possibilia sunt, ut nulla adhuc sit differentia inter ea quæ extitura & quæ non extitura sunt.

§. CCCLIX.

Juxta definitionem Scientia simplicis Intelligentiæ se tantummodo extendit ad possibilia & quæ actu existere possunt : Hinc per eam nondum intelligitur, quod aliquid futurum sit.

§. CCCLX.

Per Scientiam Visionis intelligitur illa, qua Deus ab æterno cognoscit, quæ actu extitura sint in systemate hujus mundi, tum coëxistentia, tum successiva. Vocatur etiam Præscientia.

§. CCCLXI.

Deus cognoscit omnia possibilia, tum in se spectata, tum in systemata redacta (§. 337.): Hinc necessario etiam novit omnia, quæ per systema illud sunt possibilia, noscit ergo effectus rerum materialium omnes in nexu suo consideratos.

§. CCCLXII.

Et cum Deus omnia in systemate mundi distincte cognoscat (§. 339.), etiam præscit quid per animas hominum sit possibile, & integram seriem perceptionum & appetitionum earum, non minus decreta & cogitationes omnes novit. Hæc enim omnia ad nexum Universi pertinent.

§. CCCLXIII.

Et quia omnia simul & unico actu sibi repræsentat (§. 340.), etiam præterita & futura simul cognoscit, non tantum ergo omnia præscit, sed & omnia præterita recordatur.

§. CCCLXIV.

Systema mundi in se continet totum rerum nexum & quicquid per illum est possibile (§. 334.), ergo omnes etiam veritates universales: Quia autem Deus sibi repræsentat Entia in systemata redacta (§. 327. 329.): Etiam cognoscit omnes veritates universales.

§. CCCLXV.

Et quia Deus omnium rerum possibilium (§. 351.),

351.), & per consequens omnium etiam essentiarum Autor est (§. 354.), sub illis vero etiam veritates universales comprehendantur (§. 364.). Ille etiam Autor est omnium veritatum universalium, sive omnis veritas à Deo est.

Hoc ideo hic probavimus, ut infra suo loco inde inferre possimus veritates revelatas & illas, quæ rationis lumine innotescunt, sibi non contradicere, etsi priores humanam rationem transcendant, tamen non magis Deum habent Autorem quam posteriores; unde Theologi ad veritates probandas argumenta æque ex principiis Rationis quam Revelationis desumunt

§. CCCLXVI.

Cum Ideæ & Essentiæ omnium rerum sint æternæ (§. 355.), veritates autem universales in systemate rerum possibilium contineantur (§. 364.): Inde etiam veritates universales sunt æternæ, sive in Intellectu divino sunt ab æterno.

§. CCCLXVII.

Et non dantur novæ veritates, sed illæ, quæ existunt, tantummodo ab inventoribus deteguntur.

§. CCCLXVIII.

Deus scit omnes veritates universales (§. 364.), sub quibus necessario etiam comprehenduntur omnes particulares, & quidem simul (§. 340.): Ideo nullo modo fieri potest, ut Deus errare possit.

§. CCCLXIX.

Quia Deus cognoscit omnia possibilia (§. 327.), etiam scit quæ sint impossibilia, sive quæ in Ideis suis non ut possibilia continentur.

§. CCCLXX.

Ideæ rerum Deo sunt essentiales (§. 349.): Quicquid vero Deo essentiale est, illud absolute necessarium est, quia Deus est Ens necessarium (§. 296.): Ideo etiam cognitio rerum illi necessaria est: Sive Deus omnia necessario cognoscit.

Sectio IV.

De

Voluntate & Potentia Dei.

§. CCCLXXI.

Nihil fit sine ratione sufficiente (§. 274.): Ideo Deus etiam nihil agit sine ratione sufficiente: Ratio autem sufficiens actionum vocatur Motivum; unde si Deus aliquid vult, motivum adesse debet: Deum autem ideo aliquid velle, quia bonum est, infra videbimus.

Ne quenquam offendat si dicamus, Deum non sine motivis agere: sæpe enim etiam in systematibus Theologicis fit quæstio, quænam sit caussa impulsiva creationis hujus mundi? quænam redemtionis generis humani? inde tamen non sequitur Deum ad agendum determinari à principio extrinseco; contrarium enim statim demonstrabimus.

§. CCCLXXII.

Quando nos aliquid volumus, id ideo fit, quia putamus illud non impossibile esse: Deus autem scit omnia impossibilia (§. 369.), unde etiam non potest velle impossibile, E. viceversa omne, quod Deus vult, possibile est.

Pluræ

§. CCCLXXIII.

Plura adhuc mundi systemata, præter hoc quod actu existit, sunt possibilia (§. 326. 337.): Quia autem illa, etsi sint possibilia, tamen non existunt (§. 327.): Sequitur solam possibilitatem non sufficere, ut Deus aliquid velit.

§. CCCLXXIV.

Deus omnia scit ab æterno (§. 355.), & quidem distincte (§. 339.), hinc etiam scit, an ratio sufficiens adsit aliquid volendi; quicquid autem Deus vult, id vult propter rationem sufficientem (§. 371.), quamprimum ergo Deus rationem sufficientem scit cur aliquid velit, illud quoque vult, cum vero id cognoscat ab æterno (per demonstrata): E. quicquid vult ab æterno vult.

Quamprimum nempe aliquid vel appetibile vel aversabile cognoscitur, illud quoque cognoscens vel appetit vel aversatur. Ratio enim cur homines sæpissime aliquid boni vel mali non appetunt vel aversantur, hæc est, quod illud non ut tale cognoscunt.

§. CCCLXXV.

Cum ergo Deus omnia ab æterno distincte cognoscat & propterea ea quæ vult etiam ab æterno velit; Sequitur Deum in tempore nihil novi velle, quod non ab æterno voluerit, & uti omnia unico actu cognoscit (§. 340.); Etiam omnia unico actu vult.

Hæc ideo hic stabilimus, ut suo loco illis obviam ire possimus, qui decreta temporaria dari asserunt.

§. CCCLXXVI.

Deus est æternus (§. 304.), independens (§. 303.), & fons omnium rerum (§. 324. 354.): Inde

Inde est Ens omnium primum & independenter existit; E. à nulla externa vi cogi potest, ut aliquid velit.

§. CCCLXXVII.

Cum vero à nulla externa vi adigi possit ad volendum (§. 376.), sequitur illum semetipsum determinare ad volendum.

§. CCCLXXVIII.

Et sine principio extrinseco determinandi sese determinat (§. 376.): Hinc quidquid vult, sponte vult.

Quia essentiæ rerum non sunt aliquid extra Deum (§. 356); hinc metuendum non est, (cum demonstravimus, Deum omnes rerum essentias sibi ab æterno repræsentasse), illum propterea determinari à principio aliquo extrinseco.

§. CCCLXXIX.

Ratio objectiva, cur aliquid appetatur, illa dicitur, quæ desumitur ab objecto. Ita ratio objectiva existentiæ hujus Mundi desumitur ab ipso Mundo.

§. CCCLXXX.

Ratio subjectiva vero illa dicitur, quæ desumitur à subjecto agente, ita ratio subjectiva, cur Deus hunc Mundum creare decreverit, est ipse Deus decernens.

§. CCCLXXXI.

Deus agit propter rationem sufficientem, hoc est propter motiva (§. 371.): Unde liquet, ipsi perinde esse non potuisse, an hic Mundus existat, an vero alius; unde sapientissimæ ipsi oportet fuerint caussæ, cum hunc potius quam alium creare decreverit; ratio autem in objecto quærenda est

cur

cur Deo magis hoc quam illud creare conveniat mundi syſtema, datur E. ratio objectiva Creationis mundi.

Nonnulli dicunt, rationem ſufficientem eſſe ſolam voluntatem Dei, adeoque ratione objectiva opus non eſſe: ſed ita Deus ageret ſine reſpectu objecti; & ſi rationem in ſola voluntate Dei quærimus, inde quidem intelligi poteſt, quod Deus aliquid extra ſe producere velit, ſed non intelligitur, cur potius hoc quam illud producere decreverit, quod absque ratione objectiva concipi nequit. A voluntate ergo Dei dependet, quod potius aliquid producere decreverit quam non decreverit; cur autem potius hoc quam aliud velit, ejus ratio in Intellectu, hoc eſt, in repræſentatione objecti quærenda eſt, quod vocamus rationem objectivam: Quæſtio ergo huc redit, an Deus res extra ſe producendas tantummodo volendo intelligat, an vero intelligendo velit? Hoc eſt, an Deus ideo hoc præ altero velit, quia Intellectus ſibi id repræſentat ut fini ſuo convenientius? Quando ergo dicimus, dari rationem objectivam, cur hic potius mundus exiſtat, quam vero alius, ſimpliciter hoc affirmamus, quia Deus, qui omnia poſſibilia ab æterno cognoſcit, eum ſibi in Intellectu ſuo repræſentavit ut fini ſuo convenientiſſimum, ideo eum magis voluit producere, quam vero alium, adeoque intelligendo vult; antecedenter tamen ad decretum eum nondum ſibi repræſentat ut certo futurum: Poſtquam autem propter rationem ſufficientem hunc præciſe Mundum producere decrevit, illum cognoſcit ut certo futurum & tunc dicitur volendo intelligere: Alia ergo ratio eſt, cur Deus potius aliquid producere velit, quam non velit; alia deinde cur Deus potius hoc quam aliud velit, potius ſic quam aliter: Prior quærenda eſt in Potentia; poſterior vero in objecto, quod Deus ſibi repræſentat ut fini convenientiſſimum. Prolixiores hic fuimus, ut ſententiam illorum, qui nonniſi rationem ſubjectivam ſtatuunt, cum illis combinemus, qui etiam objectivam requirunt, hoc eſt, tam in Intellectu quam Voluntate divina quærunt.

Cum

§. CCCLXXXII.

Cum detur ratio objectiva, cur hic potius Mundus, quam alius exiſtat (§. 381.), in hoc Mundi ſyſtemate aliquid ſit oportet, quod illud à reliquis poſſibilibus (§. 337.) diſtinguit; quæ ratio eſt cur Deus hoc potius producere decreverit, quam aliud: Hinc ratio objectiva in differentia Mundi hujus aſpectabilis à cæteris poſſibilibus conſiſtit.

§. CCCLXXXIII.

Inde eſt, quod Deus omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentans (§. 337.) ſive Ideas illorum in Intellectu ſuo tanquam fonte perſpiciens, hunc præ cæteris producere decrevit.

§. CCCLXXXIV.

Perfectio mundi in eo conſiſtit, quod omnes rationes particulares rerum ſimultanearum & ſucceſſivarum tandem in aliquam generalem reſolvuntur.

§. CCCLXXXV.

Ratio generalis, propter quam omnia fiunt, vocatur finis ultimus: rationes autem particulares, quæ fini ultimo ſunt ſubordinatæ, vocantur fines ſubordinati, qui in finem ultimum debent reſolvi.

§. CCCLXXXVI.

Ratio generalis propter quam aliquid fit vocatur finis (§. 385.): Hinc cum ratione agere, eſt propter finem agere; quia autem Deus agit cum ratione (§. 371.), etiam propter finem agit.

§. CCCLXXXVII.

Perfectio mundi in eo conſiſtit, quod omnes ratio-

rationes sive fines particulares tendant ad generalem (§. 384.): hinc quo magis omnes particulares ad finem generalem tendunt, eo perfectior etiam Mundus est.

§. CCCLXXXVIII.

Quia Deus propter finem agit (§. 386.), & ille mundus perfectus est, ubi omnia in finem aliquem generalem resolvuntur (§. 387.); Haud dubie Mundus ille est perfectissimus, qui fini divino est convenientissimus.

§. CCCLXXXIX.

Intellectus divinus sibi omnia repræsentat distincte (§. 339.), & simul (§. 340.) propterea cognoscit, quodnam sit convenientissimum medium ad finem suum consequendum; ab ignorantia enim est, quod spiritus finitus non semper optima eligat media. Cum vero Deus hunc Mundum præ cæteris possibilibus producere decrevit (per Exper.), etiam fini suo est convenientissimus (per demonstrata), & propterea etiam perfectissimus (§. 388.).

Quando dicimus, Mundum hunc omnium possibilium esse perfectissimum, id non intelligitur nisi de perfectione quæ in mundum cadere potest: est perfectissimus in suo genere, & propterea non est Ens omnium perfectissimum. cf. § 457

§. CCCXC.

Ex principiis cosmologicis imperfectiones apparentes in parte non tollunt perfectionem in toto, sed cum majore perfectione totius cohærent, ac ideo admittendæ, ut major in toto obtineatur perfectio (vide W. cosmol. §. 547. 548.), & ad cognitionem totius Universi Intellectus infinitu requi

requiritur (§. 345.), finitus autem omnes rationes particulares perspicere nequit : Propterea adversus Mundi hujus perfectionem ab apparentibus, quas in illo observamus, imperfectionibus argumentari non licet. §405 nota, pag. 100

§. CCCXCI.

Maxime id placet quod perfectissimum est, nec etiam ab hominibus aliquid appetitur, nisi sub specie boni (per Exper.) : Quia autem Deus Mundum hunc præ aliis possibilibus producere decrevit, propterea quia est perfectissimus (§. 389.), & omnia distincte sibi repræsentat (§. 339.) : Ideo etiam omnem rerum perfectionem intelligit, & omnem perfectionis gradum ; Sequitur hunc mundum Deo placere.

§. CCCXCII.

Quicquid placet Enti rationali, id vult libenter, quia vero hic mundus Deo placet (§. 391.), Ideo Deus illum lubentissime vult.

§. CCCXCIII.

Cum Deus Mundum perfectissimum (§. 389.) produxerit, per se patet illius Potentiam etiam omnibus possibilibus producendis sufficere. Si enim omnia possibilia ad potentiam Dei referuntur, nulla in iis deprehenditur differentia.

§. CCCXCIV.

Omnipotens est is, qui facere potest omnia possibilia, Deus producere potest omnia possibilia (§. 393.) : E. Deus est *omnipotens*. 4. §413

§. CCCXCV.

Miraculum est ejusmodi effectus, qui neque

ex

ex essentia, neque ex vi creaturarum aut mundi secundum statum antecedentem consequitur.

SPINOZA Miraculum explicat per effectum, cujus causas ignoramus, etsi sint naturales ; sed mirabile cum Miraculo confundit. Eundem etiam errorem committit CLARCKIUS, qui ad miraculum requirit, ut rarum quid sit & extraordinarium. LEIBNITIUS in Theodicæa (§. 249.) illa distinguit in majora & minora, per majora exprimit vera miracula, per minora vero id intelligit, quod alias mirabile vocatur, cujus caussæ naturales nos latent.

§. CCCXCVI.

Miracula sunt possibilia. Mundus enim est Ens contingens, quod per totum rerum nexum aliter esse potest (§. 287.), ideo etiam leges motus sunt contingentes; quicquid autem est contingens, ejus oppositum non involvit contradictionem (§. 283.): Quicquid autem nullam involvit contradictionem est possibile (§. 322.); Hinc possibile est, à Caussa extramundana omnipotente in mundo tales effectus produci, qui effectibus hujus rerum nexus sunt oppositi, & in essentia & vi Universi non fundati sunt, cum propter contingentiam mundi eventus aliter esse possint: Tales autem effectus vocantur Miracula (§. 395.): E. Miracula sunt possibilia.

Miracula autem sunt possibilia, vel intrinsece, quia totus rerum nexus in Universo ut contingens immutari potest & leges naturales suspendi. Extrinsece autem, quia datur talis Caussa extra mundum, quæ omnia infinita sua omnipotentia efficere potest.

§. CCCXCVII.

Cum Miraculum talis sit effectus, qui non fundatur in essentia aut vi creaturarum Universi (§.

395.), sequitur Miracula produci à caussa, quæ est extra nexum rerum & à mundo plane diversa.

§. CCCXCVIII.

Deus facere potest omnia possibilia (§. 393.), Miracula autem sunt possibilia (§. 396.); Unde etiam facere potest Miracula.

§. CCCXCIX.

Deus potest Miracula facere (§. 398.), Miracula vim Universi superant (§. 395.): E. facere potest, quæ vim Universi excedunt.

§. CD.

Deus omnia ab æterno vult, & quidem unico actu (§. 374. 375.), hinc non potest non velle, sive nolle in posterum, quod antea voluit; sive velle quæ antea noluit, alias ille actus volendi non esset æternus, unde semper idem vult; & quia omnia vult unico voluntatis actu, hinc non potest idem simul velle & non velle: Unde Voluntas ejus immutabilis est.

Sive hoc modo etiam Immutabilitas Voluntatis ipsius patet: Quia Deus cognovit omnia distincte (§. 339.), & simul (§. 340.): Judicium suum de rebus mutare non potest; quod enim homines sæpissime judicium suum mutent, inde est, quod objectum non cognoscunt; hinc quia judicium Dei de rebus immutabile est; ideo id quod Deo ab æterno placuit, etiam nunc & in æternum placet, E. etiam Voluntas ipsius immutabilis est.

§. CDI.

Pœnitet eum alicujus rei, qui factum infectum fieri mallet, & qui non vult amplius quod antea vole-

volebat; Voluntas autem Dei nunquam mutatur (§. 400.) : Unde Deum non pœnitere potest ejus quod fecit.

§. CDII.

Id Deum decet, quod cum summis suis perfectionibus convenit, sed sine dubio convenit perfectissimum facere præ minus perfecto ; cum autem Mundus hic qui existit omnium possibilium sit perfectissimus (§. 389.), Deum etiam decet illum qua perfectissimum producere.

§. CDIII.

Voluntas illa est perfectissima, quæ non vult nisi perfectissimum, Deus autem vult quod perfectissimum est, dum voluit mundum perfectissimum existere (§. 389.) : Quamobrem ex hoc Mundo concludere possumus, Voluntatem Dei esse perfectissimam.

Ita hicce Mundus scala est, qua ad Creatorem ascendere licet, & ex quo summas Creatoris perfectiones cognoscere possumus.

§. CDIV.

Spiritus perfectissimus est, qui perfectissimo gaudet intellectu & perfectissima voluntate, Deus autem habet Intellectum perfectissimum (§. 344.), & Voluntatem perfectissimam (§. 403.): E. est Spiritus perfectissimus.

§. CDV.

Deus perfectionem mundi æstimat ex convenientia ejus cum fine ultimo (§. 488.), perfectio autem mundi in hoc consistit, si omnes rationes sive fines speciales tendunt ad generalem (§. 387.) : Hinc perfectio rationum specialium

æſtimanda eſt in relatione ad generalem ſive totum Univerſum.

Si ergo in rerum natura quædam videmus, quæ imperfecta nobis videntur, judicandum propterea non eſt, illa eſſe imperfecta, cum nonniſi ex relatione ad totum Univerſum æſtimari poſſint ; perfectiſſimum enim cenſendum eſt in ſuo genere, quod facit ad majorem perfectionem totius Univerſi : omnis enim pars habet relationem ad totum, qui ergo de perfectione partium vult judicare vel de earum imperfectione, illum totum noſcere oportet.

§ 389 f. 409 f. 420 428 430 f. 502 511 720

§. CDVI.

Bonum in ſe eſt, quod habet perfectionem tam eſſentialem quam accidentalem. Bonum vero in relatione ad aliud vocatur, vel quod ad ejus perfectionem aliquid tribuit, vel ejusdem ſignum eſt.

§. CDVII.

Independens dicitur, quicquid nihil habet in ſe quod rationem ſui habeat in Ente alio, Deus autem eſt independens (§. 303.), hinc nihil in ſumma Dei perfectione concipi poteſt, cujus ratio in alio Ente extra Eum continetur, unde nullum Ens ab ipſo diverſum ad ſummam ejus perfectionem aliquid contribuere poteſt, & Bonum in relatione ad Deum nihil quicquam dici poteſt, niſi quatenus ſummæ ejus perfectionis ſignum eſt.

§. CDVIII.

Cum in relatione ad Deum aliquid bonum eſt, quatenus eſt ſignum ſummæ ipſius perfectionis (§. 407.), per ſummam autem Dei perfectionem non poteſt intelligi, niſi complexus omnium Attributorum divinorum, ſive tota Divinitatis plenitudo : E. in relatione ad Deum nihil

hil Bonum judicari potest, quam quod omnia ejus Attributa refert, sive eorum signum est, sive adumbratio.

Perfectio nimirum divina non tantum in uno Attributorum suorum consistere potest, quasi Deus aliquid facere posset tantum unico & non omnium reliquorum Attributorum respectu habito, cum tamen omnia divina Attributa unum sunt, & tantum pro nostro concipiendi modo à seinvicem distinguuntur. Hanc vero propositionem hic demonstravimus, ut infra de pœna mali moralis agentes Justitiam Dei vindicare possimus, ut & ejus Sapientiam in permissione mali.

§. CDIX.

Perfectio aut imperfectio partium hujus Universi non potest æstimari nisi ex perfectione totius, sive in relatione ad totum, (§. 405.), Et in relatione ad Deum bonitas alicujus rei non potest æstimari nisi referatur ad omnia Dei Attributa (§. 408.); Creaturæ finitæ autem nec totum Universum, nec omnes singularum ejus particularum ad totum relationes, nec infinitum Dei Intellectum (§. 345.), nedum omnia ejus Attributa cognoscere & comprehendere possunt, propter intellectus sui limitationem: Quapropter nemo hominum de perfectione alicujus rei aut imperfectione judicare potest eo modo, quo Deus de iis judicat.

Neminem hominum esse arbitror, qui tantis de se imbutus sit præjudiciis, qui sibi persuadere audeat, se omnia & maxima & minima, totum rerum in hoc Universo nexum, omnia genera & species, omnes omnium rerum ad seinvicem relationes, totam rerum omnium coëxistentium & successivorum seriem, nedum omnia ea, quæ in Dei Infinitudine comprehenduntur, habere perspecta. Hoc vero hic demonstravimus

vimus ut infra singulares Providentiæ divinæ actus adversus ejus adversarios defendere possimus.

§. CDX.

Cum omnes omnium rerum rationes particulares & ad totum relatio nobis sit incognita (§. 409.), etiam Deus aliquid velle potest, cujus rationes nobis sunt incognitæ.

§. CDXI.

Iis quæ hactenus diximus & ex Rationis principiis demonstravimus, etiam S. Script. assentit; dum asserit, Mundum hunc esse perfectissimum, sive per hebraismum valde bonum, hoc est fini divino convenientissimum, Gen. I: 31. & omnia vult ab æterno 2. Tim. I: 9. 1. Cor. II: 7. est omnipotens Psal. CXV: 3. Gen. XVII: 1. Jer. XXXII: 17. & plura potest facere quam homo intelligit Ephes. III: 20. & potest facere Miracula. Jos. X: 12. 13. Exod. IV. seqq. & in N. Test. passim in Evangeliis & Actis.

§. CDXII.

Deus rationem Existentiæ suæ non habet in Ente alio (§. 303.), adeoque nec Conservationem quæ est continuata existentia; est etiam Spiritus perfectissimus (§. 404.), & omnipotens (§. 394.), cujus ergo nec perfectio nec potentia augeri potest: Hinc Deus nulla re extra se indiget, nec ad sui conservationem, nec perfectionem: neque alieno indiget auxilio: Et cum sit omniscius (§. 346.), etiam Scientia ipsius augeri non potest.

§. CDXIII.

Deus cognoscit semetipsum (§. 321.), & omnia

omnia possibilia etiam in systemata redacta (§. 337.), & quidem ab æterno (§. 355.), & scit se omnia ad actualitatem perducere posse (§. 394.): Quapropter si Deus aliquid emolumenti aut voluptatis ex intuitu rerum à se diversarum percipere posset, eam æque perciperet sive res actu existerent sive non existerent, unde Deus nulla re extra se indiget voluptatis percipiendæ gratia.

§. CDXIV.

Sibi Sufficiens est, qui nulla plane re, quocunque modo sit, extra se indiget.

§. CDXV.

Cum vero Deus nulla re extra se indigeat neque ad existentiam (§. 303.), nec ad conservationem & perfectionem (§. 412.), neque ad cognitionem (§. 412.), neque ad voluptatem (§. 413.): Etiam sibi soli sufficiens est.

Theologus & Philosophus ille Celeberrimus HERM. ALEX. ROELLIUS, *in Oratione sua de Religione rationali* §. *XVI.* Sufficientiam divinam egregiis hisce describit verbis. *Eam vero* (Mentem) *sibi sufficientem, & in se sola beatam, & satis suis bonis divitem, & sui in summa solitudine plenam, & nullius rei indigam, & gaudio, supra quam concipere animus, aut eloqui lingua queat, abundantissimam esse, facile agnoscet, quisquis in mentis perfectissima contemplatione atque obtutu paulisper oculos fixerit.*

§. CDXVI.

Talis etiam describitur Act. XVII: 25.

§. CDXVII.

Quia Deus sibi sufficientissimus est (§. 415.), & nulla re extra se indiget, hinc quoad ipsum indifferens est, sive Mundus existat, sive non exi-

stat, nulla ergo adfuit necessitas intrinseca apud Deum, cur aliquem produceret; E. Mundum produxit absque coactione intrinseca.

§. CDXVIII.

Voluntas illa liberrima est, quæ citra coactionem sive externam sive internam sponte eligere potest, quod ipsi placet. Voluntas autem Dei agit sine coactione externa (§. 376.), & interna (§. 417.) sed sponte (§. 392.): E. Voluntas ipsius liberrima est.

§. CDXIX.

Casus purus est actualitas destituta ratione sufficiente; Deus autem agit propter rationem sufficientem (§. 371.): E. Actus voluntatis divinæ non est casus purus.

§. CDXX.

Deus omnia vult unico voluntatis actu (§. 375.), & rerum particularium perfectionem æstimat in relatione ad totum Universum (§. 405.), Mundum autem hunc ideo voluit, quia in suo genere est perfectissimus (§. 389.), perfectio autem in eo consistit, quod omnes rationes particulares resolvuntur in generalem (§. 387.): Ex quibus patet, Deum nihil in particulari velle, nisi in relatione ad totum Universum.

Propositionis hujus usum videbimus infra, ubi agendum de Providentia Dei circa malum: maximæ nimirum, quæ de Origine mali oriuntur sive moventur difficultates inde ortum suum trahunt, quia homines ex rebus particularibus in se spectatis de toto judicare solent, vide §. 408., & non omnium divinorum Attributorum simul sumtorum rationem habent (§. 408.).

Sectio

Sectio V.

De
Decretis Dei in genere.

§. CDXXI.

Expositis iis, quæ in Theologia de Voluntate divina scitu necessaria sunt, sequuntur & ex prioribus intelligi possunt ea, quæ Decreta divina attinent.

§. CDXXII.

Per Decretum divinum intelligimus, determinationem Voluntatis de hoc Universo ad actum producendo.

§. CDXXIII.

Decretum divinum Universale, quia totum Mundum respicit, omnia particularia quæ in Mundo comprehenduntur maxima & minima in se comprehendit, accipit nomen Decretorum particularium, quando ad hoc vel illud individuum abstracte consideratum refertur.

§. CDXXIV.

Cum Decretum sit determinatio Voluntatis divinæ (§. 422.): Hinc omnia ea, quæ de Voluntate Dei dicta fuere, etiam de Decretis asseri possunt.

§. CDXXV.

Deus omnia ab æterno voluit (§. 374.), ideo etiam Deus omnia decrevit ab æterno.

§. CDXXVI.

Impossibile est, ut Deus in tempore aliquid velit, quod antea eo tempore fieri noluit, vel ut

nolit aliquid, quod antea fieri voluit (§. 400.), etiam impoſſibile eſt, ut Deus in tempore decernat: Nulla E. dantur Decreta temporaria.

§. CDXXVII.

Voluntas Dei eſt liberrima (§. 418.): E. etiam Decreta ſunt liberrima.

§. CDXXVIII.

Voluntas Dei non eſt caſus purus (§. 419.): Hinc etiam Decretum divinum non eſt caſus purus.

Etſi enim rationem ſufficientem, cur Deus hoc vel illud faciat, raro aſſequamur, id finito Intellectui noſtro & ignorantiæ nexus rerum adſcribendum eſt, neque propterea ratio ſufficiens in actionibus divinis neganda, quia eam non perſpicimus: Propter id enim, quod in re obſcurum nobis videtur, non negandum id quod clarum eſt.

§. CDXXIX.

Voluntas Dei eſt immutabilis (§. 400.): E. & Decretum eſt immutabile.

§. CDXXX.

Deus aliquid velle poteſt, cujus rationes nobis ſunt incognitæ (§. 410.), hinc etiam Deus decernere poteſt, quæ, cur decernat, homo intelligere nequit.

§. CDXXXI.

Imperſcrutabile eſt, cujus rationes nobis non penitus ſunt perſpectæ; Decreti divini rationes nobis non penitus perſpectæ ſunt (§. 430.): Unde & Decretum divinum nobis imperſcrutabile eſt.

§. CDXXXII.

Quando Deus aliquid vult, rationem habet tum

tum omnium suorum Attributorum simul sumtorum (§. 389. coll. cum 408.), tum totius Universi (§. 420.): Liquet ipsum nihil decernere nisi in relatione ad omnia sua Attributa & totum Universum.

§. CDXXXIII.

Hinc nonnisi per omnia Attributa divina simul sumta & per considerationem totius Universi judicari potest, cur Deus aliquid decreverit.

§. CDXXXIV.

Incomprehensibile est id, cujus modum, quo est vel fieri potest, nobis repræsentare non valemus (§. 345.): Cum autem intellectus finitus nec totam Divinitatis plenitudinem, nec totum hoc Universum sibi repræsentare valeat (§. 409.), & Deus omnium horum simul sumtorum in Decretis rationem habeat (§. 432.): Etiam illius Decreta homini sunt incomprehensibilia.

§. CDXXXV.

Deus omnia vult unico actu (§. 375.), & hunc Mundum tanquam Ens unicum considerat, dum omnia quæ vult, vult in relatione ad Universum (§. 420.): Hinc omnia unico actu decernit, & Decretum nonnisi numero unicum est.

§. CDXXXVI.

Decretum Dei est determinatio Voluntatis divinæ de Universo hoc ad actum producendo (§. 422.), Decretum autem hoc est immutabile (§. 429.): Inde id, quod Deus decrevit, certo futurum est.

Ex superioribus nempe patet, res quatenus ad Intellectum Dei referuntur esse tantum possibiles, quatenus autem

autem ad voluntatem referuntur fiunt futuræ, sive ex statu meræ possibilitatis per Decretum transeunt in statum futuritionis.

§. CDXXXVII.

Cum id quod Deus decrevit certo futurum sit: Ille qui Decretum divinum novit, etiam scit, quid futurum sit.

§. CDXXXVIII.

Deus noscit semetipsum (§. 321.), ergo etiam Decretum suum; Decretum autem respicit totum Universum (§. 432.): Et cum Deus sciat quid decreverit, etiam scit quid in toto Universo futurum sit, E. etiam cogitationes & actiones nostras liberas & quicquid in hoc Mundo fit & futurum est.

§. CDXXXIX.

Rerum possibilitas pendet ab Intellectu divino, quatenus Idea illarum in Intellectu divino continetur (§. 323.), Decretum autem nihil aliud est, quam Derminatio ad hoc Mundi systema ad actum producendum (§. 422.), adeoque Decretum rei nihil addit nisi certitudinem existendi, sive quod ex possibili, qualis antea in Intellectu Dei erat, fit futura: E. Decretum divinum in re decreta nihil mutat.

§. CDXL.

Cum per Decretum Dei in re decreta nihil mutetur (§. 439.), Eæ res, quæ in statu possibilitatis spectari possunt ut contingentes, in statu futuritionis manent contingentes, & quæ spectari possunt ut liberæ, manent liberæ: E. Decretum divinum nec rerum contingentiam, nec actionum rationalium libertatem tollit.

Hac

Hac propositione opus habebimus infra, quando nobis defendendum erit, Decretorum divinorum certitudinem & immutabilitatem libertatem actionum moralium minime tollere, & quando nobis explicandum erit, quo sensu reformati Decretum absolutum statuant, & quantum illud à fato stoico differat. II. §63

§. CDXLI.

Et cum Decretum in rebus nihil mutet (§. 440.), nec etiam Præscientia Dei rerum ut futurarum in iis aliquid mutat.

§. CDXLII.

Necessitas hypothetica est, vi cujus omnia in Universo ita contingunt, ut posita caussa etiam ponatur effectus, & ad finem consequendum necessaria sint media, ita ut totus rerum nexus contingens maneat, etsi à caussa aliqua prima dependeat.

§. CDLXIII.

Cum autem Decretum divinum nec rerum nexum (cum totum Mundum, hoc est, nexum rerum simultanearum & successivarum comprehendat, qualis in Intellectu divino antecedenter ad Decretum repræsentatus fuit) nec contingentiam & actionum libertatem tollat (§. 440.): Patet, quod etsi Decretum sit immutabile, nihilominus omnia nonnisi necessitate hypothetica in hoc Mundo fiant.

§. CDXLIV.

Fatum, quod vocatur, stoicum, talem rerum in hoc Mundo statuit necessitatem, ut actiones hominum liberæ tollantur, ut & rerum contingentia: Decretum vero divinum hæc non tollit (§. 440.): Sequitur illud cum veritate non consistere.

Minus

§. CDXLV.

Minus adhuc Fatum Muhammedanum, si verum est, quod omnia motiva & media ita excludat, ut effectus sequatur, sive media & caussæ absint, sive adsint.

§. CDXLVI.

Nec ergo cum principiis Rationis consistet Fatum SPINOZÆ, qui quidem media subordinabat fini, omnem tamen rerum contingentiam ex Universo excludebat.

§. CDXLVII.

Si vero per Fatum nihil aliud intelligatur, quam rerum futurarum certitudo, tunc tale certis nitens principiis (§. 436.) admittendum est.

Egregie de hac re disserit Celeberrimus ille Medicus HOFFMANNUS *in Dissert. de Fato Physico & Medico.* §. 9. & 10. „ Profitemur per fatum nihil aliud esse „ intelligendum, quam necessitatem, aut si mavis „ Certitudinem quandam eventuum & effectuum, qui „ fuerunt, sunt & erunt in Universo, à certo rerum & „ caussarum ordine, nexu ac serie pendentem, atque „ adeo cum in rebus physicis & medicis, tum etiam in moralibus, politicis, quinimo ipsa in Theologia Fatum, sano sensu acceptum, admitti posse „ existimamus.

§. CDXLVIII.

Deus cognoscendo semetipsum etiam noscit Decretum suum (§. 438.), Decretum autem Dei est æternum (§. 425.): E. etiam omnia præscivit ab æterno.

§. CDXLIX.

Malum metaphysicum est defectus ulterioris sive majoris perfectionis in re, consistit ergo in limitatione determinationum essentialium.

Termi-

Termino mali metaphyſici ideo uſi ſumus, quia modernis Philoſophis conſuetus & receptus eſt, unde lingua illa utimur, quæ hodie maxime in uſu eſt; ſi vero quis ſit, quem terminus hic offendere poſſit, lubentiſſime illum rejicimus, & illius loco, abſentiam ulterioris realitatis atque perfectionis in creaturis ſubſtituimus. Ratio cur Philoſophis termino hoc uti placet, præcipue hæc eſt, quod commodius oſtendi poſſe putant, quomodo malum morale oriri potuerit, & ut divina Attributa Providentiamque contra difficultates à malis tam phyſicis quam moralibus deſumtas defendere poſſint. Idem vero etiam ex ulterioris perfectionis ac realitatis in creaturis abſentiæ neceſſitate demonſtrari poteſt.

§. CDL.

Malum phyſicum vero id dicitur, quod ſtatum rerum, quoad effectus naturales, imperfectiorem reddere cenſetur, quam forent, ſi alii eſſent.

§. CDLI.

Malum autem morale id eſt, ob quod actiones hominum liberæ dicuntur vitioſæ.

§. CDLII.

Quicquid infinitum eſt, illud aliter eſſe non poteſt, nam perfectiones non poſſunt eſſe majores, alias non eſſet infinitum; nec minores, nam tum non amplius eſſet infinitum; nec aliæ, nam hoc in caſu non omnes perfectiones actu poſſideret: Ens ergo contingens, quale hic Mundus, cum aliter eſſe poſſit (§. 283.), non poteſt eſſe Ens infinitum, ergo oportet ſit Ens finitum.

§. CDLIII.

Cum idem ſimul eſſe & non eſſe non poſſit (§. 273.), etiam Ens contingens, hoc eſt, finitum (§. 452.) non poteſt ſimul eſſe infinitum, ſive non finitum.

Cujus

§. CDLIV.

Cujus oppositum autem contradictionem infert, illud est absolute necessarium, oppositum vero Entis contingentis sive finiti (§. 452.), quod nempe possit esse infinitum, contradictionem involvit (§. 453.): Ens ergo contingens finitum esse & non infinitum, est absolute necessarium.

§. CDLV.

Finitum est, cujus Essentia & natura sive perfectiones limites habent, quod ergo limitatum est. Malum autem metaphysicum consistit in illa limitatione determinationum essentialium (§. 449.): Quicquid ergo contingens, per consequens finitum est, illi malum metaphysicum inest.

§. CDLVI.

Entia contingentia finita esse, absolute necessarium est (§. 454.), cum vero malum metaphysicum consistat in illa finitudine sive limitatione determinationum essentialium (§. 449.): E. Malum metaphysicum in rebus contingentibus absolute necessarium est.

§. CDLVII.

Cum Mundus etiam perfectissimus (§. 388.) sit Ens contingens (§. 287.), consistens ex Entibus finitis (§. 336.), adeoque limitatis, & in limitatione illa malum metaphysicum consistat (§. 449.); Hinc mundus etiam perfectissimus sine malo metaphysico esse non potest. cf. § 389

§. CDLVIII.

Omnipotentia divina sese extendit ad omnia possibilia (§. 393.), Mundum vero etiam perfecti-

ctiſſimum absque Malo metaphyſico eſſe, impoſſibile eſt (§. 457.) : Hinc Deus nec per Omnipotentiam ſuam Mundum absque Malo metaphyſico producere poteſt. § 748

Talem enim potentiam velle fingere, quæ etiam ad impoſſibilia ſeſe extenderet, eſſet talem potentiam fingere, quæ ipſa contradictoria eſſet, cum contradictoria efficere poſſet ; quicquid vero contradictionem involvit, illud impoſſibile eſt : E. & talis imaginaria potentia impoſſibilis eſt.

§. CDLIX.

Quoniam Decretum divinum in rebus nihil mutat, ſed eas tales extituras determinat, quales Intellectus divinus ſibi repræſentat (§. 439.) : E. nec per Decretum limitationes eſſentiales ſuperadduntur.

§. CDLX.

Deus nihil in particulari decernit, ſed rationem habet totius Univerſi (§. 432.) : Mundum autem hunc ideo producere decrevit, quia fini ſuo eſt convenientiſſimus, hoc eſt, perfectiſſimus (§. 389.) ; unde Deus in particulari nihil decrevit, niſi quatenus pars eſt Mundi perfectiſſimi, E. illum non producere decrevit propter Malum metaphyſicum, quod à Mundo abeſſe non poteſt (§. 457.).

§. CDXLI.

Malum Phyſicum & Morale eſt imperfectio rerum particularium in ſe conſideratarum ; Imperfectio autem partis in relatione ad totum apparens eſſe poteſt, & conferre ad perfectionem totius (§. 405.) : Hinc cum Mala illa ſint tantum imperfectiones in hoc vel illo ſubjecto in ſe

spectato : E. propterea perfectionem totius Universi non tollunt.

§. CDLXII.

Malum physicum & morale nexui rerum in hoc Mundo implicitum est (per Exper.); Essentia autem Mundi consistit in nexu illo rerum (§. 336.) : unde, nisi nexus rerum turbetur, Malum illud ex Mundo tolli non potest.

§. CDLXIII.

Ad aliquid in Mundo efficiendum, quod non fluit ex nexu rerum (§. 395.), requiritur Miraculum : Cum vero Malum physicum implicatum sit nexui rerum : Nonnisi per Miraculum ex Mundo aufferri potest.

§. CDLXIV.

Malum physicum autem & morale sunt imperfectiones rerum particularium (§. 461.) : Hinc quot rebus inest, tot opus esset Miraculis ad illud tollendum.

§. CDLXV.

Malum physicum & morale est implicitum nexui rerum in Universo (§. 461.), nexus autem ille est contingens (§. 287.), per consequens hypothetice necessarius (§. 442.) : Unde etiam malum physicum & morale est tantum hypothetice necessarium.

Hac propositione opus est ad refutandos Manichæos.

§. CDLXVI.

Hic Mundus simul sumtus, sive hæc rerum series est perfectissima (§. 389.) : Cum malum physicum & morale huic rerum nexui sive seriei sit

sit implicitum (§. 461.), tolli omne ex Mundo non potest, nisi omnis illa series, cui implicitum est, turbetur (§. 462.): Si autem non maneret hæc rerum series qualis in hoc Universo est, simul etiam Bonum aufferretur, quod ex hoc rerum nexu fluit, & per consequens Mundus non amplius esset idem qui nunc est, cum ipsius Essentia consistat in nexu rerum (§. 336.): Adeoque nec esset perfectissimus.

Celeberrimus Philosophus Halensis hanc rem illustrat ex parabola illa Christi Matth. XIII: 26 - - 30. (§. 556. *Theologiæ Nat. in Scholio.*) Malum nempe Physicum & Morale ita implicari, dicit, rerum seriei, quemadmodum radices Zizaniorum radicibus tritici implicantur, ut evelli non possint, nisi simul evellatur triticum, quod cum eo connexum est: Eodem modo si malum physicum & morale è Mundo aufferretur, series rerum quidem non fieret deterior, si malum tolleretur; sed simul aufferretur bonum, quod ex illa rerum serie, cui malum implicitum est, fluit: Ita hic Mundus perfectus non dicitur propter malum physicum & morale in se spectatum, quod ipsi inest; sed relatione ad totum, quia si Mundus careret hoc malo, simul careret bono, quod nexui illi rerum, cui malum implicitum est, inexistit: Unde, quod jam supra demonstravimus, de partibus in Universo earumque vel perfectione, vel imperfectione non judicandum est nisi relate ad totum: Infra autem videbimus, quid boni ex mali moralis occasione oriatur, ablato enim malo morali ex nexu rerum, nec Christo, nec omnibus Sapientiæ, Gratiæ & Misericordiæ divinæ operibus in toto salutis negotio locus esse posset: Hoc autem modo regnum gratiæ conjungitur cum regno naturæ: Unde major etiam perfectio, si ad totum refertur, Universi hujus oritur.

§. CDLXVII.

Mala physica sunt effectus naturales (§. 450.), adeoque secundum naturæ ordinem fiunt, & per

easdem naturæ leges consequuntur, quibus illa fiunt, quæ non pro malis, sed pro bonis habentur: Neque ergo per mala physica naturæ ordo invertitur, sed potius inverteretur, si effectus illi per miraculum tollerentur.

Si ex. gr. Grando ex effectibus sive caussis naturalibus oriens integrum campum tritico refertum aut vineam vastat, pro malo physico habetur; si vero locis desertis, lacubus, rupibus &c. incidat, pro tali non agnoscitur; adeo ut grando in se malum non sit, nascitur enim ex caussis naturalibus in aëre concurrentibus, quæ etiam efficiunt, ut grando præcise eo in loco in terram decidat & non in alio. Ita pluvia tempore æstivo ut bonum æstimatur; sed si nimis diu durat pro malo physico habetur, cum tamen ex iisdem caussis, ex quibus nascitur, etiam continuatur.

§. CDLXVIII.

Quoniam mala physica pertinent ad nexum rerum in hoc Mundo (§. 462.), neque perfectionem totius Universi impediunt (§. 461. 466.): Propterea, si ad totius Universi systema referuntur, malum non sunt.

Hæc & antecedens propositio infra usum suum habebit, si nobis objectionibus vel Atheorum vel Deistarum contra Providentiam occurrendum erit.

§. CDLXIX.

Unde consequitur, Mala physica non alio sensu posse appellari Mala, nisi in relatione unius particulæ totius Mundi ad aliam particulam, quæ per effectum aliquem physicum damnum accipit.

Ita ratione totius systematis Mundi minima particula imo pulvisculus est, si spatium in terra aliquot milliarium, grandine ex effectis naturalibus orta, damnum accipit; imo si integra urbs terræ motu evertitur, ratione

tione Universi exigua particula est, neque dubitandum, Enti supremo rationes esse sufficientes, cur id miraculo non impediat.

§. CDLXX.

Mala physica ratione, sive in relatione totius Universi non sunt malum (§. 468.): Deus autem res particulares æstimat in relatione ad totum (§. 405. 432.), propterea mala physica decrevit, non qua mala, sed qua partes speciales conferentes ad perfectionem totius.

§. CDLXXI.

Malum morale inest actionibus hominum internis vel externis, quæ considerantur vel physice vel moraliter.

§. CDLXXII.

Actiones animæ sunt vel volitiones vel nolitiones: Volitiones quatenus appetit id quod sibi bonum videtur: Nolitiones quatenus aversatur quod ipsi sub specie mali obversatur. Actiones autem illæ, sive bonæ sint, sive malæ, si physice spectentur, per legem vel appetitus vel aversationis ordine naturali oriuntur, adeoque ordinem perceptionum animæ proprie non interrumpunt, cum modo physico generentur, vere malæ non sunt.

§. CDLXXIII.

Eodem etiam modo actiones malæ externæ, quæ sunt motus corporis cum internis animæ actionibus conformes, physice spectatæ iisdem motus legibus, quibus bonæ, producuntur, nec etiam propterea illæ malæ sunt.

§. CDLXXIV.

Malum respectu nostri id dicitur, quod nos

ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddit, vel ad imperfectionem ejus aliquid confert. Actiones autem malæ, quatenus moraliter ſpectantur, vere malæ ſunt; unde ſive ſint externæ, ſive ſint internæ ſtatum noſtrum ſive animæ ſive corporis imperfectiorem reddunt, vel ad ejus imperfectionem aliquid conferunt.

§. CDLXXV.

Cum vero actiones humanæ ſive externæ ſive internæ, quatenus ab Eſſentia vel corporis vel animæ determinantur & mere phyſicæ ſunt, non revera malæ ſint (§. 472. 473.): Hinc id quod morale in illis eſt, accidentale eſt; Malum ergo morale eſt imperfectio accidentalis.

§. CDLXXVI.

Actiones animæ, hoc eſt, nolitiones & volitiones liberæ ſunt, ſiquidem nec per Decretum divinum libertas illarum tollatur (§. 440.): Hinc anima ſe poteſt determinare ad volendum vel ad nolendum; Illa vero abutitur libertate ſua, ſi eam per aliam rationem determinat, quam determinatur perfectio eſſentialis; cum vero imperfectio accidentalis perfectioni hominis contraria ſit, eodem modo determinari nequit, unde anima abutitur libertate ſua, ſi actiones ſuas per contrariam rationem determinat, quam per illam rationem, per quam determinari deberent. E. Malum morale ex abuſu libertatis oritur.

§. CDLXXVII.

Deus non vult niſi perfectiſſimum (§. 403.), ideo non poteſt velle quod imperfectum eſt; Malum morale autem eſt imperfectio (§. 475.): E. Deus Malum morale velle non poteſt.

Deus

§. CDLXXVIII.

Deus nihil potest velle quam quod bonum est, quia Voluntatem habet perfectissimam (§. 403.); Bonum autem est, quod summæ perfectionis suæ signum est (§. 408.): Unde etiam hunc Mundum ideo creavit, ut summæ suæ perfectionis signum existat (§. 405. 408.), qua in re perfectio ipsius consistit; Imperfectio autem non potest esse signum summæ ipsius perfectionis, cum sint contraria; Malum morale vero est imperfectio (§. 475.): Hinc Deus Mundum hunc non propter Malum morale producere decrevit.

§. CDLXXIX.

Malum morale perfectionem hujus Mundi non tollit (§. 461.) & ex eo aufferri non potest, nisi simul aufferatur perfectio cum eo connexa (§. 466.): Quam ob rationem illud Deum etiam non potuit avertere, sive obstare, quo minus creationem hujus Mundi decerneret.

§. CDLXXX.

Permissio vocatur, quando id quod ab alio fieri potest, sive fiat, sive non fiat, nobis perinde est, neque id impedire volumus: si id impedire possumus, dicitur permissio voluntaria; si autem non possumus, dicitur involuntaria.

§. CDLXXXI.

Deus non vult Malum morale (§. 477.), illud tamen non obstitit, quominus Deus productionem hujus Mundi decerneret (§. 479.): dici propterea non potest, Deum velle ut malum non existat; Deus ergo impedire noluit, quo minus malum morale fieret, unde Deus permittere decrevit malum.

§. CDLXXXII.

Deum decet quicquid cum perfectionibus suis convenit; cum vero Deus hunc Mundum decernens omnium suorum Attributorum rationem habuerit (§. 408.), necessario talis qualis est ipsum decet; Cum autem si malum morale ex toto Universo tolleretur, Mundus non amplius talis esset qualis nunc est, sed simul id, quod ad summam ejus perfectionem confert, aufferretur (§. 466.): E. hic Mundus Deum decet, non obstante Malo morali, & permissio ejus Deum non dedecet.

§. CDLXXXIII.

Deus malum morale velle non potest (§. 477.): Impossibile autem est, ut aliquid placeat, quod quis velle nequit: E. impossibile est, ut Malum morale Deo placere queat.

§. CDLXXXIV.

Si nunc etiam S. Script. consensum in hac re velimus, illa Deo etiam tribuit Decretum Psalm. II: 7. & quidem æternum (§. 411.), & modulum nostrum non posse perscrutari Dei profunditates perhibet Rom. XI: 33. Et liberum, dum asserit Deum juxta consilium suum facere quicquid ipsi placet. Jes. XLVI: 10. & immutabile, loco citato & Jes. XLV: 27. & certissime illud exequitur Num. XXIII: 19. Et præscit omnia, etiam hominis cogitationes & actiones liberas. Psal. CXXXIX: 2. Esaj. XLII: 9. Neque malum morale ipsi placet. Psal. V: 5. Id tamen permittere decrevit. Act, IV: 28. Et ideo à Deo permittitur, quia ita implicitum est nexui rerum, ut si illud aufferretur, simul Bonum tolleretur Matth. XIII: 24 - 30.

Sectio

Sectio VI.

De

Sapientia, Bonitate, Sanctitate, Justitia, Omnipræsentia, reliquisque ejus Perfectionibus.

§. CDLXXXV.

Deus propter finem agit (§. 386.), & Mundus, qui existit, fini illi est convenientissimus (§. 389.); unde illum propter hunc finem producere decrevit.

§. CDLXXXVI.

Deus nihil in particulari decrevit nisi in relatione ad totum Universum (§. 432.), & totum Universum propter finem aliquem generalem producere decrevit (§. 385. 420.): Hinc nihil in hoc Mundo in particulari decrevit, nisi respectu finis, propter quem totum Universum condere decrevit.

§. CDLXXXVII.

Cum detur finis propter quem Deus hunc Mundum condere voluit (§. 485.), id autem, quod rationem in se continet, cur finis obtineatur, Medium vocatur. E. productio hujus Mundi medium est, quo Deus finem, quem intendit, consequitur.

§. CDLXXXVIII.

Deus sibi sufficientissimus est, neque ulla re extra se ad sui perfectionem indiget (§. 415.): Nihil ergo Deus extra se intendere aut quærere potest, (si enim Creaturæ extra se aliquid quæ-

runt, in eo perfectionem suam quærunt), in actionibus igitur suis quærit vel intendit semetipsum tanquam Ens omnium perfectissimum (§. 404.), id autem, quod in actionibus intenditur, est Finis, cum porro hic Mundus non sit Finis, sed Medium (§. 487.) : E. Deus ipse finis est.

§. CDLXXXIX.

Et quoniam Deus in actionibus suis extra se rationem habet omnium suorum Attributorum (§. 408.) : Hinc finis hujus Mundi est Complexus omnium suorum Attributorum, qui Complexus, quatenus à creaturis cognoscitur, vocatur Gloria Dei. E. finis, quem Deus intendit, est Gloria sua.

§. CDXC.

Manifestat autem Deus Gloriam hanc, quando Attributa sua creaturis rationalibus revelat; glorificari autem dicitur, quando creaturæ rationales verbis & factis ostendunt, se agnoscere Attributa divina.

§. CDXCI.

Gloria Dei est finis, quem Deus quærit in actionibus suis (§. 489.), quando autem Attributa sua creaturis rationalibus revelat, illis Gloriam suam manifestat (§. 490.). E. finis existentiæ hujus Mundi est manifestatio Gloriæ divinæ.

§. CDXCII.

Deus in hoc Mundo nihil in particulari decrevit, sed omnia in relatione ad totum Universum (§. 432.), & respectu finis generalis (§. 486.), Malum autem morale huic Mundo implicitum est, & id Deus permittere decrevit (§. 481.) :

E. Deus

E. Deus illud ob eundem finem permittere decrevit, propter quem hunc Mundum simul sumtum producere decrevit: Finis autem ille est manifestatio Gloriæ suæ (§. 491.): E. etiam Malum morale permittere decrevit ad manifestationem Gloriæ suæ.

§. CDXCIII.

Finem creationis Universi esse manifestationem Gloriæ Dei etiam S. Script. asserit Rom. I: 19. 20. nec non ratione Mali moralis. Prov. XVI: 4.

§. CDXCIV.

Perfectio hujus Mundi in eo consistit, quod omnes rationes particulares tandem resolvuntur in aliquam generalem (§. 384.), ratio autem illa generalis est finis à Deo intentus (§. 385.); Perfectio ergo Mundi consistit in convenientia ejus cum illo fine (§. 388.); Malum autem physicum & morale perfectionem illam non tollunt, (§. 461.); E. Malum physicum & morale non obstat, quo minus Deus per hunc Mundum finem suum consequatur, sed potius tanquam ratio particularis tandem concurrunt ad finem generalem (§. 482.).

§. CDXCV.

Cum Deus ipse finis sit hujus Universi (§. 488.), sive manifestatio Gloriæ suæ (§. 491.), & Deus sit Ens perfectissimum, cum sit Spiritus perfectissimus (§. 404.): Finis Mundi haud dubie est optimus.

§. CDXCVI.

Deus in productione hujus Mundi rationem habuit omnium suorum Attributorum (§. 408.), & talem Mundum producere decrevit, qui fini suo

suo convenientissimus est, (§. 389.) : Ideo optimo utitur medio ad finem optimum consequendum.

§. CDXCVII.

Finis ultimus est, in quem omnes fines subordinati resolvuntur : Manifestatio autemGloriæ divinæ est ille finis, in quem omnes particulares resolvuntur (§. 486. 491.) : E. Manifestatio Gloriæ divinæ est finis ultimus hujus Universi.

§. CDXCVIII.

Et cum nihil in particulari decernit (§. 486.): etiam omnes fines particulares subordinat universali : Atque eo ipso etiam ex finibus particularibus unum subordinat alteri.

§. CDXCIX.

Sapiens est, qui optimum sive naturæ suæ convenientissimum finem eligit, & optimis mediis ad illum consequendum utitur; Deus autem omnium optimum sibi proposuit finem (§. 495.), & optimo ad illum consequendum utitur medio (§. 496.) : E. Deus Sapiens est : imo Sapientissimus, cum major sapientia concipi nequeat.

§. D.

Cum ex fine & mediis, quibus Deus utitur, summa ejus Sapientia eluceſcit (§. 499.), & ille omnia ab æterno decrevit (§. 425.) : Liquet, Illum omnia sapientissime decrevisse ; cum vero etiam permissionem mali decrevit (§. 481.), etiam illam sapientissime decrevit.

§. DI.

Fortuna est concursus causarum nobis minime prævisus , respectu nostri pro diverso effectu vocatur vel adversa, vel secunda. Cum

§. DII.

Cum Deus omnia præsciat (§. 361. 362.), & omnia ab æterno sapientissime decreverit (§. 500.), & Decretum non sit casus purus (§. 428.), & omnes fines particulares subordinaverit tum sibi invicem, tum fini ultimo (§. 498.), & finis ultimus sit manifestatio Gloriæ suæ (§. 491.): Hinc fortunam non tantum præscivit, sed & eam ab æterno sapientissime decrevit, neque ratione ipsius casus purus est, & etiam fortunam sive secundam sive adversam finibus particularibus subordinavit, & non minus fini ultimo; ut etiam effectus fortunæ sint medium manifestationis Gloriæ divinæ.

Hæc hic adstruenda fuerunt, ut suo loco singulares Providentiæ divinæ partes contra ejus adversarios vindicare queamus, nam etiam hic dicta sunto, quæ supra (§. 409.) demonstravimus, si enim ex certo aliquo casu de toto judicare volumus, immensum quantum fallimur; Antequam ergo de speciali aliquo fortunæ casu sive adversæ sive secundæ, sive nobis accidat, sive aliis, Providentiam accusare vel taxare volumus, nobis prius sciendum est, quomodo hic finis alii fini sit subordinatus & alter iterum alteri per totam seriem, donec ad finem ultimum perveniamus, hoc autem cum intellectui finito impossibile sit (§. 406.), etiam judicium nostrum de ratione, cur hoc vel illud factum sit, suspendendum est, ne in Sapientiam divinam, quæ omnia scit facere suo tempore, injurii simus: Omnia nimirum, tum in vita nostra, tum in omnibus aliis eventibus, ita ordinata sunt, ut etiam casu specialissimo mutato tota sequens series mutetur: Rationis autem lumine perspicere non valemus, quid per integram seriem secuturum sit, quod Intellectui soli infinito notum est; Unde fortuna etiam sinistra, quæ nobis accidit, & secunda, quæ aliis, patienti animo perferenda, nec aliis invidenda est, sed potius reverenter eventus, qui ex præsentibus futuri, expectandi sunt, à poste-

à posteriori enim demum judicare valemus, cui fini hoc vel illud inserviat. Omnes nimirum eventus sibi invicem ad ultimum usque subordinati sese in serie rerum habent, ut ingens numerorum series, quorum calculus sub finem faciendus est, quantitas nimirum uniuscujusque numeri & ordo, quo cum aliis connexus est, influit in totum & facit, ut præcise hæc summa prodeat & non alia; si vero vel unicus numerus, qui non eandem quantitatem habet, loco alterius substituatur, ex. gr. nonarius loco septenarii, vel si ordo tantum unius numeri mutetur, ut aliquis qui sequitur in hujus, & hic in sequentis locum ponatur, plane aliam sub finem inveniemus Summam, quam inveniremus, si mutatio hæc non facta fuisset. Unde etiam de casu aliquo singulari in vita nostra judicandum non est, tum quia nescimus, quid ex illo in posterum sequuturum sit, tum quia nobis ignotum est, quid futurum fuisset, si ille nobis non accidisset.

§. DIII.

Deus hunc Mundum non propter Malum morale producere decrevit (§. 478.), Finis autem vocatur id propter quod caussa efficiens agit: E. Malum morale non inter fines reputandum est, quos Deus in hoc Universo intendit.

§. DIV.

Cum perfectio hujus Mundi in hoc consistat, si rationes speciales tandem resolvuntur in rationem sive finem aliquem generalem (§. 384. 385.), finis autem generalis est manifestatio Gloriæ Dei (§. 497.): E. perfectio hujus mundi in aptitudine manifestationis Gloriæ Dei consistit.

§. DV.

Mala tam physica quam moralia rerum seriei ita implicata sunt, ut si aufferantur, etiam tota series cui inhærent mutaretur (§. 466.); E. illis ablatis

ablatis etiam non eadem rerum ad ultimum finem subordinatio manere posset, dum etiam bona, quæ illis connexa sunt, aufferantur. (§. cit.).

§. DVI.

Sapientia in hoc consistit, ut media convenientissima subordinentur ad optimum finem (§. 498. 499.), Mala autem rerum seriei ita implicita sunt, ut iis ablatis non amplius eadem rerum ad ultimum finem subordinatio maneat (§. 505.), & hæc rerum series, qualis est, fini illi est convenientissima (§. 389.): Hinc Mala rerum nexui ita implicata sunt, ut ea etiam salva divina Sapientia tolli nequeant.

§. DVII.

Malum dirigitur in bonum finem, si illud, cum mutari non possit, adhibetur tanquam medium ad bonum finem consequendum, quamobrem cum Malum salva Dei sapientia ex Mundo tolli nequeat (§. 506.), & Deus omnes fines particulares subordinaverit fini ultimo (§. 498.), qui optimus est (§. 495.): Deus etiam Malum huic rerum nexui implicitum dirigit in bonum finem.

§. DVIII.

Et cum omnia tendunt ad manifestationem Gloriæ divinæ (§. 497.), Mala quoque eo diriguntur, ut per ea manifestetur Gloria divina.

§. DIX.

Et quia perfectio Universi consistit in directione omnium rerum ad manifestationem Gloriæ Dei (§. 504.), mala autem dirigantur ad illum finem (§. 508.): Hinc omnia Mala physica & mora-

moralia, non quidem in se, sed quatenus per Sapientiam divinam diriguntur ad optimum finem, aliquid ad perfectionem hujus Universi tribuunt: & eoipso faciunt ad divinæ Gloriæ manifestationem.

§. DX.

Ea omnia vero, quæ de summa Dei Sapientia ex principiis Rationis asseruimus, Deo etiam S. Script. tribuit: Vocatur nimirum solus Sapiens κατ' ἐξοχην 1. Tim. I: 17. & manifestatio Gloriæ ipsius est finis ultimus omnium rerum Rom. XI: 36. & mala dirigit ad bonum finem, quod appareret ex exemplo Josephi & fratrum Gen. L: 20. Christi & Judæorum Act. IV: 10. 11. 12.

§. DXI.

Cum omnes omnium rerum particularium rationes & ad Universum relationes nobis incognitæ sint, (§. 409.): omnem rerum subordinationem ad finem ultimum cognoscere nequimus; quicquid autem non cognoscimus respectu rationis cur fiat, nobis imperscrutabile est, ideo etiam Sapientia divina nobis imperscrutabilis est.

§. DXII.

Quod etiam Apostolus Paulus profitetur Rom. XI: 33.

§. DXIII.

Bonus erga alios dicitur, qui promtus est ad illorum perfectionem promovendam, & illis bona conferre studet.

§. DXIV.

Mundus, quem Deus creavit, est perfectissimus (§. 389.), à tali enim opifice nonnisi opus perfectissi-

fectiſſimum prodire poteſt ; adeoque omnis creaturarum perfectio à Deo eſt, & Deus, qui nullas creaturas poteſt producere absque limitationibus determinationum eſſentialium (§. 457.), tantum perfectionis eſſentialis ipſis tribuit, quantum percipere valent, & creaturam in ſerie perfectiſſima collocavit (§. 389.), & ipſa mala ad bonum dirigit finem (§. 507.), quæ ſalva ſua Sapientia ex Mundo aufferre non poteſt (§. 506.) : E. Deus cuilibet creaturæ tantum perfectionis confert, quantum ſalva ſua ſumma Sapientia fieri poteſt, & propterea bonus eſt ; & cum major bonitas concipi non poſſit, ſumme bonus eſt.

§. DXV.

Effectus amoris eſt ſtudium aliis bene faciendi ; Deus erga creaturas ſumme bonus eſt (§. præced.) : E. ipſi etiam Amor erga illas attribuendus eſt.

§. DXVI.

Quia autem Deus erga omnes creaturas bonus eſt, (§. 514.), etiam omnes creaturas, res inanimatas & animantia bruta, propriiſſimo vero ſenſu, ſolas creaturas rationales amat.

§. DXVII.

Qui alterum amat, ille vult ejus felicitatem, Deus autem amat creaturas ſuas, præcipue rationales (§. 516.) : E. vult felicitatem illarum, & contra illarum infelicitatem non vult.

§. DXVIII.

Et cum Malum morale non vult (§. 477.), infelicitatem quoque inde ſequentem velle, dici

non potest, sive ut phrasi S. Scripturæ loquar non חפץ habet. Ps 5:5

§. DXIX.

Malum morale ab abusu libertatis oritur (§. 476.), & cum sit imperfectio (§. 475.), homines inde infelices fiunt, quia omnis imperfectio tædium creat: E. Infelicitas hominum ab abusu libertatis oritur.

§. DXX.

Propterea Infelicitatis culpa in Deum, qui Malum morale, infelicitatis fontem vel caussam, non vult (§. 477.), conjicienda non est, neque dicendum, Deum erga creaturas bonum non esse.

§. DXXI.

Potentia abutendi libertate venit, sive consistit in limitatione determinationis essentialis; nam si homo tantum ad bonum se determinare posset, etiam libertate non abuteretur; à limitatione autem venit, quod homo à determinatione ad bonum aberrare potest: Limitationes vero determinationum essentialium sunt Malum metaphysicum (§. 449.), Malum autem metaphysicum revera malum non est, cum à nullo Ente creato abesse possit (§. 457. 458.): E. Potentia abutendi libertate, quæ malum metaphysicum est, proprie malum non est, sed in ipsa Creaturæ natura fundatur.

cf. II, § 102

Hæc iterum demonstravimus, ut infra suo loco Providentiam divinam circa lapsum hominis vindicare queamus, ubi quæstio movetur, cur Deus hominem ita creaverit, ut labi potuerit? Vel cur illi potentiam libertate abutendi dederit? Sed Deum salva Bonitate sua, & sapientissimas ob caussas, id facere potuisse, neque propterea mali culpam in Deum esse conjiciendam,

endam, neque Deum obligatum fuisse hominem aliter creare, ex principiis demonstratis ostendere poterimus.

§. DXXII.

Deus permissionem mali sapientissime decrevit (§. 500.); Origo mali autem est ex abusu libertatis (§. 476.): E. Deus etiam abusum libertatis permittere sapientissime decrevit.

§. DXXIII.

Potentia abutendi libertate nihil aliud est, quam possibilitas illa abutendi, id autem quod possibile est propterea nondum existit; inde à potentia abusus libertatis ad necessitatem ejus concludi non potest.

§. DXXIV.

Absolute autem necessarium non est, cujus oppositum non est impossibile, sed contingens (§. 283.); oppositum autem abusus libertatis non est impossibile, cum homo per actiones liberas animæ ad alterutrum oppositorum se determinare potuisset, quod notio libertatis involvit, & insuper Decretum divinum nec rerum contingentiam, nec animæ libertatem tollit (§. 440.): E. Abusus libertatis non absolute necessarius, sed contingens est.

§. DXXV.

Bonitati Dei repugnaret, si homini non tantum perfectionis tribuisset, quantum per reliqua Attributa potest, sed Deus in actionibus suis rationem habet summæ suæ Perfectionis (§. 408.), id est, omnium suorum Attributorum, unde nihil facere potest, quod cum aliquo Attributorum suorum consistere nequit, licet nobis videatur alteram

ram Dei perfectionem id poſtulare ; quoniam vero Deus permiſſionem abuſus libertatis ſapientiſſime decrevit (§. 522.), Sapientia ipſius obſtitit, quo minus illum libertatis abuſum non permitteret. E. cum Deus, rationem habens ſummæ ſuæ Perfectionis, ſive omnium ſuorum Attributorum ex æquo, per Sapientiam ſuam abuſum libertatis impedire non potuerit, potentia abuſus libertatis ejusdemque permiſſio Bonitati ejus non repugnat : Alias per unum Attributum aliquid feciſſet, quod alteri repugnaret.

Hoc ideo demonſtravimus, ut deinde objectio illorum ſolvi poſſit, qui arbitrantur, Deum pro ſumma ſua, quæ ipſi tribuitur, Bonitate homini plus perfectionis debuiſſe conferre, neque ipſum cum potentia abutendi libertate creare.

§. DXXVI.

Neque etiam divinæ Bonitati repugnat, ſi bona tum phyſica tum moralia in Mundo inæqualiter ſint diſpenſata, tantum enim Deus cuivis creaturæ tribuit, quantum recipere iſta poteſt, & quantum ipſius Sapientia, quæ omnia ad finem ultimum & perfectiſſimum ſubordinat, permittit.

§. DXXVII.

Et ut omnia ſummatim dicamus, antequam contra divinam Bonitatem murmuramus, perpendendum nobis, quid limitatio ſive finitudo rerum permittat, neque extra nexum cum rebus aliis nos noſtraque conſiderare debemus; & mala ex Malo morali orta creaturæ culpa accidere, & multa pro malis haberi, quæ revera talia non ſunt, cogitandum eſt.

Malum

§. DXXVIII.

Malum respectu nostri id dicitur, quod nos statumque nostrum imperfectiorem reddit : cum vero Malum morale sit vere malum, hinc statum sive corporis sive animæ imperfectiorem reddit (§. 474.); Actiones ergo malæ liberæ hæ sunt, quæ tendunt ad imperfectionem agentis, unde ex Malo morali oritur imperfectio vel interni vel externi status nostri; imperfectio autem illa oritur ex effectu naturali actionis liberæ, quæ non ea ratione sese determinat, qua determinatur perfectio essentialis; Malum autem illud, quod quoad effectus naturales statum nostrum imperfectiorem reddit, quam foret si abesset, vocatur Malum physicum (§. 450.). Cum ergo Malum physicum Malum morale sequatur, & posito uno etiam ponatur alterum, Malum physicum cum Malo morali necessario connexum est.

Quoad statum internum nostrum, quamprimum imperfectionis nostræ, quam propria nostra culpa contraximus, conscii sumus, oritur tædium, ex illo tædio autem oritur talis molestia quæ turbat tranquillitatem animi nostri, quæ perturbatio inter Mala physica reputanda est. Ita si scimus, nos propria nostra culpa bono nosmet ipsos privasse, quod potuissemus acquirere, si mediis ad illud ducentibus fuissemus usi, non potest non inde oriri tædium, & ex tædio illo mœror animi, perturbatio interni gaudii & tranquillitatis ejus. Eodem modo si haberemus benefactorem aliquem magnum, cui omnia Bona nostra accepta ferenda sunt, & nostra culpa ipsius inimicitiam incurreremus, & eoipso nos bonis ante ab ipso nobis collatis privaremus, ipsa illa inimicitia & privatio bonorum inde oriens Malum physicum est, quod Malum morale, nempe actionem illam, qua alterius inimicitiam nobis accersivimus, necessario consequitur. Unum deinde Malum physicum alterum trahit, ex privatio-

vatione enim illorum bonorum & alterius inimicitia oritur dolor animi, cogitationum inter seinvicem accusatio, indignatio sui ipsius, angor & quæ alia. Ita si ex. gr. noxium aliquem cibum capimus, aut nimia quantitate, aut alia committimus, quæ sanitati nocent, actio illa Malum morale est, cum tendat ad imperfectionem nostram, mala autem illa, quæ per naturales effectus inde consequuntur, nempe morbi, dolores corporis & molestiæ, quas etiam anima inde percipit, Malum physicum sunt, quod per caussarum naturalium nexum ex Malo morali consequitur.

§. DXXIX.

Malum physicum, quod ab eo, qui alterum obligandi jus habet, alteri propter Malum morale immittitur, vocatur Pœna.

§. DXXX.

Cum vero Malum physicum necessario ex Malo morali consequatur (§. 528.): Etiam Pœna per necessarium nexum ex Malo morali consequitur.

Hujus propositionis usus demum patebit quando Justitiam Dei punitivam contra ejus Adversarios suo loco defensuri sumus; vulgo nimirum homines immissionem pœnæ tanquam à Malo morali sive peccato aliquid diversum sibi repræsentant, quod actu singulari Judicis supremi infligitur; sed omnes difficultates evanescunt, si consideramus pœnam accessario nexu ex culpa fluere & nonnisi effectum naturalem Mali moralis esse.

§. DXXXI.

Malum physicum, quod, quatenus Malum morale consequitur, vocatur Pœna, nexu naturali ex statu antecedente creaturæ consequitur, sive, quod idem est, est effectus naturalis Mali moralis (§. 528. 530.): Ad alium autem effectum pro-

producendum, quam ex antecedente naturaliter sequitur, sive ad effectum tollendum, qui ex prioribus consequitur, opus est Miraculo (§. 395.): E. etiam Malum physicum sive Pœna, ex Malo morali nexu necessario sequens, nonnisi per Miraculum tolli posset, sive ad pœnam à culpa avertendam opus esset Miraculo.

§. DXXXII.

Homo malis sive physicis sive moralibus obnoxius fit, quando talia facit, unde mala ista necessario consequuntur; Mala autem moralia oriuntur ex abusu libertatis (§. 476.), & Mala physica ex moralibus (§. 528.); abusum autem libertatis permittere Bonitati divinæ non repugnat (§. 525.): E. etiam Bonitati ejus non repugnat, si homini permittit, ut malis moralibus & physicis obnoxius fiat, sive in illa ruat.

§. DXXXIII.

Et quoniam Deus etiam abusum libertatis sapientissime decrevit (§. 522.), etiam illius Sapientiæ non repugnat permittere, ut homo malis tum physicis tum moralibus obnoxius fiat, sive in illa ruat.

§. DXXXIV.

Deus rerum perfectionem æstimat in relatione ad totum Universum (§. 405.), & omnia sua Attributa (§. 408.): Unde tantam perfectionem unicuique Enti tribuit, quantum id ratione habita totius Universi & omnium suorum Attributorum fieri potest, in hoc autem consistit Bonitas divina (§. 514.): propterea illa æstimari nequit, nisi in relatione ad totum Universum & omnia divina Attributa.

§. DXXXV.

Et cum homo de perfectione & imperfectione Entis, non eo, quo Deus, modo judicare potest (§. 409.): Etiam de Bonitate Dei eo modo, quo Deus, judicare non potest.

Inique subinde homines de divina Bonitate judicare solent, illi præcipue, quibus res angusta domi, aut qui adversa utuntur fortuna, & quibus non omnia ex voto cedunt, si alios meliori sorte gaudere vident; sed hi non animadvertunt, non esse judicandum, nisi totum rerum nexum & omnium eventuum, ad finem usque, seriem perspiciamus: & non attendunt, quod, si in aliis circumstantiis forent constituti, in majora forsan mala ruituri essent; & porro quod Deus, qui omnium perfectionum suarum rationem habet & totius generis humani simul sumti, adeoque omnia sapientissime dirigit, in bonum singularis alicujus hominis facere non possit, quod in detrimentum totius generis humani cedit; nam etiam ibi maxime summa adsit oportet harmonia, uti in structura corporis humani, quæ monstrosa foret, si omnia ejus membra caput essent, nam sicuti in corpore hominis omnia ita ordinata sunt, ut unum alteri ministrare possit, ita etiam in toto genere humano aliqua inter ejus membra, etiam in circumstantiis externis, oportet sit harmonia, ut unum alteri usui esse queat, ut sic omnia tandem ad finem generalem dirigantur.

§. DXXXVI.

Bonitas æstimari nequit, nisi in relatione ad totum Universum & omnia Dei Attributa (§. 534.), id autem homo per finitum suum Intellectum facere nequit (§. 409.): Hinc Bonitatem Dei perspicere non valemus, & non eo, quo Deus, modo de ea judicare possumus (§. 535.): Ideo nobis simul incomprehensibilis & imperscrutabilis est.

§. DXXXVII.

Quicquid ad hominis perfectionem aut felicitatem

tatem tendit, illud Bonitati Dei acceptum ferendum est (§. 514.), Bonitatis ergo divinæ est, quod mala dirigit in bonum finem (§. 507.), adeoque quod mala diriguntur ad hominis perfectionem, Bonitati divinæ acceptum ferendum est.

§. DXXXVIII.

Non minus eandem ob causſam Bonitati divinæ adscribendum est, quando Deus homini immittit Mala physica, ut iis commotus ad meliorem redeat mentem, atque à Malis moralibus majoribus avertatur, ut & si Deus minus malum homini immittit, ne majus ipsum feriat.

§. DXXXIX.

Aut si homo in talibus ponitur circumstantiis, in quibus mala evitare & viceversa bonorum compos fieri potest, vel si alii etiam homines usibus nostris inserviunt.

§. DXL.

Omnia ergo ita diriguntur, ut semper Bonitas cum Sapientia conjuncta sit.

§. DXLI.

In his, quæ de Bonitate divina hactenus adstruximus, etiam S. Script. consentientem habemus, quæ Deum ut Bonum describit Psalm. CVI: 1. imo dicitur, quod sit fons omnis Boni Jac. I: 17. & optimus sive solus Bonus Matth. XIX: 17. & quidem erga omnia sua opera Psal. CXLV. neque vult illorum infelicitatem Ezech. XVIII. *vers. ult.* & Bonitati divinæ adscribit, si homo in talibus ponitur circumstantiis, in quibus Bonorum compos fit, quod ex Josephi exemplo appareret, Gen. XLV: 5 - 8.

Ens

§. DXLII.

Ens perfectissimum vocatur, quod habet omnes perfectiones compossibiles; compossibile dicitur, quod simul in eodem subjecto esse potest sine contradictione. Ens ergo perfectissimum perfectiones suas ita possidet, ut α. nec novæ possint accedere, alias ipsi non inesset simul quod ipsi actu inesse potest, nec β. aliquid ipsis desit, sed ut ipsas possideat summo gradu, alias gradus perfectionis possent augeri, & ipsi iterum non inesset simul quicquid ei inesse potest.

§. DXLIII.

Cum vero Deus sit Spiritus perfectissimus (§. 404.), cujus ergo Perfectio augeri non potest, qui sibi soli sufficiens (§. 415.), cujus nec Potentia nec Scientia augeri potest (§. 412.), Ens à se & independens (§. 303.), idque ab omni æternitate (§. 304.), quodque omnia cognoscit simul (§. 340.), & vult simul (§. 375.), dubitari amplius non potest, Deum esse Ens perfectissimum.

§. DXLIV.

Ens perfectissimum omnia possidet gradu absolute summo (§. 542.), adeoque majus concipi nequit; Hinc Deus etiam Ens prorsus illimitatum est, nam quicquid limites habet, eo majus quid concipi potest.

§. DXLV.

Ens perfectissimum nullos habet limites (§. 544.), ubi autem in ente nulli dantur limites, ibi nec numerus perfectionum nec earum gradus mutari possunt, ergo immutabile est; Cum autem

autem Deus sit tale Ens (§. 544.), etiam immutabilis est.

§. DXLVI.

Ens infinitum est, quod possidet omnes realitates in gradu absolute summo & quidem simul: hoc autem competit Enti perfectissimo (§. 542.), Deus est Ens perfectissimum (§. 543.): E. etiam infinitum.

§. DXLVII.

Tempus non datur, nisi in Entibus, quæ Existentiam & perfectiones suas successive possident; DEUS autem est immutabilis (§. 545.), & in eo nulla variabilium successio locum habere potest, dum omnia simul possidet, quæ est notio Entis perfectissimi (§. 542.): E. Deus non est in tempore, sed sine temporis progressu & successione.

Videmus ex his differentiam esse inter Æternitatem Dei & tempus infinitum, illa enim denotat totam simul & perfectam possessionem eorum, quæ ipsi insunt; tempus infinitum vero denotat successivam durationem, quæ nullum habet finem, sive quæ nunquam cessabit.

§. DXLVIII.

Deus est Ens perfectissimum (§. 543.), adeoque infinitum (§. 546.), ergo quicquid Perfectionis cogitari potest complectitur, & quidem perfectiones solas, nec diversum aut contrarium quid, exclusa omni imperfectione, & hoc sensu Deus vocatur sanctus.

Ill. BULFINGERUS in Dilucidat. §. 453. ait, per Sanctitatem intelligimus, quod sola illa (scil. realia) possideat, non vero admixta eorum opposita.

Hoc

§. DXLIX.

Hoc per indirectum ita demonstratur, nempe Sanctitatem Deo competere: Si fingamus, Deum non esse sanctum, tunc quædam ipsi inerit imperfectio, imperfectio autem est absentia perfectionis, & hoc modo Deus, qui est Ens infinitum, non omnes possideret perfectiones, hoc autem, cum contradictionem involvat, impossibile est; Ens E. infinitum non potest non esse sanctum.

Vide Celeberr. CANZIUM in egregio *Tract. de usu Philos. L. & W. in Theol. Sect. V. Cap. I. §. 136.*

§. DL.

Per Sanctitatem divinam omnis imperfectio excluditur (§. 548.), & Deus omnes Perfectiones summo gradu possidet (§. 542.), hinc etiam ipsius Sanctitas tanta est, ut illa major concipi nequeat. E. Deus est sanctissimus.

Theologi vulgo Sanctitatem Dei definiunt per summum, quo Deus in semetipsum fertur, amorem, neque hæc definitio ab illa, quam dedimus, proprie differt, nam quatenus Deus summam suam Perfectionem sive omnia sua Attributa amat, illis etiam nullam imperfectionis maculam adspergere, aut quidquam facere potest, quod vel uni Perfectionum suarum contrarium est. Ill. WOLFIUS in Theol. Nat. illam definit per constantem & perpetuam Voluntatem faciendi nonnisi quod rectum est: Per actionem vero liberam rectam intelligit talem, quæ rationem sufficientem in Essentia & Attributis agentis habet, consequenter nulli determinationi essentiali vel Attributo contradicit (§. 950. Tom. I.) etiam hæc definitio cum illa quam dedimus consentit, quando diximus, per Sanctitatem Dei omne Perfectionibus suis oppositum sive contrarium excludi, adeoque omne id, quod non in summis suis Perfectionibus fundatum est.

Cum

§. DLI.

Cum Sanctitas Dei versetur in complexu omnium Perfectionum, excludatque omnem ab omnibus Perfectionibus imperfectionem, id est, dissensum inter Virtutes suas (§. 548.): Necessario illa per omnia ejus Attributa diffusa est, ut omnes ejus Perfectiones sanctæ dicendæ sint.

§. DLII.

Perfectiones Deo per Essentiam insunt (§. 301.), & sunt immutabiles (§. 545.), ut illarum loco aliæ substitui nequeant, unde etiam Sanctitas ipsius est immutabilis, ut etiam per Voluntatem ipsam Dei immutari nequeat; quapropter Deus nonnisi ea vult, quæ Perfectionibus suis digna sunt, qua in re ipsa illius Sanctitas consistit (§. 551.): E. Sanctitas est Voluntatis norma, neque Voluntas Sanctitatis regula dici potest, hoc est, Deus aliquid ideo vult, quia cum summis suis Perfectionibus convenit. Quia enim Perfectiones ipsi per Essentiam insunt, illæ non à voluntate dependent.

Hæc propositio summe necessaria est ad refutandos eos, qui putant, Bonitatem actionis moralis à mera Dei voluntate dependere, ut Deus potuisset talem legem moralem præscribere, quæ illi, quam nobis dedit, plane contraria esset, ut adeo illæ actiones morales, quæ nunc bonæ sunt, malæ essent & viceversa. De hac re B. COCCEJUS *in Summa Theol.* cap. XXIV. § 6. ita loquitur: „Τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν ἀ φύσει ἀλλα „νόμῳ est vetus Archelai Paradoxum, cui succinit „Aristippus, & Theodorus ille Ἄθεος appellatus. „Qua sententia nihil potest excogitari pestilentius, „& ad omne fundamentum Religionis tollendum, „ipsamque rationem Justitiæ Dei & necessitatem Se„vatoris interimendam & pietatem exscindendam „efficacius.

Sequi-

§. DLIII.

Sequitur nunc alia Perfectio divina conſideranda, quæ Juſtitia vulgo appellatur, in cujus explicatione & probatione prolixiores paullo nos eſſe oportet, cum Syſtematis Theologiæ Elenchticæ ratio id poſtulet.

§. DLIV.

Nulli nimirum Attributo divino tam infenſi ſunt Religionis Chriſtianæ hoſtes, quam huic, quod Juſtitiæ punitivæ ſeu vindicativæ nomine venit.

§. DLV.

Nec mirum eſt, cum ſapientiæ carnali & cupiditatibus carnis nihil tam ingratum atque exoſum ſit, quam quod peccatorem pœna manet, & quod Deus peccati vindex dicatur, neque absque Satisfactione, quicquid contra ſummam ipſius Majeſtatem committitur, condonare poſſit.

§. DLVI.

Juſtitia autem hacce ſublata omne ſanctiſſimæ Religionis noſtræ fundamentum periret, neque neceſſitati Satisfactionis ullus porro daretur locus, neque Chriſtus unica atque perfectiſſima ſalutis noſtræ maneret via, & peccatores in maxima quæque, ablata formidine pœnæ, ruerent ſcelera.

§. DLVII.

Unde tanto accuratius demonſtranda eſt hæc divina Perfectio, quanto majori cum periculo omnes Veritatis Chriſtianæ Adverſarii circa illam ſequiora ſentiant.

Vide Theologi Celeberr. JOH. van der WAEYEN, Summam Theologiæ Chriſt. cap. III. §. CCX. ſeqq. pag. 197.

Uti

§. DLVIII.

Uti enim veritas hujus Juſtitiæ, Religionis noſtræ fundamentum; ita illam non noviſſe, e contra omnis erroris fons eſt.

§. DLIX.

Unde quæſo eſt, quod Judæi ex propria Legis illius carnalis obſervatione juſtificationem quærunt, propriam adeoque erigunt juſtitiam, neque Salvatoris ſive Meſſiæ Satisfactionem pro peccatis agnoſcunt, unde hi, inquam, errores ortum ſuum trahunt? quam quod Juſtitiam Dei ignorantes, & ſuam ſtatuere quærentes, Juſtitiæ Dei ſe non ſubjicere voluerunt; Rom. X: 3.

§. DLX.

Ita Pontificii propriæ juſtitiæ velificantes, & propriis meritis Juſtitiam divinam expiare quærentes à prioribus non multum differunt.

DLXI.

Huic tamen Attributo divino longe infenſiſſimi ſunt Sociniani, & omnes, qui in gratiam hominis carnalis Religionum Indifferentiam ſtabiliunt, & hanc divinam Perfectionem Deo non eſſe eſſentialem perhibent.

§. DLXII.

Explicandum autem nobis ante omnia, quid Juſtitia divina in genere, quid per Punitionem ſive Pœnam intelligendum, quid ſit Juſtitia punitiva, & deinde ipſius veritas demonſtranda eſt.

§. DLXIII.

Quæritur nempe, quando cum Juſtitiæ Dei punitivæ hoſtibus nobis res eſt, an commiſſo peccato

cato per Decentiam, per Sanctitatem atque Justitiam Dei fieri non possit, ut pœna non sequatur.

§. DLXIV.

Illi qui veritatem amant perhibent, pœnam ita sequi peccatum, ut non possit non sequi, Deumque illum, qui Malum morale committit, Malo physico sive pœna afficere, non quia pro mero arbitrio voluit esse nexum inter peccatum & pœnam, sed quoniam ipsa rei natura Deique Attributa postulant, ut peccatum non maneat impunitum.

§. DLXV.

Justitia vulgo definitur, quod sit studium suum cuique tribuendi.

§. DLXVI.

Aliter etiam definitur: esse Bonitatem, quæ administratur cum Sapientia, sive Bonitatem Sapientiæ attemperatam.

Ratio hujus definitionis hæc est, Bonus est, qui alteri tantum perfectionis tribuit, quantum percipere capax est, & talis quidem summe Bonus est (§. 514.), ut Bonitas Dei soleat impertiri perfectiones, adeo ut juxta eam cuique creaturæ tribuat: Bonitate autem utitur cum Sapientia (§. 514.), quando cuique suum, non alienum, hoc est, quod unius cujusque statui convenit, tribuit, adeoque suum cuique tribuit: Ut in pœna adsit absentia perfectionis, quæ oritur ex absentia benignitatis, ex quo defectu dein sensus dolorificus oritur: quando autem quis remunerationem accipit, etiam Bonitas cum Sapientia administratur, cum quisque accipit secundum opera sua.

§. DLXVII.

Pœna autem est Malum physicum ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob Malum morale eidem immissum (§. 529.).

Pœna

§. DLXVIII.

Pœna illa ergo in omni eo consistit, quod nostra Voluntas aversatur; & quia illius Conscientia molesta est, vocatur Malum triste.

§. DLXIX.

Quando autem dico, Pœnam in omni eo consistere quod Voluntas nostra aversatur, non intelligo de Voluntate recta & perfecta, quæ aversationem à Malo etiam morali sive transgressione legis habet, nam illa Voluntas molestam Conscientiam non habet, cum scit se esse innocentem.

§. DLXX.

Molesta illa Conscientia inde oritur, quando homo conscius est, se sua culpa illud sibi attraxisse malum, & statum perfectionis deseruisse.

§. DLXXI.

Nam Pœna non est malum aliquod physicum respectu ejus, qui se illud meritum esse non conscius est: Si ex. gr. Bestia aut res aliqua ratione carens destruitur, aut aliud quid mali ei accidit, respectu ejus malum illud pœna non est, cum molesta conscientia meriti absit.

§. DLXXII.

Malum ergo triste tum demum Pœnæ rationem habet, quando Creatura rationalis sibi conscia est, se Malo turpi sive morali illud promeruisse.

§. DLXXIII.

Ipsum etiam peccatum pœnæ rationem habet, quando desideratur amissa perfectio, quæ in rectitudine sive debita erga Deum relatione consi-

stebat, quia adest molestus sensus demeriti & amissæ rectitudinis.

§. DLXXIV.

Pœna autem tangit vel statum nostrum internum, vel externum; interne in anima consistit, in molesta status rectitudinis amissi, & præsentis status imperfectionis Conscientia; externe consistit in malis corporis, quæ etiam molestas menti cogitationes cient.

§. DLXXV.

Estque vel præsens, vel futura, quæ metum caussatur: & ubi omnis illam evadendi spes abest, Desperatio oritur.

§ DLXXVI.

Pœna autem ita comparata esse debet, ut cum natura peccati conveniat & Judice digna sit.

Vide Celeberr. van der WAEYEN. *Sum. Theol.* Cap. III. §. CCXVIII - CCXXV.

§. DLXXVII.

Pœna vero peccato conveniens est, quando ex ipsa ejus natura fluit ut effectus naturalis, quales sunt tædium, tristitia, metus, molesta conscientia, desperatio animi, miseria corporis, dolor, morbi, mors & quæ alia.

§. DLXXVIII.

Judice autem digna est pœna illa, quæ ita comparata est, ut peccator sentiat quantam jacturam fecerit, quod favorem ejus amisit & indignationem ejus accersiverit; & quo major, quo melior ille est, cujus indignationem incurrimus, tanto magis cum dolore sentimus, quantum sit

Bonum

Bonum amissum & quantum malum ex amissione illa enascens.

§. DLXXIX.

Et cum ille sit Optimus Maximus, qui peccatori indignatur; eoipso quod quis peccati sibi conscius est, scit se Deum neglexisse, adeoque stultorum se maximum esse; scit se destitutum esse omni bono, quod in communione Dei fontis omnis Boni possidere potuisset.

§. DLXXX.

Hæc peccator cogitare non potest, quin ipsi ut mala obversentur, quæ ergo in pœnam degenerant:

§. DLXXXI.

Sed scit porro peccator, se renunciasse, & quidem propria sua culpa, omni fruitione tam amabilis Creatoris & Benefactoris, sentit quantum malum sit Deo non frui & eoipso miserimum evadere:

§. DLXXXII.

Scit, quod Deum fontem omnis lucis & vitæ non recte cognoscere, neque amare, ipsissima mors sit; sentit, quod conscientia mortis hujus sit longe molestissima:

§. DLXXXIII.

Sentit, quod maximum malum, molestissimum, imo mortiferum sit, quod se à Deo averterit, quod ipsum ut summum Bonum non quæsiverit, noluerit, recusaverit.

§. DLXXXIV.

Et si cogitationes ejusmodi intenduntur ac mul-

tiplicantur absque cessatione, quantam ægrimoniam, sui indignationem atque horrorem, inde enascentem pudorem atque dolorem creent, dici vix potest, præcipue si tandem omni restitutionis spe ademta in desperationem abeunt.

§. DLXXXV.

Hoc autem modo Pœna damni & Pœna sensus conjunctæ sunt.

§. DLXXXVI.

Et ita exposuimus, quo sensu Pœna Judice digna esse queat, cum ostendimus, quomodo magnitudo ejus ex ipsa Judicis natura fluat, dum peccatoris dolor ex consideratione immensæ Majestatis atque Bonitatis deperditæ & mali inde orientis maxime augetur.

§. DLXXXVII.

Cum Pœna peccati sive Mali moralis sit effectus naturalis (§. 530. 577.), & necessario ex illo consequitur; hinc Pœna incipit cum ipso peccato, præcipue cum peccatum ipsum etiam pars pœnæ sit (§. 573.).

§. DLXXXVIII.

Ratio autem, cur peccator eam non statim in omni sua intentione sentiat, est, tum quia ejusmodi tristes repræsentationes Voluptatibus carnalibus, quibus immersus est, adhuc suffocantur: quia varia objecta per sensus repræsentata anxias ejusmodi cogitationes turbant: quia Conscientia adhuc cauterio signata sive omni mali sensu privata; & præcipue quia nondum omnis evadendi spes evanuit: aut quia peccator in corde suo dicit, non esse Deum mali execratorem: aut aliis cogita-

cogitationibus vanis sibi blanditur : aut vana spe animum suum lactat incertitudinis alterius Vitæ; aut Clementiæ Judicis, abnegando ipsius Justitiam, aut non existentiæ summi Numinis.

Ita *summe Reverendus atque Celeberrimus JOH. GUSTAV. REINBECK in Tractatu suo de Redemtione per lytron Parte I* §. LXXXIV. pag. 155. „ Et certe justum est, damnatos non tantum carere felicitate illa, cui seipsos subtraxerunt : sed etiam SENTIRE damnum illud, quod propter peccata sua perpetiuntur. Qui sensus non potest non esse maximus & inenarrabilis; eo quod homo se destitutum sentit bono æterno, in quo solo acquiescere potest. Quod enim hoc in mundo homines impii damnum animæ non æque sentiunt, atque olim sentient in Gehenna ; hoc quidem inde est, quod adhuc hoc in mundo certa habent objecta, in quæ vagum ipsorum desiderium ferri, & in quibus aliquo modo acquiescere possunt: sed quando Schema hujus Mundi, unde caro delectationem capiebat, sublatum erit; & non alia, quam detestabilia objecta, oculis atque sensibus damnatorum obversabuntur ; tunc sane pœna damni non potest non perpetuum comitem habere pœnam sensus dolorum etiam horribilium.

§. DLXXXIX.

Pœna damni & Pœna sensus oriuntur ex privatione Benignitatis summi Numinis & illius privationis sensu (§. 577 - - 585.), sive ex dolore oriente ob sensum sufflaminationis per Sapientiam divinam exercitii ulterioris Benignitatis : Unde liquet, Pœnam consistere in mera privatione, sive perfectionis absentia, & in fructu suspensæ per Sapientiam Judicis supremi Benignitatis, quæ respectu Judicis mera negatio est, licet respectu peccatoris ex privatione illa maximi deinde oriantur dolores.

Quando dicimus pœnam esse meram privationem, propterea pœnam sensus minime negamus, nam illam ex pœna damni necessario oriri, jam supra ostendimus, & qui ex. gr. Judæ proditoris, vel alius cujusdam, furiis angentis conscientiæ agitati, exemplum considerat, is facile videt, quanti dolores ex privatione Amoris divini & omnis illum recuperandi spei amissione oriri queant. Etiam Theologi summam peccati pœnam in remotione à facie Dei collocant.

§. DXC.

Quoniam ergo Pœna damni & Pœna sensus inde oriens in mera privatione consistit (§. præced.); A parte Dei positivo actu opus non est, quo malignos excruciet; unde non opus est, ut affligat agendo, sed sufficit, ut non continuet Bonitatem suam, in cujus absentia omne malum comprehenditur (§. 583.).

Hæc propositio mox in demonstratione Justitiæ vindicativæ, de qua agitur, usum suum habebit: Explicationis gratia adhuc exemplum addam: Si Sol nobis auferretur, ut neque ejus luce neque calore amplius frui possemus, quanta miseria inde nasceretur, quantæ querimoniæ, tenebræ, sensus frigoris, terror maximus & alia, si nulla amplius affulgeret spes nos porro grato ipsius calore atque luce fruituros esse: esset ergo merus actus negativus & privatio; attamen maxima mala, imo sensus magnæ miseriæ hancce privationem comitarentur. Sed quanta est differentia inter Deum & Solem! quantum superat sensus privationis corporis illius cœlestis! tanto etiam major erit illorum miseria, qui fruitione omnis Amoris atque Benignitatis divinæ privantur, tanquam fonte omnis veræ lucis atque vitæ; quanto Deus ipse major sole est. *Celeberrimus CANZIUS in Libro suo jam supra laudato de usu Philos. Leib. & W. in Theol. Tom. I. cap. VIII. §. 255. de hac re ita pronuntiat.* „ Qui non in beni„ gnitate Dei manent Rom. XI: 21. exciduntur, non „ culpa Benignitatis, sed culpa neglectus, quo illa „ post-

„ posthabita est. Manet Benignitas Dei, quæ & quan-
„ ta est; sed non manent scelerati in benignitate.
„ Manet Deus amor; sed illi non manent in amore.
„ Indignitas igitur peccatoris, per Sapientiam dete-
„ cta facit, ut ulteriori benignitatis affluxu non frua-
„ tur. Hujus suspensionis autem repræsentatio distin-
„ cta, sive quod idem sonat, intelligentia, dolores
„ parit incredibiles.

§. DXCI.

Ut etiam unum ex Theologis nostris pro sententia mea allegem testimonium, ne, perhibens Pœnam non in actu positivo sed mere negativo consistere, forsan etiam à nostris accuser, me hoc modo Pœnam sensus excludere & nonnisi Pœnam damni admittere, adhuc adducam Theologi Ceberr. HERMANNI WITSII in hanc rem verba, quæ extant in Oeconom. Fœderum Lib. I. Cap. V. §. XXVII. ita nempe fatur. „ Sanctitas
„ Dei tam pura est, ut peccatum atque prævari-
„ catorem intueri non possit - - hoc est, ante
„ oculos suos non ferat. Non potest ergo super
„ eum attollere lumen faciei suæ Psal. IV: 7. in
„ quo salus hominum consistit. Privatio autem
„ salutis summa Pœna est. Quando David fili-
„ um Absalomum, quanquam sibi fere reconcilia-
„ tum, nondum ad conspectum sui admittere di-
„ gnabatur, Absalomo id quavis morte intolera-
„ bilius visum fuit. 2. Sam. IV: 32. Adeo in na-
„ tura mali sui intelligente Pœnam damni non
„ potest non comitari Pœna sensus.

Hoc vero observandum est, quod in actu illo Dei negativo, quo Peccatori subtrahit ulteriorem Clementiæ atque Benignitatis sensum, quam maxima sit positio, nam eoipso, quo Deus clementissimam suam faciem, omnis Lucis, Vitæ atque felicitatis fontem à Pecca-

tore avertit, illumque indignum judicat Gratia ac Misericordia sua, Deus ceu supremus Judex omnino aliquid facit, dum eoipso Peccatorem infelicissimum reddit; adeo ut licet actus ille Dei Judicis sit privativus, tamen aliquid simul ponat; Uti si Parens aliquis Filium ulteriori sua clementia atque benignitate, nec non omni paterno amore indignum judicat, ipsumque ut in perpetuum à conspectu suo abeat jubet, summaque Filio inde redundet miseria, ut nesciat quo se vertat, neque ulla reconciliandi atque è miseria emergendi spes supersit, hic ipse Patris actus privativus quam maximam positionem atque Pœnæ irrogationem involvit. Ita si Pater Cœlestis, extra cujus communionem nil nisi summa miseria est, Peccatorem indignum judicat, qui porro Gratia ac Bonitate sua fruatur, ipsumque ut in æternum à Conspectu suo, à lumine faciei suæ discedat jubet, omnino ipsi sententiam dicit, Pœnam gravissimam dirissimamque irrogat, ut peccator sit Creaturarum miserrima, adeoque actus ille Dei privativus simul quam maxime etiam positivus est, & Deus justissimum sese judicem exhibet, justissimamque peccatori infligit Pœnam. Hæc de Pœnis æternis dicta sunto: quod Pœnas temporales ac arbitrarias spectat, quibus Deus impios subinde in hac terra affligit, de iis hic agendi locus non est, cum solum principia hic ponam, quibus Adversarios in sequentibus Capitibus confutem: de Pœnis vero temporalibus, quæ plurimæ arbitrariæ sunt, mihi cum nullo Adversariorum lis est; tenendum tamen, plurimas etiam Pœnas temporales naturales esse, eas nempe omnes quæ sunt immediatus Peccati effectus.

§. DXCII.

Et ita Pœnæ naturam, quantacunque potuimus claritate, exposuimus, ut sequentibus demonstrationibus eo majorem lucem accendere possemus, neque Pœna consideretur, ut aliquid à peccato longe diversum, & ut actus Dei positivus, quo ira concitatus in peccatorem, cum voluptate quadam ipsum affligit, sed in mera summæ suæ Boni-

Bonitatis privatione, qua peccator se ultro & pro lubitu spoliavit.

§. DXCIII.

Quando autem Deus ejusmodi Malum triste ex peccato necessario sequens creaturæ accidere sinit, neque peccati effectus naturales Miraculo tollit (§. 531.), neque impedit, quominus talia creaturæ eveniant quæ ei sunt tristia, dicitur peccatorem punire, & hoc sensu ipsi tribuitur Justitia vindicativa.

§. DXCIV.

Hæc Justitia in duobus præcipue consistit α. in aversione faciei divinæ à tali peccatore sive creatura, & sufflaminatione Benignitatis ulterioris erga peccatorem, qui eam ultro recusavit: β. in permissione, ut effectus, sive Mala physica, ex Malo morali naturali modo orientes in serie sua continuentur.

§. DXCV.

Hisce nunc præmissis ad ipsam Veritatis hujus demonstrationem nos accingimus; gradatim autem procedemus.

§. DXCVI.

Patet ex dictis quod §. 566. asseruimus, in Justitia punitiva Bonitatem Dei cum Sapientia administrari: dum Sapientia divina postulat, ut suum cuique tribuatur, etiam non permittit, ut Bonitas illis conferatur, qui propria culpa illa se indignos fecerunt.

§. DXCVII.

Ipsa enim Pœna in hoc consistit, ut peccator intime conscius sit, se summa frustratum esse Bonitate, neque summam Dei Sapientiam permitte-

re, ut creaturæ talis perfectio amplius conferatur, quæ se indignam fecit.

§. DXCVIII.

Justitia ergo divina ex cæteris divinis Attributis demonstrari potest, cum notio Justitiæ resolvatur in notionem Sapientiæ & Bonitatis.

§. DXCIX.

Deus semper rationem habet summæ suæ Perfectionis, hoc est, omnium suorum Attributorum (§. 408.), unde etiam in exercitio Bonitatis rationem habet reliquorum Attributorum (§. 534.), ideo etiam Bonitas semper cum Sapientia conjuncta sit oportet (§. 540.): E. Deus Bonitatem non aliter quam cum Sapientia administrare potest.

§. DC.

In Justitia punitiva Bonitas cum Sapientia administratur (§. 566.), & Justitia in ipsa illa administratione consistit (§. 596.), Deus autem Bonitatem non aliter quam cum Sapientia administrare potest (§. 599.): E. Deus etiam non potest non esse justus.

§. DCI.

Contradictionem involvit Deum idem velle & non velle, eandem Perfectionem possidere & non possidere: E. contradictionem involveret, ut Deus cum Sapientia agat & non cum Sapientia agat; quicquid autem contradictionem involvit illud est impossibile: E. impossibile est, Deum non cum Sapientia agere, sive Bonitatem suam non cum Sapientia administrare.

Cujus

§. DCII.

Cujus oppositum impossibile, illud est absolute necessarium (per def.); impossibile autem est, Deum Bonitatem suam non cum Sapientia administrare (§. 601.): E. postquam Deus semel creaturas extra se produxit, administratio Bonitatis suæ cum Sapientia absolute necessaria est.

§. DCIII.

Cum autem Justitia Dei in ipsa illa Bonitatis cum Sapientia administratione consistat (§. 596.), & administratio talis sit absolute necessaria (§. 602.): E. etiam Justitia est absolute necessaria.

§. DCIV.

Deus est summe bonus, ut major Bonitas concipi nequeat (§. 514.); Bonus autem respectu creaturarum dicitur, quatenus ipsis Bona confert (§. 513.), cuivis autem creaturæ tantum tribuit Bonitatis, quantum salva sua Sapientia fieri potest (§. 514.), Sapientia autem illius est maxima (§. 499.): E. cum Bonitas summa administretur cum Sapientia summa, quæ administratio Justitia est (§. 596.), etiam Justitia summa oritur, unde Deus est justissimus.

§. DCV.

Deus erga omnes creaturas in toto Universo Bonus dici potest (§. 514.), Deus autem in actionibus suis omnium suorum Attributorum rationem habet (§. 408.), & omnia sapientissime facit (§. 499. 500.), propterea in omnibus, quæ fiunt, etiam Bonitatem cum summa Sapientia administrat: E. etiam omnia quæcunque fiunt in Universo juste facit.

Boni-

§. DCVI.

Bonitati divinæ non repugnat, ſi homini permittit, ut ſua culpa Malis moralibus & phyſicis obnoxius fiat (§. 532.), etiam cum illius Sapientia permiſſio ejus convenit (§. 533.), adeoque etiam hac in re Bonitatem ſuam cum Sapientia adminiſtrat : E. per Juſtitiam ejus fit, ſi permittit, ut homo propria culpa Malis tum phyſicis tum moralibus obnoxius fiat.

§. DCVII.

Deus etiam permiſſionem Mali moralis ſapientiſſime decrevit (§. 500.), quia alias Mundus non tam perfectus eſſet ac nunc eſt (§. 466.), neque hæc permiſſio Bonitati ipſius repugnat, (§. 525.), Deus ergo etiam in permiſſione Mali Bonitatem cum Sapientia adminiſtrat, quod Juſtitiæ eſt (§. 566.) : E. Juſtitiæ divinæ eſt, quando Malum morale permittit.

§. DCVIII.

Ut nunc Attributum hocce divinum contra omnes carnis murmurationes & falſæ Sapientiæ objectiones tueamur, demonſtrabimus ſequentia. α. Juſtitiam punitivam cum ipſo divino Intellectu & Voluntate connexam eſſe, ut illa Dei Attributa hoc involvant. β. Per Sapientiam ſummam Deum non poſſe non punire peccatum, adeoque impoſſibile eſſe, ut Deus peccatum non puniat. γ. Neque per ipſius Sanctitatem fieri poſſe, ut Pœna non ſequatur peccatum. δ. Id porro cum ipſius Decentia convenire, adeoque rationem illius Juſtitiæ contineri in iis, quæ Deo inſunt. ε. Juſtitiam illam non eſſe arbitrariam, adeoque nec ad poten-

potentissimam & absolutam Dei Voluntatem in ejus explicatione & demonstratione recurrendum esse. ε. Neque tandem illam cessare posse, nisi Deus Miraculo interveniat. ζ. Id autem ut Deus faciat, motivum aliquod adsit oportet. Hæc nunc si demonstravimus, in salvo rem esse firmiter tenemus.

§. DCIX.

Ad hæc autem adstruenda solis antecedentibus principiis Rationis utemur, cum divinitatem S. Scripturæ nondum demonstravimus, adeoque illius subsidio nondum uti possumus.

§. DCX.

Primum ergo, quod nobis demonstrandum est, in hac propositione consistit: *Justitia punitiva cum ipso Intellectu & Voluntate Dei connexa est, ut Attributa illa hoc involvant.*

§. DCXI.

Demonstratur autem hoc modo: Intellectus divinus sibi omnia distinctissime, unico actu & simul repræsentat (§. 344.), unde etiam scit, quid ex actionibus creaturarum liberis sequuturum sit (§. 362.), novit igitur etiam Libertatis abusum à creatura rationali & inde sequens Malum morale: Optime ergo judicare potest quid Bonum vel Malum sit: Voluntas autem ipsius est perfectissima, unde non vult nisi perfectissimum (§. 403.), non potest propterea velle imperfectum, quale Malum morale est (§. 475.): Unde ipsi etiam non placet (§. 483.): E. illud nec approbare potest.

§. DCXII.

Major gradus nolitionis vocatur aversatio, quæ

quæ oritur ex magnitudine mali, quæ in objecto est: Unde Deus non potest non ea, quæ summe mala sunt, infinite aversari. Malum autem morale contrariatur summæ Dei Perfectioni, unde Deus illud etiam non potest non aversari, quia respectu ipsius maximum Malum est, neque lignum summæ suæ Perfectionis esse potest.

Certe majus Malum in oculis Dei esse non potest, quam si creatura ipsius se non tantum ab illo avertit, sed & ipsum Benefactorem suum odio habet, & ab illa summus Creator μυκτηρίζεσθαι, & impotens creatura quævis Voluntati divinæ adversa cum petulantia quadam patrat. *Reverendiss. REINBECK in Tractatu suo de Redemtione per Lytron Part. I. §. LXXXII. rem his verbis exprimit.* „ Justitia ipsi est essentialis atque immu„ tabilis, ut si eam negare vellet, negaret semetip„ sum, quod fieri nullo modo potest. Si enim nos, „ quibus naturale est abhorrere à cadavere fœtu„ lento, impedire non possumus, quo minus illud „ nauseamus, & omnia cadavera, quorum fœtore „ adficimur, sublata velimus; multo minus Deus, „ cui sensu propriissimo naturale, imo essentiale est, „ aversari peccatum, potest non detestari peccatores, „ qui oculis ipsius obversantur, utpote qui ipsi sunt „ tanquam mortua ac putrida cadavera, cum quibus „ ipsi nihil potest esse commercii.

§. DCXIII.

Quicquid autem aversatur Ens rationale, illud non potest amare, Deus autem Malum morale vi Intellectus sui illud sibi repræsentantis (§. 611.), & Voluntatis suæ illud nolentis (§. 611.), aversatur (§. 612.): E. illud amare non potest, sed odio habet.

§. DCXIV.

Deus amat creaturas, quatenus erga illas Bonus est (§. 516.): E. Amor & Bonitas invicem sunt connexa.

Cum

§. DCXV.

Cum Amor & Bonitas invicem sint connexa (§. 614.); Etiam sublato uno auffertur quoque alterum, sublato ergo Amore etiam exercitium Bonitatis cessat.

§. DCXVI.

Pœna Mali moralis consistit in ipsa cessatione exercitii Benignitatis divinæ (§. 594. 596.): E. Pœna peccati in ipsa Amoris divini ablatione consistit.

§. DCXVII.

Cum ergo Pœna consistat in cessatione Bonitatis divinæ sive exercitii Benignitatis ejus erga creaturam (§. 616.), cessatio autem Bonitatis & Amoris sint unum idemque (§. 614. 615.), Amor autem desinat propter aversationem (§. 613.), aversatio autem ex nolitione Voluntatis (§. 612.), nolitio autem Voluntatis ex repræsentatione mali in Intellectu (§. 611.): videmus Pœnam peccati cum ipso Intellectu divino connexam esse.

§. DCXVIII.

Justitia vindicativa dicitur, quæ male facientibus Pœnam irrogat (§. 593.), Pœna autem illa sive necessitas irrogationis ejus cum ipso Intellectu & Voluntate divina connexa est (§. 617.): E. etiam Justitia vindicativa sive punitiva & necessitas ejus cum ipso Intellectu & Voluntate divina connexa est. Q. E. D.

§. DCXIX.

Secunda propositio demonstranda hæc est: *Per Sapientiam suam summam Deus non potest non punire peccatum, adeoque Justitia punitiva Deo tam naturalis est ac ipsa Sapientia.* Justi-

Justitiam quidem Dei jam supra (§. 598. 599. 600.) ex Bonitatis per Sapientiam administratione demonstravimus, nihil autem id impedit, quo minus id adhuc alio modo fiat, ut rei certitudo eo magis eluceſcat.

§. DCXX.

Nexus rerum in Universo est vel coëxistentium, vel successivorum, & consistit tum in dependentia finis à medio, tum causati à causa; Sapientiæ autem est, finem constituere & media ad illum decentia sibi invicem subordinare (§. 498. 499.); Deus præterea in hoc Universo omnia sapientissime decrevit (§. 500.), nexus autem in illa subordinatione medii & finis, causæ & causati consistit; E. Nexus rerum Sapientia divina constitutus est.

§. DCXXI.

Peccatum nexu naturali cum Pœna conjunctum est, sive Mala Physica sequuntur nexu naturali ex Malis moralibus, & Mala illa physica, quæ tristia appellantur, vi nexus rerum, quatenus ratio sufficiens sequentium in antecedentibus continetur, consequuntur, ut posito uno etiam ponatur alterum (§. 528.), quâ ratione ostendimus (§. 577.): Cum vero nexus rerum à Sapientia Dei constitutus sit, vi cujus effectu naturali unum fit, propter alterum, & ex antecedentibus consequentia ponuntur (§. 620.): E. etiam Nexus ille, quo effectu naturali Mala physica ex moralibus sequuntur, à Sapientia divina constitutus est.

§. DCXXII.

Malum illud physicum (§. 529.), sive triste (§. 568.), quod nexu naturali ex Malo morali oritur,

oritur, vocatur Pœna (§. 567.), cujus modum expoſuimus (§. 577 - 587.): Cum vero Sapientia divina nexum inter Malum morale & phyſicum conſtituit (§. 621.): E. etiam inter peccatum & pœnam.

§. DCXXIII.

Actio illa, qua Deus vult, ut ille, qui Malum morale commiſit, etiam Mali phyſici particeps fiat, ſive ut Malum phyſicum Malum morale ſequatur, vocatur Juſtitia punitiva (§. 593.); Nexus autem inter hæc Mala ſive inter peccatum & pœnam Sapientia divina conſtitutus eſt (§. 622.): E. irrogatio Pœnæ ex Sapientia divina ſequitur, ſive quod idem eſt, per Sapientiam ſuam ſummam Deus non poteſt non punire peccatum, adeoque Juſtitia punitiva Deo tam naturalis eſt, ac ipſa Sapientia Q. E. D.

Hujus argumenti vim etiam adhibuit *Celeberr. van der WAEYEN in Summa Theol. Cap. III.* §. CCXXXIV. quando dicit: „Peccatum concipi non poteſt, quod „Pœna non ultro ſequatur, imo quod ipſam Pœ„nam non in ſe contineat: *Et Reverendiſs. REINBECK in Libro de Redemtione per Lytron Parte I.* §. LXXXII. „Pœna quædam divina datur, cui cum „natura Culpæ intimus, neceſſarius & quaſi naturalis „nexus intercedit; quæ proinde erit neceſſaria & „indiſpenſabilis. Scilicet Ratio formalis peccati do„minantis ſita eſt in voluntaria ἀνομίᾳ ſeu ſpontanea „aberratione à lege, deſertione Dei atque apoſtaſia „à Deo vivo. Hebr. III; 12. Hæc omnia vero habent „ſuam ἔνδικον μισθαποδοσίαν. Dum enim homo Deum „deſerit, à Deo deſeritur; & dum à Deo vivo rece„dit, in mortem incidit certiſſimam. Ita valet illud „SENECÆ Epiſt. 98. Nullum ſcelus impunitum eſt, „quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.

§. DCXXIV.

Propositio tertia demonstranda hæc est. *Nec per Dei Sanctitatem fieri potest, ut Pœna non sequatur peccatum.*

§. DCXXV.

Actio divina recta est, quæ rationem sufficientem in Essentia & Attributis ejus habet, & per consequens nulli ejus Perfectioni contradicit.

DCXXVI.

Cum Actiones divinæ rectæ illæ sint, quæ nulli ejus Perfectioni contradicunt, sed cum omnibus ejus Attributis conveniunt (§. 625.): Hinc æstimandæ sunt illæ ex relatione ad omnia ejus Attributa, sive ad totam ejus Essentiam.

Fieri enim potest, ut aliquid per absolutam Dei Omnipotentiam, aut summam ejus Bonitatem, Deum quidem facere non repugnaret, quod tamen, cum Sapientiæ aut alii Attributo contradicat, nequaquam fieri potest, propterea talis Actio recta dici minime posset.

§. DCXXVII.

Sanctitas divina excludit omne illud, quod alicui Attributorum suorum oppositum aut contrarium, adeoque imperfectum est (§. 548.), in relatione enim ad Deum nihil perfectum judicari potest, nisi respectu habito ad omnia ejus Attributa (§. 408.): Cum autem Actiones rectæ sint, quæ nulli Attributo divino contradicunt (§. 625.), & Sanctitas divina idem faciat (per demonstrata); constat in Sanctitate divina esse perpetuam & constantem Voluntatem nihil faciendi, nisi quod rectum est: E. Deus, qui sanctissimus est (§. 550.), semper facit quod rectum est.

Deus

§. DCXXVIII.

Deus non potest non esse justus (§. 600.), unde ipsi necessario competit Justitia (§. 603.): Cum vero Deus per Sanctitatem suam semper facit quod rectum est (§. 627.), adeoque per Sanctitatem suam rationem habet omnium suorum Attributorum (§. 626. 627.), quia autem etiam Justitia Deo competit (§. 600.): Hinc Deus per Sanctitatem suam non potest non in Actionibus suis Justitiæ rationem habere.

Hæc propositio forsan inutilis videtur, quod in ea, cum jam supra probatum fuit Deum justum esse (§. 600.), nunc denuo probetur, Deum per Sanctitatem suam etiam Justitiæ debere rationem habere; sed supra §. cit. proprie nihil probavimus, quam Justitiam Deo competere, necessitatem autem exercitii ejus nondum ibi probavimus; Sunt nimirum, qui quidem concedunt Deo Justitiam competere, sed putant ejus exercitium propterea non absolute necessarium esse, & Deum pro lubitu dispensare posse; faciunt ergo distinctionem inter ipsam Justitiæ possessionem & ejus administrationem: priorem non negant; sed posterius, nempe exercitium ejus necessarium esse, inficiantur; hîc autem demonstramus, Deum non solum esse justum, sed per Sanctitatem suam ipsum non posse non etiam exercere Justitiam suam.

§. DCXXIX.

Justitia illa, de qua loquimur, quatenus Pœnas irrogat, vocatur punitiva, ut ergo tantum à modo exercitii ita vocetur (§. 593.), & illa Deo competit (§. 603.): Deus autem per Sanctitatem nonnisi quod rectum est facit (§. 627.), per consequens in Actionibus suis semper rationem habet omnium Attributorum (§. 625.): E. cum Justitia punitiva sit Attributum divinum

(per demonstrata), non potest non ejus in Actionibus suis rationem habere, per Sanctitatem suam.

§. DCXXX.

Quando Deus malefacientes punit, id facit per Justitiam punitivam, quia vero per Sanctitatem suam hujus Attributi rationem habet (§. 630.): E. per Sanctitatem suam Deus peccatum punire debet; sive quod idem est: Per Sanctitatem Dei non fieri potest, ut Pœna non sequatur peccatum. Q. E. D.

Philosophice hic ratiocinamur, cum, ut supra monuimus, principia Revelationis nobis adhucdum desint, aliâs possemus ostendere, quod ex Sanctitate Dei fluat internecinum peccati odium, Justitiam enim amat & odit iniquitatem Psal. XLV: 8. Et quod propterea non possit peccatori similis fieri Psal. L: 21., quod adeo debeat testari, se peccatori dissimillimum esse peccatum puniendo: & quod Deus de se dicat, se sanctificari, quum Pœnas exposcit: Levit. X: 3. & Deum sanctum sanctificari in Justitia: Jes. V: 16. hoc est, exercendo Justitiam suam demonstrare, quam Sanctus sit.

§. DCXXXI.

Quartum, quod nobis demonstrandum sumsimus, hoc est: *Etiam ex Dei Decentia fluit Justitiæ vindicativæ exercitium.*

§. DCXXXII.

Deum aliquid decere dicitur, si convenit cum ejus Essentia & Attributis (§. 482.), sive si in iis, quæ Deo insunt, continetur ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud.

§. DCXXXIII.

Impossibile est, ut Malum morale Deo placere

cere queat (§. 483.), sed summe displicet, siquidem Deus non potest velle nisi perfectum (§. 403.), Malum morale autem est imperfectio (§. 475.): E. in iis, quæ Deo insunt, continetur ratio, cur Malum potius non velle, quam velle debeat.

§. DCXXXIV.

Cum vero Deus per Justitiam vindicativam malefacientibus Pœnas irrogat (§. 593.), illam aversationem Mali sive displicentiam manifestat; hinc ex illis quæ Deo insunt intelligitur, cur ipsi Justitia punitiva conveniat, sive cur Malum punire velit.

§. DCXXXV.

Quoniam itaque Deum decet aliquid, si in iis quæ ipsi insunt continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 632.), inde patet, Justitiam punitivam Deum decere. Q. E. D.

§. DCXXXVI.

Quinta propositio demonstranda hæc est: *Justitia divina non est arbitraria, sed absolute necessaria, adeoque in ejus explicatione & demonstratione ad potentissimam & absolutam Dei Voluntatem recurrendum non est.*

§. DCXXXVII.

Arbitrarium apud homines id dicitur, ubi nihil adest, quod nos obligat ad potius sic, quam aliter agendum; à parte Dei id dicitur Arbitrarium, ubi nec in divinis Attributis, nec in objecto aliquid adest, quod Deum determinet ad potius hoc quam alio modo agendum.

§. DCXXXVIII.

Necessarium est id, cujus oppositum est im-

possibile, seu contradictionem involvit, & non potest non esse.

§. DCXXXIX.

Per absolutam autem Dei Voluntatem hic intelligimus talem decernendi & agendi modum, ubi stat pro ratione voluntas, sive ubi agitur nullo respectu habito vel Attributorum reliquorum, vel objecti & nexus rerum.

Illi nimirum, qui Pœnam peccati sive exercitium Justitiæ punitivæ arbitrarium faciunt, sibi persuadent, Deum pœnam irrogare vel non irrogare posse, nulla Attributorum suorum habita ratione: à mero adeoque ejus arbitrio dependere, utrum dispensare, vel non dispensare velit, ut adeo Deus non vi Essentiæ suæ agat, quando Justitiam illam exercet. Quam periculosum autem sit hoc dogma, inde patet, quia hoc modo absoluta pro peccato Satisfactionis necessitas plane tollitur, propterea contrarium nunc nobis demonstrandum est.

§. DCXL.

Ex variis autem id potest demonstrari principiis, & primo quidem hoc modo: Deus non vult nisi perfectum (§. 403.), & semper facit, quod rectum est (§. 627.), Perfectio autem & rectitudo alicujus Actionis metienda est ex relatione ad omnia Dei Attributa sive totam ejus Essentiam (§. 408. 626.): Deus E. nihil potest facere nisi respectu habito totius Essentiæ suæ.

§. DCXLI.

Deus nihil facere potest, nisi respiciat, an cum tota Essentia sua conveniat (§. 640.); oportet igitur aliquid insit Attributis divinis, cur potius id faciat, quam aliud faciat: quando autem Attributis divinis aliquid inest, respectu habito ad obje-

objectum, quod Deum determinat ad hoc & non alio modo agendum, Actio illius mere arbitraria dici non potest (§. 637.), sed ratio Actionis in Essentia divina adsit oportet, cum autem ratio Justitiæ punitivæ insit tum Intellectui & Voluntati divinæ (§. 618.), tum ipsius Sapientiæ (§. 623.), tum Sanctitati (§. 630.), & etiam Decentiæ (§. 635.): E. Arbitraria non est.

§. DCXLII.

Demonstratur porro hoc modo: Quicquid ipsi notioni Justitiæ punitivæ contradicit, illud contradictionem involvit, adeoque impossibile est: asserere autem Justitiam Dei punitivam arbitrariam esse, ipsi notioni hujus Attributi contradicit, adeoque impossibile est.

§. DCXLIII.

Quod ita probatur. Notio Justitiæ hæc est, ut cuique suum tribuatur (§. 565.): Si vero Justitia arbitraria esset, à mero Voluntatis beneplacito dependeret, nullo respectu habito, nec quid per reliqua Attributa fieri possit, nec objecti, cui Pœna irroganda, vel non irroganda est (§. 637.): E. tribueret cuicunque quod vult, & non quod suum est, & propterea Notioni Justitiæ contradiceret.

Si enim nulla convenientia rei divinæ Voluntati substrata sit, sed Deus nulla habita ratione nexus objectorum agat, distribuit cuique quod absolute vult, non quod nexui rerum convenit, adeoque non quod objecti est; quod notioni Justitiæ omnino contradicit. Q. E. D.

§. DCXLIV.

Etiam sic demonstratur: Deus erga omnes

Creaturas suas Bonus est natura sua (§. 514.), ut Benignitas ejus perfectiones, quoad fieri potest, omnibus tribuere cupiat (§. cit.); Sapientia vero ejus impedit, quo minus Bonitatem illam certis creaturis impertiri possit (§. 596. 597.), Sapientia enim omnes rerum convenientias, scheses, nexus considerat (§. 620.): Unde etiam nexum inter Malum physicum & morale, inter peccatum & Pœnam divina Sapientia constituit (§. 621.): Propterea in Justitiæ exercitio Bonitatem cum Sapientia administrat (§. 566.): Cum vero Deus nihil possit facere, nisi respective ad omnia sua Attributa (§. 408.): E. ejus Voluntas per reliqua Attributa determinatur ad Pœnam inferendam, aut non inferendam, & præcipue per Sapientiam ex demonstratis.

§. DCXLV.

Quoniam itaque Voluntas divina in Pœnæ irrogatione per reliqua Attributa determinatur (§. præced.), arbitraria non est (§. 637.).

Celeberr. CANZIUS de Usu Philos. in Theol. Cap. VIII. §. CCLVI. absurditatem Sententiæ de Justitia arbitraria etiam hisce ostendit, dicens: „ Si rerum convenien-
„ tiæ omnes arbitrio Dei subjiciuntur - - puniendus
„ erit malignus, non quia est individuus inter pecca-
„ tum pœnamque destinatam nexus; sed quia Deus
„ pro arbitrio hunc nexum esse voluit: Præmio affi-
„ ciendus pietati studens, non ob nexum remunera-
„ tionis cum probitate, sed quia Deus sine ratione
„ ex objecto petita vult: *Stat pro ratione in subjecto*
„ *Voluntas.* Posset igitur etiam innocentissimum æter-
„ nis torquere plagis: non enim Deus nexum me-
„ ritorum & pœnarum invenit, sed ex Voluntatis be-
„ neplacito demum facit. Qua sententia nihil potest
„ esse pestilentius.

Et

§. DCXLVI.

Et quia Voluntas Dei non est arbitraria in Pœnæ irrogatione, hinc Justitia punitiva est absolute necessaria, quod de Justitia Dei in genere, sub qua punitiva comprehenditur, jam (§.604.) demonstravimus.

§. DCXLVII.

Ut tamen Demonstrationi nostræ nihil desit, de necessitate Justitiæ punitivæ adhuc hoc ratiocinium addimus: Sub cujus oppositio Deum concipere contradictorium est, illud est absolute necessarium; atqui contradictorium foret, Deum sub oppositio justi concipere; nempe ut injustum: E. Justitia ejus punitiva est absolute necessaria.

§. DCXLVIII.

Quicquid autem est absolute necessarium, illud ad indifferentem & arbitrariam Dei Voluntatem referri nequit, sed ad ipsam Dei Essentiam atque Attributa pertinet, adeoque Deo essentiale est: E. & Justitia, quia absolute necessaria (§. 603. 647.), non ad indifferentem & absolutam sive arbitrariam Dei Voluntatem pertinet; sed Deo essentialis est.

Addam Theologi Celeberr. HERMANNI WITSII verba, quæ extant Oecon. Fœd. Lib. I. Cap. V. §. XXXII. „ Primus, inquit, Deiratis conceptus est, perfecte & infinite bonum esse. Ad bonitatem hanc facit Justitia suum cuique tribuens, per convenientem ἀποδοσίαν, in Eo imprimis, qui uti creaturarum rationalium Dominus est, ita non potest non earum Judex esse. Qui ergo injustum, aut non justum dicit, Deum negat esse, de quo hoc dicit.

§. DCXLIX.

Sexta propositio probanda hæc est : *Exercitium Justitiæ punitivæ tam diu durat, sive Pœna non cessare potest, nisi Deus Miraculo interveniat.*

§. DCL.

Quod Pœna tanquam Malum physicum ex Malo morali tanquam effectus naturalis necessario nexu fluat, jam (§. 530. 577.) demonstravimus, & propterea nonnisi Miraculo nexum hunc tolli & succedentem Pœnæ seriem averti posse ex (§. 531.) patet : Unde nunc demonstrationem illam non repetimus, sed Lectorem eo ablegamus : Quædam tamen hic adhuc monenda censemus. Supra jam (§. 590. 591. 592.) diximus, irrogationem Pœnæ non concipiendam esse ut positivum Dei actum, quo Deus cum voluptate quasi malignos excruciaret, sed Pœnam consistere in non-continuatione Bonitatis ejus, quæ omnem tristitiam, omnem miseriam comprehendat. Cum vero Pœna non ita se habeat, hinc alius de illa conceptus formandus est, nempe cum creatura rationalis commissione Mali moralis propria culpa sese Bonitate divina indeque fluentibus perfectionibus privavit, ejusque exercitium erga se sufflaminavit, inde nexu necessario varia fluunt miseriæ atque imperfectionis genera, quæ cum sint Mala physica & tristia ex Malo morali sequentia, Pœnæ rationem habent ; ex statu autem hominis moraliter imperfecto naturaliter non potest sequi perfectus ; nisi Miraculum interveniat & ordinem immutet, sed ex statu moraliter imperfecto non potest sequi nisi alius imperfectus, cum status sequens fundatus sit in anteceden-

* Wenn es aber mit der Strafe sich nicht so verhalten soll ...

cedente, ut posito uno, necessario etiam ponatur alter; cum ergo, nisi Miraculo alius creetur ordo, status moraliter imperfectus semel inceperit, cessare non potest, quamdiu creatura rationalis existit: uti autem se habet respectu Mali moralis, etiam sese habet respectu physici; quia Malum physicum necessario cum Malo morali conjunctum est; hinc etiam tamdiu continuatur, quamdiu durat Malum morale; morale vero tamdiu durat, quamdiu creatura rationalis moraliter imperfecta durat: E. etiam Malum physicum, quod Pœnæ rationem habet, non cessat, quamdiu creatura illa moraliter imperfecta existit, unde existentia creaturæ moraliter imperfectæ cum continuata Pœnæ duratione conjuncta est, ut unum ab altero non aliter nisi Miraculo separari possit, quo tum ordo imperfectionis moralis, tum Mali physici inde fluentis tollitur. Postquam ergo continuata creaturæ rationalis moraliter imperfectæ duratio demonstrata est, & quod nullum amplius Miraculum possit intercedere, quod statum illum immutet, etiam æternitas Pœnarum, utpote Mali physici ex Malo morali necessario fluentis, demonstrata est. Id autem ut nunc faciamus, principia sufficientia nobis adhucdum desunt, & propterea in alium locum differimus: Quodnam vel quale autem miraculum esse possit, quo Deus à Creatura moraliter imperfecta tum Malum morale, tum physicum sive Pœnam aufferre, adeoque ordinem status naturalis hominis peccatoris invertere potest, ex principiis Rationis non constat, adeoque ex alio dehinc principio demonstrandum erit.

Septi-

§. DCLI.

Septima & ultima propositio demonstranda hæc est: *Ut Deus Miraculo Malum physicum sive Pœnam cum Malo morali connexam tollat, motivum adesse debet.*

§. DCLII.

Deus nihil agit sine ratione sufficiente (§. 371.), illa autem est vel subjectiva, vel objectiva (§. 379. 380.), Ratio autem sufficiens Actionum vocatur motivum (§. 371.): E. Deus cum motivo agit.

§. DCLIII.

Cum ergo Deus nonnisi cum motivis agat (§. præced.), hinc etiam Ratio sive motivum adsit oportet, cur Miraculo statum hominis moraliter imperfecti mutet, & Malum physicum sive Pœnam cum imperfectione morali connexam auferat.

§. DCLIV.

Quale autem motivum illud possit esse, ex principiis Rationis demonstrari nequit. A creatura enim moraliter imperfecta desumi nequit, quasi illi aliquid insit, quod Deum movere possit, ut in gratiam ejus Miraculum patret, & ordinem naturalem status ejus immutet; cum enim status imperfectionis moralis duret quamdiu existit (§. 650.), hinc quo modo sese respectu Dei habet hoc momento, sese etiam in sequentibus habet, cum status moraliter corruptus (per demonstrata) semper idem sit, & à se ex imperfecto perfectus oriri nequeat: Nulla ergo potest concipi ratio, ex statu creaturæ rationalis depromta, cur Deus moveatur, ut per Miraculum, aliquan-

aliquando patrandum, ſtatum ipſius in melius vertat.

§. DCLV.

Neque etiam ex principiis Rationis ſcire poſſumus, quale motivum in Deo eſſe queat, cur ſtatum moraliter imperfectum, & Malum triſte ſive Pœnam cum illo connexam per Miraculum immutet. Nam motivum ſive finis, cur Deus facit quicquid facit, eſt manifeſtatio Gloriæ ſuæ (§. 497.); per Gloriam autem Dei intelligitur complexus omnium ejus Attributorum (§. 489.), per conſequens tota Divinitatis plenitudo (§. 408.); Cum vero nemo mortalium totam Dei Eſſentiam ſive omnia ipſius Attributa noſcat (§. 409.); Etiam nemo hominum ſcire poteſt, quomodo aliquid in tota Divinitatis plenitudine eſſe poſſit, quod ipſum moveat, ad aliquid committendum, quod alicui Attributorum ſuorum nempe Juſtitiæ punitivæ, quam demonſtravimus, contrarium eſt: ſive, ut clarius loquar, nobis modus ex Ratione non patet, quomodo Deus ſalva ſua Juſtitia per Miraculum Malum morale & Pœnam cum eo connexam in creatura rationali tollere poſſit, & tamen glorificari, hoc eſt, omnium ſuorum Attributorum rationem habere.

Si integram de Juſtitia Dei punitiva materiam nunc abſolvere vellemus, adhuc objectiones, quæ ab Adverſariis contra illam moventur, ſolvendæ eſſent; ſed cum in hoc capite tantum veritates in nexu ſuo tradamus, infra in Capite de Socinianis ad illas reſpondendi locus erit.

§. DCLVI.

Præſentia eſt ille ſtatus Entium, quo in ſe mutuo

mutuo agere possunt, aut pati, sine aliorum interventu.

§. DCLVII.

Ad Omnipotentiam autem divinam requiruntur distinctissima omnium rerum repræsentatio, & omni-operatio: Est E. status omnia operandi in omnibus creatis.

Celeberr. CANZIUS de Usu Philos. in Theol. Cap. VII. de Christo & ejus nat. hum. §. 234. ita de hoc divino Attributo. „ Omnipræsentia est status, quo Ens su„ premum omnes omnino res repræsentat, easdemque „ potentissimo concursu animat, dirigit, moderatur, „ gubernat. Quæ actio Dei in res omnes longe con„ summatissima est, nulla reactione creaturarum li„ mitata, nulla passione interpolata: quem existendi „ modum Scholastici vocant actum purissimum.

§. DCLVIII.

Intellectus divinus est perfectissimus, sibi omnia distinctissime & simul repræsentans, sive præsentia sistens (§. 344.), & Mundus ab eo in existentia sua dependet (§. 295. 296.), & omnia unico actu vult (§. 435.), & omnia sibi invicem subordinat ad finem ultimum (§. 498.), atque dubitari nequit, Deum omnia sibi repræsentare & omnia operari: E. est Omnipræsens.

§. DCLIX.

Ens simplex omni prorsus caret parte, si ergo alteri Enti præsens est, non in parte tantum, sed totum præsens est; Deus autem est Ens simplex (§. 306.); Ideo omni creaturæ totus præsens est.

§. DCLX.

Et cum sit Ens simplex, etiam in loco esse nequit, juxta principia Ontologica.

Sum-

§. DCLXI.

Summa felicitas sive beatitudo consistit in semper duratura voluptate; sive in non impedita fruitione Perfectionum absolute summarum.

§. DCLXII.

Deus semetipsum (§. 321.), adeoque omnes suas Perfectiones, distinctissime cognoscit, & ex iis non potest non Voluptatem percipere: Cum vero & omnia, quæ habet, possideat simul (§. 542.), ubique sufficientissimus sit (§. 415.), & ab omni alia re extra se independens (§. 303.), cujus summa felicitas turbari à nemine potest: E. Deus non potest non esse Beatissimus.

§. DCLXIII.

Ens infinitum est, quod omnes perfectiones compossibiles gradu absolute summo possidet (§. 546.), si vero aliud adhuc Ens infinitum poneretur præter unum, aut differrent à seinvicem, aut non differrent: si differrent unum non posset esse infinitum, cum differret aut numero perfectionum, aut illarum gradibus; si non differrent, tum tantummodo unicum est sub diverso nomine, sive unum tantum bis cogitaretur, & Ens infinitum, cum habeat omnes realitates & Perfectiones, nec hac carere potest, nempe *Unitate*.

Celeberr. CANZIUS Sect. IV. Cap. I. §. 134. de Usu philos. in Theol. de unitate Entis infiniti sive Dei ita loquitur: „ Intelligitur ex his, quare nonnisi unicus „ Deus exsistere, præter Deum autem infinita rerum „ varietas habere locum queat: Nimirum res omnes „ præter Deum non sunt perfectissimæ, possunt igitur differre perfectionum gradu, numero. Sed „ cum per vocem Dei intelligamus eum, qui omnes „ omnino Perfectiones complectitur, & eas quidem „ sine

„ sine gradu possessas: cognoscitur sane, plures ejus „ generis esse non posse. Nam cum singuli omni„ bus, & sine gradu quidem, Perfectionibus exor„ nati forent, nullum remaneret distinctionis funda„ mentum. Qui enim bis omnia cogitat, si differre „ tum ea statuat, aut alterutro conceptu non com„ prehendit omnia, aut eadem omnia diverso men„ tis actu concepit.

§. DCLXIV.

Deus est Ens absolute perfectissimum (§. 543.), per consequens etiam infinitum (§. 346.): E. non potest non esse *Unus*.

§. DCLXV.

Hisce, quæ diximus, etiam consentit Scriptura quæ asserit, Deum esse omnipræsentem Actor. XVII: 27. 28. Psalm. CXXXIX: 7. & Beatissimum 1. Tim. VI: 17. & nonnisi unum. Jes. XLIV: 6. 8. XLV: 14. 21.

Sectio VII.

De

Creatione & Providentia.

§. DCLXVI.

Per Decretum divinum intelligitur determinatio Voluntatis de hoc Mundo ad actum producendo (§. 422.), Actus autem, quo Mundus ex nihilo fuit productus, vocatur *Creatio*.

§. DCLXVII.

Hoc Universum est Ens contingens (§. 287.), adeoque rationem sufficientem existentiæ suæ non in

in se habet (§. 290.), nec propria virtute existit: Ergo Existentiam suam habet ab alio & quidem à Deo (§. 296.).

§. DCLXVIII.

Alteri Existentiam dare est alterum ad actum perducere; Mundus hic Existentiam suam à Deo habet: E. ab ipso ad actum perductus est.

§. DCLXIX.

Mundus materialis constat ex materia certo ordine, tum ratione coëxistentiæ, tum successionis, dispositа; cum vero Mundus à Deo ad actum perductus fuit, sive materia & elementa, ex quibus constat, in hunc ordinem & seriem redacta fuerunt; oportet illa materia & elementa, aut antea jam extiterint, aut non extiterint.

§. DCLXX.

Si assumatur, materiam illam jam præextitisse, oportet illa certis circumstantiis, hac aut illa figura, situ determinata fuerit; determinatio autem illius figuræ aut situs oportet sit, aut necessaria, aut contingens.

§. DCLXXI.

Si necessaria est, etiam est immutabilis; nam quicquid necessarium est, aliter esse non potest; si autem est immutabilis, nec ipse Deus aliquid in materia potest mutare, eam transformare, in hunc ordinem aut hoc Mundi Systema redigere.

§. DCLXXII.

Ergo determinatio illius figuræ, aut situs, oportet sit contingens: Si vero contingens sit,

etiam rationem ſufficientem Exiſtentiæ hujus determinationis non poteſt habere in ſe (§. 290.): E. habet in alio Ente, quod eſt Deus (§. 296.).

§. DCLXXIII.

Si autem concedatur, determinationem talem hujus præexiſtentis materiæ quidem in Deo eſſe, ſed illum hanc Materiam ex præexiſtentibus elementis ad hunc exiſtendi modum formaſſe; quæſtio oritur: an rerum elementa ſint æterna?

§. DCLXXIV.

Omnis in compoſito diverſitas à diverſitate elementorum emanat, ſi nempe qualitatem intrinſecam ejus reſpicias: Si ergo alius Mundus & alius rerum ordo eſſe deberet, etiam alia exiſtere deberent Elementa. Cum vero hic Mundus ſit contingens, etiam Elementa, ex quibus compoſitus eſt, ſunt contingentia.

§. DCLXXV.

Quicquid autem contingenter exiſtit, illud non neceſſario exiſtit; ſi autem Elementa non neceſſario exiſtunt, rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non habent in ſe, ſed in alio (§. 290. 283.): cum vero Deus rationem Exiſtentiæ hujus Mundi in ſe habet; etiam Elementa, ex quibus Mundus compoſitus eſt, rationem ſufficientem Exiſtentiæ ſuæ in illo habent, & per conſequens ab illo producta ſunt.

§. DCLXXVI.

Cum & hic Mundus aſpectabilis à Deo productus ſit (§. 667.), & materia, ex qua conſtat (§. 672.), & Elementa, ex quibus materia compoſita

posita est (§. 675.) : Sequitur illum hunc Mundum cum elementis, ex quibus componitur, ex nihilo produxisse.

§. DCLXXVII.

Productio ex nihilo est Creatio (§. 666.), Deus hunc Mundum ex nihilo produxit (§. 676.); E. illum creavit, per consequens, est Creator Universi.

§. DCLXXVIII.

Vis activa corporum, unde actiones eorum pendent, vocatur Natura ; ut adeo Natura Universi sit aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in Mundo existentibus simul insunt ; cum vero Deus totum hoc Universum cum omnibus ejus elementis ex nihilo produxerit (§. 676.), etiam simul Naturæ ordo ab ipso constitutus est : E. Deus est Autor Naturæ.

§. DCLXXIX.

Per vires motrices nihil aliud oriri potest, quam varius modus compositionis corporum, (per experientiam quotidianam) ; composita vero oriuntur ex materia & elementis præexistentibus, citra rei ex nihilo Ortum. Cum vero Creatio sit productio rei ex nihilo (§. 666.), per vires autem motrices, quæ vocantur Natura (§. 678.) nihil creatur, per consequens Naturæ Potentia Creatrix non competit, sed Deo propria est.

§. DCLXXX.

Quoniam itaque potentia creandi vim Naturæ universæ excedit, neque ex Vi & Essentia creaturarum sequitur, Creatio Miraculum est (§. 395.).

§. DCLXXXI.

Miracula requirunt causſam à Mundo diversam (§. 397.), Creatio vero est Miraculum (§. 680.), & soli Deo competit (§. 679.): E. Potentia Creatrix nulli Creaturæ communicari potest.

§. DCLXXXII.

Cum principiis Rationis etiam S. Script. idem dicit, nempe omnia à Deo ex nihilo fuisse creata, Gen. I: 1. Hebr. XI: 4. Rom. IV: 7. Deus Creator Gen. I. & quidem solus est. Jes. XLIV: 24.

§. DCLXXXIII.

Cum ex hujus Mundi existentia Existentia Dei & ejus Attributa cognoscuntur: patet totum hoc Universum, & quicquid in illo existit, Attributorum divinorum Speculum esse. Per Speculum nimirum hic intelligitur, quod per ea, quæ creaturæ insunt, colligere possumus, quænam sint divina Attributa.

§. DCLXXXIV.

Consentit S. Script. Rom. I: 20.

§. DCLXXXV.

Deus tale Mundi Systema creavit, quod fini suo est convenientissimum (§. 388.); Finis autem ille est Manifestatio Gloriæ divinæ (§. 489.); Manifestat vero Deus Gloriam suam, quando creaturis rationalibus Attributa sua revelat; & glorificatur à creaturis rationalibus, quando verbis & factis ostendunt, se agnoscere Attributa divina (§. 490.); E. Deus, quando finem suum voluit assequi, etiam creaturas rationales in hoc Mundo producere debuit. Licet

Licet enim Deus totum hoc Universum, cujus extensio nullis cogitationibus comprehendi potest, & corpora illa cœlestia stupendæ magnitudinis & infinitæ Sapientiæ opera produxisset, & illa deserta & inania mansissent, Deus finem suum non consequutus fuisset, cum ab inanimatis illis corporibus Magnus Creator nec cognosci nec celebrari, seu glorificari queat.

§. DCLXXXVI.

Creaturæ illæ rationales simul sumtæ vocantur MUNDUS SPIRITUALIS, oppositе ad Mundum aspectabilem sive corporeum, etiam RESPUBLICA SPIRITUUM & CIVITAS DEI.

Si hic ab instituto nostro discedere & extra oleas vagari vellemus, fundamenta Theologiæ Emblematicæ ostendere possemus, indicando nempe, non minimam Sapientiæ divinæ partem esse, quod tam admirabilem Harmoniam atque Conformitatem inter Mundum illum aspectabilem & alterum illum, qui Mundus Spiritualis est, instituerit, ut ea, quæ in uno fiunt, etiam in altero, modo licet differente, fiant; & uti *Mundus* ille *visibilis* Existentiæ & Attributorum divinorum Speculum est, ita non minus illarum rerum, quæ in *Mundo Spirituali* eveniunt, Speculum esse: Ex Sapienti hac atque admirabili omnium divinorum operum Harmonia atque conformitate nullo deinde negotio totam illam de Emblematibus doctrinam deducere nobis liceret. Neque etiam instituti nostri ratio nobis permittit, ut multa hic de præstantia Civitatis illius Dei, sive Reipublicæ Spirituum perorемus; non tamen à me impetrare possum, quin, brevissima licet, sed elegantissima Ill. LEIBNITII verba de hac re adducam, quæ extant *in Caussa Dei asserta per Justitiam ejus* §. 142. 143. 144. „ Ipsum autem „ Bonum in divinæ Sapientiæ thesauris, vel in Deo ab„ scondito, & in universali rerum Harmonia latet - - „ Theatrum Mundi corporei magis magisque ipso na„ turæ lumine in hac vita elegantiam suam nobis „ ostendit, dum Systemata Macrocosmi & Microcos-

„ mi recentiorum inventis aperiri cœpere. Sed „ pars rerum præstantissima, Civitas Dei Spectaculum „ est, cujus ad pulchritudinem noscendam aliquando „ demum illustrati divinæ Gloriæ lumine propius „ admittemur &c.

§. DCLXXXVII.

Illi Incolæ rationales, qui hanc Terram inhabitant, vocantur Homines, qui ex anima & corpore constant.

De Angelis ex principiis philosophicis nihil constat: An vero in aliis Corporibus cœlestibus huic terræ similibus, etiam genus aliquod creaturarum intelligentium habitet, demonstrari quidem non potest, licet non improbabile fiat, si consideremus, tum similitudinem, quam illa corpora cum hac nostra terra habent, quæ habitaculum talium creaturarum est; tum exiguum usum, quem aliàs haberent, si nulli Incolæ ibi habitarent; tum etiam si respiciamus finem creationis Universi, qui est Manifestatio Gloriæ divinæ, quæ eo magis agnosceretur & celebraretur. Ita de hac re *Celeberrimus olim apud Genevenses Theologus JOH. ALPH. TURRETTINUS disserit in Cogitationibus de variis Theolog. Capp. §. 86.* „ Magnitudinem ope„ rum divinorum non satis perpendunt, qui in hoc „ arenæ granulo, quod Tellurem dicimus, vellent „ omnia perfectissima ac felicissima esse. Sursum im„ mensa, sive temporis sive loci Spatia sunt, in qui„ bus innumeris modis, humanæ menti imperviis, „ πολυποίκιλος Dei Sapientia sese exerat, illaque per„ fecte explicet, quæ nobis homuncionibus, in hac „ caligine perplexa videntur.

§. DCLXXXVIII.

Cum Anima humana est Ens contingens, & non necessarium (§. 284. 285.), illa etiam rationem sufficientem existentiæ suæ non habet in se (§. 283.): E. in alio, & quidem in Deo (§. 296.), unde etiam à Deo creata est.

An

An ſtatim ab initio plures, an vero duo tantum homines fuerint formati, ex Ratione demonſtrari nequit, quamvis etiam ex ipſa Ratione non improbabile ſit, duo tantum fuiſſe Maſculum & Fœminam, ut hac ratione totum genus humanum per generationem ab uno derivaretur.

§. DCLXXXIX.

Anima hominis eſt immaterialis & immortalis.

Cum hac veritate nitatur veræ Religionis Syſtema, in ejus Demonſtratione paulo prolixiores erimus : Sunt nimirum qui putant, Animæ Immortalitatem ex ſola Revelatione ſolide probari poſſe, ut POMPONATIUS de immortalitate animæ Cap. ultimo pag. 126. SCALIGER adverſus CARDANUM Exercit. 307. c. 33. p. 990. citante *Celeberr. CANZIO de Uſu Phil. in Theol. Cap. IV. de homine §. 196. Not. 336.* Cum vero Immortalitatis Animæ veritas demonſtranda ſit, etiam illis, qui Scripturæ Autoritatem nondum agnoſcunt, argumenta ex Ratione ſunt deſumenda, ut eo magis convincantur, ſi ita via præparetur ad fidem faciendam iis, quæ S. Script. aſſerit.

§. DCXC.

Demonſtranda eſt, tum Animæ Immaterialitas & Simplicitas; tum perpetua ejus Exiſtentia; & tandem etiam Immortalitas ſive continuatio repræſentationum diſtinctarum poſt mortem.

§. DCXCI.

Poſtremum demonſtrari poteſt, tum ex ipſa animæ natura, tum ex Natura Dei.

In pertractatione hujus materiæ utar ope Ill. LEIBNITII, ex ejus Monadol. tum Summe Rev. REINBECKII ex Libro quem inſcripſit : *Philoſophiſche Gedanken über die vernünftige Seele, und derſelben Unſterblichkeit*; ut & Ill. WOLFII Metaph. §. 738 - 742.

& Celeb. CANZII. Lib. cit. Cap. IV. nec non L. P. THUMMIGII Melet. pag. 150. de Immort. Animæ.

§. DCXCII.

Ex Experientia noſcimus, Animam rationalem ſui & aliarum rerum conſciam eſſe, vim habere diſtinctæ repræſentationis rerum, adperceptionis ſive reflexionis, ipſi competere facultatem obſervandi nexum rerum, & ex artis principiis per ratiociniorum connexionem veritatem demonſtrandi.

§. DCXCIII.

Materiæ autem hæc omnia competere non poſſunt; Quicquid nimirum materiæ competit, id demonſtrari poteſt, vel ex ejus extenſione & figura, vel ex ejus compoſitione & qualitatibus, vel ex ejus motu; atque Animæ talia competunt (§. 692.), quæ nec ex eſſentia, nec attributis materiæ demonſtrari poſſunt, ſed potius ipſis contrariantur: E. ea, quæ Animæ competunt, poſtulant naturam vel eſſentiam à materia diverſam.

§. DCXCIV.

Anima cogitat, dum ſui & aliarum rerum conſcia eſt. Hoc autem per rationes mechanicas explicari nequaquam poteſt, ſive per figuras & motus materiæ; etſi enim machina artificioſiſſima fabricaretur, nihil aliud in illa obſervaretur, quam motus continuus ſemper eodem modo ſeſe habens, nec quicquam adeſſet, ex quo Cogitatio explicari poſſet.

§. DCXCV.

Anima non ſemper idem cogitat: mox enim hoc, mox aliud ſibi repræſentat, mox dubitat,

mox

mox idem, de quo dubitavit, in momento temporis credit, mox cogitationes suas de aliqua re abrumpit, mox illas iterum pro arbitrio continuat, mox affirmat, mox negat, mox appetit, mox aversatur, mox ipsa producit cogitationes suas, mox ab alia re extra se cogitatio dependere videtur.

§. DCXCVI.

Si materia cogitaret, cogitationes nihil aliud esse possent, quam determinati motus certarum hac vel illa figura præditarum partium; si ergo eadem cogitatio continuatur per certum tempus; aut partes illæ materiæ motum sisterent, aut aliæ similes in earum locum succederent: Utrumque vero absurdum est.

„ Quæri potest, an omnes particulæ Animæ simul junctæ „ & certo modo agitatæ cogitent? vel quot partes „ habeat cogitatio? An vero singulæ seorsim cogitent „ & aliquid faciendum proponant? Sed quot tunc, „ pro una, cogitationes in homine non existent? „ Quid illud est, quod has particulas ad talem vel talem motum determinat, ut talis vel talis cogitatio „ existat? Quod est principium voluntatis, ut jam „ hoc, jam illud pro lubitu cogitem? Sunt verba *Clar. LAUFFERI in Atheo amente pag. 88.*

§. DCXCVII.

Anima mox potest cogitare de Deo ut Summo Ente, mox iterum rem abjectissimam in hac terra sibi repræsentare potest, mox ad abstrusissimos conceptus metaphysicos sese vertit, mox ideas sejungit, mox conjungit; etiam significatum talium vocum intelligit, cum quibus proprie nullam ideam conjungere potest, quales sunt Adverbia & Particulæ Conjunctivæ, uti appellari

pellari ſolent, uti ſi dicimus *ita*, *ſed*, *quare*, *licet*, &c. notum autem eſt, nullam rem corporalem extra animam vocibus hiſce reſpondere. Quare impoſſibile eſt, ut per motum particularum certarum, vel variam figuram & ſitum illarum, ex quibus anima materialis compoſita eſſe deberet, tanta cogitationum varietas, tam abſtruſi conceptus explicari queant.

§. DCXCVIII.

Anima etiam tales producit cogitationes, ad quas omnia objecta externa, vel motus proprii corporis, vel ſenſus plane nihil contribuunt; uti dum ſui ipſius conſcia eſt, vel certarum notionum communium, oportet ergo agat ex principio intrinſeco. Si autem ſit materialis, oportet oriantur tales cogitationes ex intrinſeco particularum motu, figura, ſitu; quæritur autem, quodnam ſit principium illud motus intrinſecum? undenam motus illius variatio ortum ducat? quidnam illum hoc potius modo, quam alio determinet? quidnam illum reproducat, ſi determinatus fuit ab extra, adeoque ordo motus ex intrinſeco principio fuerit interruptus?

§. DCXCIX.

Animæ cogitationes etiam determinantur à ſenſibus per res extra ſe; ſi vero Anima ſit materialis, & cogitationes ejus conſiſtant in certo motu, figura, ſitu particularum, ſequeretur, eandem cogitationem per eundem motum ſemper debere produci, & eundem motum etiam ſemper eandem efficere debere cogitationem: nam motus eodem modo determinatus non poteſt non idem exiſtere. Si

§. DCC.

Si hoc est, qui tum fieri potest, ut per datum aliquod signum, aut per vocem articulate pronuntiatam, aut literis consignatam, idem motus in anima materiali efficiatur, cum tamen motus, qui tribus hisce modis in sensibus producitur, à se sit diversus? Qui fit, ut eadem vox non eandem in Anima hominum cogitationem excitet? quare ex. gr. homo, qui legere nescit, si vocem *Deus* in charta scriptam videt, non eundem in anima sua motum sentit, ac alius qui legere didicit, cum tamen litteras easdem, easdem adeoque figuras cum altero videat, quæ ergo eundem in anima sua deberent excitare motum, eandem mutationem; qui fit, ut vox *Jehova* & *Deus* vel audita, vel in charta visa eundem in Anima materiali motum producat, cum tamen non eundem nec in aëre, nec in oculis motum excitet. Si hoc ex legibus motus rei materialis explicari & demonstrari potest, certe credam, etiam materiam cogitare posse. Sed qui fit porro, ut eadem vox cum aliis constructa plane aliam producat cogitationem, quam si iterum alio nexu, alia constructione adhibeatur, nonne vox eadem est, nonne eundem in aere motum excitat, nonne eundem etiam in anima materiali effectum excitare deberet?

§. DCCI.

Si Anima machina quædam esset, principio motus intrinseco instructa, tunc motus per eandem determinationem semper continuaretur, sed undenam tum infinita cogitationum varietas? si vero varia Animæ insint mutationis & variationis principia, undenam tum hoc in casu est, quod

mox

mox hoc intrinsecum actionis principium, mox illud agat ? quod unum actionis & motus principium hoc momento agat, sed mox sistatur ; alterum vero incipiat agere, quod antea in totali inactione fuit ? in illis nempe cogitationibus, quæ non determinantur à rebus extra animam existentibus.

§. DCCII.

Si Anima res materialis esset, alia corpora in ipsam agere, & motum particularum ejus varium producere in illa non possent, nisi vel immediate per contactum, vel mediantibus aliis corporibus ; sed res dissitas à nobis non tantum ratione loci, sed etiam temporis nobis repræsentare valemus, imo res, quæ non amplius existunt; sed qui tum fieri potest, ut illæ vel lætam vel tristem cogitationem aut repræsentationem in Anima nostra materiali efficere queant, cum impossibile sit, ut illa vel mediate vel immediate in animam nostram agant per contactum ? Undenam fit, ut etiam tales res nobis repræsentare valeamus, quas nec oculus videt, nec auris audit, nec tactus, nec gustus, nec olfactus sentit, quæ ergo vel motum, vel figuram, vel situm particularum Animæ nostræ modificare nequaquam possunt, quod fieri deberet, si illam materialem fingimus ?

§. DCCIII.

Quidnam quæso est, quod motum, vel figuram, vel situm particularum materialis Animæ nostræ modificat, quando cogitationes per res, quæ plane nihil materiale habent, determinantur ? Quid est, quod particulas illas movet, aut figuram, aut situm earum mutat, quando nobis re-

præ-

præsentamus, aut vitium, aut virtutem aliquam abstracte sine individuo aliquo, cui inhæret, consideratam ? si consideramus in abstracto, quid sit possibilitas, quid actualitas, quid attributum, quid accidens alicujus rei : quid est, inquam, in hisce omnibus, quod materiæ motum communicare, aut figuram, aut situm particularum illius mutare valeret ?

§. DCCIV.

Quantæcunque tandem subtilitatis materia illa fingatur, imo ipsa aura aut vapore infinite subtilior, tamen Cogitationis conceptum non magis quam corpus quodvis vastissimæ molis ingrediuntur ejus particulæ.

§. DCCV.

Materia manet materia, & quidem extensa, unde illi nihil competit, quod nec cum essentia, nec attributis ejus convenit : & Ratio Animæ tam eximios in rerum inventione, omniumque Scientiarum genere producit effectus, ut causatum multo nobilius foret causa, si materiæ illa omnia adscribere vellemus ; imo in effectu aliquid foret, quod rationem sufficientem in causa habere nequit; quod omnis rationis regulis plane contrarium est : unde concludimus, Animam, quæ tot tantosque producit effectus, qui cum materia combinari nullo modo, imo nulla ratione possunt, à Materia esse plane diversam.

Vide Reverendiss. REINBECK Tract. de Anima & Immortalitate ejus. §. 39.

§. DCCVI.

Non ergo inde est, quod Materialitatem Animæ

mæ rejicimus, quia multa in ejus explicatione occurrunt, quæ comprehendere non poſſumus, ſed ideo id facimus, quia contradictoria ibi obveniunt.

§. DCCVII.

Omne ens, vel partes habet, vel nullas; quod partes habet vocatur Compoſitum; quod nullas habet vocatur Ens Simplex; cum vero Anima non ſit corpus ſive materia, hoc eſt, Ens Compoſitum, oportet E. illa ſit Ens Simplex.

§. DCCVIII.

Omnis corporum interitus fit per diſſolutionem partium, Ens autem Simplex, quale Anima eſt, nullas habet partes (§. 707.); unde Anima nonniſi per annihilationem interire poteſt, & incorruptibilis eſt.

Ad Immortalitatem Animæ tuendam tria requiruntur, α. ut demonſtretur, ejus Eſſentiam poſt mortem adhuc exiſtere, β. & quidem in ſtatu diſtinctarum idearum γ. cum ſui ſtatusque præteriti conſcientia: & id tum ex ipſa Animæ Natura, tum ex Attributorum divinorum conſideratione demonſtrari ſolet.

§. DCCIX.

Anima eſt incorruptibilis (§. 708.): E. cum corpore mori non poteſt, ſed poſt ejus mortem in Eſſentia ſua perdurat.

§. DCCX.

Eſſentia Animæ conſiſtit in vi clararum & diſtinctarumRepræſentationum cum ſui conſcientia.

§. DCCXI.

Cum Anima in Exiſtentia ſua poſt mortem corporis perduret (§. 709.), etiam Eſſentiam ſuam

am retinet, quia nullum Ens absque Essentia existere concipi potest : quoniam itaque Animæ Essentia consistit in vi repræsentativa clararum & distinctarum Idearum; sequitur Animam etiam post mortem perceptionum, quæ ad cogitandum & judicandum necessariæ sunt, capacem esse.

§. DCCXII.

Anima etiam gaudet Intellectu puro, hoc est, tales habet cogitationes, quæ non à sensibus externis, neque imaginatione dependent (§. 698.): Quoniam itaque absque organis sensoriis corporis cogitare potest; sequitur, illi instrumento organorum sensoriorum corporis non absolute opus esse.

§. DCCXIII.

Anima ad cogitandum sive ad distinctas perceptiones corpore non indiget (§. 712.): Sequitur, illam etiam à corpore separatam, hoc est post mortem distinctarum perceptionum capacem esse.

§. DCCXIV.

Et quia etiam post mortem distinctarum Perceptionum capax est (§. 713.), sequitur, etiam post mortem corporis illam sui conscium esse; ubi enim sunt distinctæ Perceptiones, ibi Anima se ab aliis rebus discernere potest, & dum sui conscia est, se eandem esse, quæ antea extitit, simul intelligit.

Celeberr. CANZIUS de usu Phil. in Theol. cap. IV. §. 197. ita ratiocinatur. „ Præsto est ratio, ut Anima perseveret : Status enim consequens pendet ex statu „ antecedente : atqui in statu antecedente erat distinctarum Idearum & Conscientiæ fons uberrimus; „ cur igitur protinus exaresceret? sic Anima sui conscia

„ scia post obitum existit, ut etiam eandem se agni-
„ tura sit, quæ antehac fuerit in vita mortali. Con-
„ sequentes enim fluunt ex antecedentibus - - - &
„ cum in Anima separata plures oriantur Notiones ex
„ antecedentibus consequutæ, quæ non possunt non
„ aliquid cum illis habere commune; sentiet profe-
„ fecto Anima se eandem esse, quæ fuit ante mor-
„ tem.

§. DCCXV.

Omnis vis transit in actum, si nullum impedimentum adsit; cum vero nullum adsit impedimentum, quod obsit, quo minus vis Animæ repræsentativa etiam post mortem in actum erumpat (§. 712.); sequitur, Animæ post separationem à corpore non tantum vim, sed & actum distinctarum Repræsentationum adhuc superesse.

§. DCCXVI.

Ad immortalitatem Animæ requiritur, ut post separationem à corpore adhuc superstes sit, ut habeat etiam tunc vim clararum & distinctarum Repræsentationum, ut tandem sui statusque præteriti & præsentis conscia sit (§. 708.), ipsi autem etiam post mortem competit primum requisitum (§. 709.), & secundum (§. 711. 712. 713.), & tertium (§. 714.): E. Anima Immortalis est. Q. E. D.

§. DCCXVII.

Argumentum etiam desumitur ad adstruendam hancce veritatem ex Natura Dei (§. 703.), præcipue Justitia ejus: probata nimirum Animæ perennitate post mortem ex ejus natura, etiam ex statu ejus morali argumenta desumuntur ad demonstrandum, qualis ipsius status vel conditio futura sit, adeo ut ex divina Justitia non tam

ejus

ejus perseverantia, quam status ejus moralis demonstretur.

§. DCCXVIII.

Cum nimirum Anima post mortem permanet in eo statu, qui naturaliter præsentem consequitur (per demonstrata); necessario etiam in eo permanet, qui ex præsenti sequitur moraliter, cum status ex statu morali sequens nonnisi per Miraculum tolli queat (§. 531.); ea autem, quæ ex statu morali præsenti consequuntur, sunt vel Pœnæ, vel Præmia, ad quæ requiritur Conscientia sui & status præteriti; cum vero Anima post mortem perseveret quoad Existentiam propter incorruptibilitatem ejus (§. 709.): E. ita perennabit, ut status sequens conveniat cum antecedente, non tantum naturaliter, sed & moraliter.

Vide Illustr. BULF. Dilucid. §. 362. Celeb. CANZIUM de usu Phil. in Theol. cap. IV. §. 202. pag. 272 f.

§. DCCXIX.

Vel ita argumentari etiam possumus: Justitia Dei cuique suum tribuit, hoc autem non semper fit in hac Vita, præsertim ratione illorum, qui propter confessionem Domini moriuntur, E. fiat oportet in altera Vita.

§. DCCXX.

Etiam hoc modo demonstrari potest: Deus hoc Universum condidit ad manifestationem Gloriæ suæ (§. 489.); manifestatur autem illa creaturis rationalibus, & Deus ab illis glorificatur, quando ejus Attributa sive Gloria ex consideratione operum ejus agnoscitur & colitur (§. 685.); hoc autem in hoc ævo propter imbecillitatem Intelle-

tellectus noſtri fieri nequit (§. 409.), nec enim modum ſcimus, quo omnia in hoc rerum Univerſo ad finem ultimum tendunt, nec rationem, qua Deus in operibus ſuis ſemper reſpicit ad omnia ſua Attributa ſimul ſumta (§. 410.): Cum ergo Deus per Creationem hujus Mundi ejusque Gubernationem manifeſtet ſummam ſuam Perfectionem ſive totam Gloriam ſuam, idque creaturis rationalibus; minima autem pars Gloriæ illius hiſce creaturis in hoc ævo patefiat, adeoque Deus finem ſuum nondum obtineat, ut nempe ſummam ejus Perfectionem creaturæ rationales agnoſcant: Sequitur, alterum futurum eſſe ævum, in quo omnis modus Entibus intelligentibus revelatur, quo Deus finem ſuum per omnia ſua opera conſequitur. E. Anima poſt hanc vitam ſuperſtes eſſe debet.

Ut verum fatear, hoc argumentum illud eſt, quod, licet de Animæ meæ Immortalitate ne momentum quidem dubitaverim, mihi ſemper maximum viſum fuit, & quod me maxime de hac veritate convicit; illud me quidem in Theologia Naturali adhibitum legiſſe vel audiviſſe non memini: reliqua argumenta propterea non contemno, alteri enim unum, alteri alterum argumentum magis perſpicuum videtur: Ita nimirum ratiocinor; Deum propter ſemetipſum Mundum hunc condidiſſe, non eſt quod dubitem, Ens enim ſibi ſufficientiſſimum non poteſt aliquid quærere extra ſe; quid ergo intendit per omnia ſtupenda ſua opera? hauddubie ſui manifeſtationem, ſui Glorificationem? Sed quibus manifeſtari debet illa Gloria, à quibus agnoſci? hauddubie à creaturis intelligentibus; propterea Deus non tantum Univerſum plenum Corporum inanimatorum ſtupendæ magnitudinis condidit, à quibus nec agnoſci, nec celebrari poteſt; ſed etiam Creaturas multo nobiliores hiſce producit, quæ infinitam tum Potentiam, tum Scientiam, tum Sapien-

pientiam, tum reliqua summi Creatoris Attributa cognoscerent, glorificarentque. Quicquid ergo Deus condidit, ideo condidit, ut id Entibus ratione præditis, quo modo divina Attributa illustret, patefieret; & ipsa illa Attributa hoc modo glorificarentur. Deum enim multa in hoc rerum Universo condidisse, quæ sibi soli nota esse deberent, nec creaturis revelari, probabile minime est; ad quid enim illa ad actum produxisset, cum ipsi jam ab æterno notum fuerit, per Omnipotentiam suam omnia se possibilia, si velit, actu sistere posse: ad quid ergo res condidisset, nisi illæ creaturis rationalibus notæ esse deberent; multa enim hoc modo, absit blasphemia dicto, frustra, multa inutilia condidisset, si non omnia ad manifestationem summæ suæ Gloriæ tenderent; sed quomodo per illa manifestaretur ipsius Gloria, si creaturas rationales semper laterent. Ast quantum est, quod nunc nescimus! quam pauca sunt illa, quæ nobis in hoc vitæ nostræ ævo perspicere licet! Quot naturæ mirabilia, quot stupenda Creatoris sapientissimi nos latent opera! quam pauca sunt, in quibus rerum nexum nobis penetrare licet! in plurimis sapientissimi etiam mortalium cœcutiunt! Viæ Sapientis rerum Creatoris & Gubernatoris in plurimis nobis incognitæ sunt! Et quis existit, qui omnium rerum ad ultimum finem & ad omnia divina Attributa relationem penetrare valeat? Et licet ex Revelatione pateat, existere alios, præter homines, Spiritus, quibus hæc omnia nota esse queant; tamen Mundus hic sublunaris, terra hæc, eum in finem condita est, ut ex iis, quæ ibi occurrunt, Incolæ terræ homines Gloriam Dei agnoscant atque Attributa ejus glorificent; terram enim hominis caussa conditam esse, quis dubitet? Et quis dubitet, Deum ab illo per sua opera velle agnosci & celebrari? Id autem cum in præsenti vita in paucissimis, imo modo admodum exiguo fiat, quid superest, quam ut, si Deus finem suum vult assequi, fiat in altera vita, ubi Intellectus humanus nullis amplius nebulis circumfusus plenissima luce illustratus agnoscat, quanta & quam sapientia sint opera divina, quam admirabilia ejus Attributa in iis patefacta, quam sapienter omnia in ultimum

omnium rerum tendant finem ; illa etiam quæ Intellectui nostro imperscrutabilia fuere, quamdiu in mortali hacce degebamus vita : tunc demum Creator in Creaturis suis summe glorioſus fiet. Ad hoc ergo requiritur, ut Anima post corporis dissolutionem non tantum superstes, sed & distinctas imo longe distinctiores, quam nunc, Perceptiones habeat, ut status præteriti & præsentis conscia, ut E. immortalis sit. Ipsi etiam Gentiles talem de hominis statu post mortem habuerunt Conceptum, & in futuro ævo se cognituros credebant, quod in hoc perveſtigare non poterant. Ita *LUCANUS de POMPEJO in apotheosi ipsius* statum ejus describit.

Illic, postquam se lumine vero
implevit, stellasque vagas miratur & astra
fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
nostra dies, risitque sui ludibria trunci.

tunc enim juxta *Illustr. GROTIUM in Tragœdia HEINSII Poëm. pag. 200.*

Augustum jubar
dispellet atræ nubilum caliginis,
centumque noctes luce perrumpet sua.

Hæc quidem Immortalitatis Animæ demonstratio, quam nunc explanavimus, præsupponit Existentiam divinam ; sed quid juvaret Animæ perpetuam durationem illis demonstrare, qui Deum esse nondum convicti sunt : Et hæc de Immortalitate Mentis nostræ dixisse sufficit ; uberius argumentum hoc exponemus infra Cap. VI. de Atheismo.

§. DCCXXI.

Quando Intellectus hominis sibi aliquid ut bonum repræsentat, Appetitus oritur, qui si Intellectum ducem sequitur & rationalis est, nominatur Voluntas.

Quo

§. DCCXXII.

Quo majus autem bonum Intellectus repræsentat, eo major etiam est Appetitus.

§. DCCXXIII.

Quoniam itaque Voluntas sequitur repræsentationem Intellectus (§. 721.), & id tantum appetit, quod Intellectus sub specie boni cognoscit, hinc cogi non potest.

§. DCCXXIV.

Et cum cogi nequeat (§. 723.), Anima vel ad volendum vel nolendum seipsa determinat. Illa autem Facultas vocatur Spontaneitas.

§. DCCXXV.

Quicquid coactioni oppositum est, dicimur sponte agere, cum vero Voluntas cogi non potest (§. 723.): Sponte agit.

§. DCCXXVI.

Ad actionis Libertatem autem ex dictis tria præcipue requiruntur, *primum* est, ut rem in Intellectu nobis repræsentemus, sive illam cognoscamus: *Secundum*, ut Anima nostra seipsam determinet re perspecta, vel ad nolendum, vel ad volendum: *Tertium*, ut id, ad quod Anima sese determinat, ita comparatum sit, ut etiam possit omitti, hoc est, ut contingens sit.

§. DCCXXVII.

Ubi ergo abest Intellectus objectum sibi distincte repræsentans, ibi etiam nulla locum habet Libertas.

§. DCCXXVIII.

Cum ideo Anima aliquid appetit, quia ipsi re-

præsentatur ut bonum (§. 721. 722.), motivum in objecto est, cur Anima aliquid velit, vel nolit; Cum vero ad Libertatem requiratur, ut Intellectus nobis aliquid repræsentet (§. 726.) ut appetibile, vel aversabile, (nam ignoti nulla cupido): Sequitur motiva Libertatem non tollere.

Cum libertate amico consensu copulatur determinatio actionum moralis, qua homo per certa motiva ad hoc, aut illud non rapitur, sed inclinatur, quia meliora non videt, salva manente facultate aliter agendi. *Sunt verba Eruditiss. CANZII de usu Phil. in Theol. cap. IV. §. 191. p. 252.*

§. DCCXXIX.

Per Indifferentiam intelligitur, quando homo positis omnibus ad agendum circumstantiis & motivis contrarium eligere posset: Cum vero ad Libertatem vel volendi vel nolendi requiratur, ut Intellectus sibi rem distincte repræsentet (§. 726.), & per consequens motiva adsint (§. 726.), adeoque ratio sufficiens, cur Anima potius aliquid velit, quam non velit: Liquet Indifferentiam perfecti, uti vocant, æquilibrii ad notionem Libertatis non pertinere.

§. DCCXXX.

Qua in re Libertas consistat, etiam ex ejus oppositio nempe coactione constat; qui nempe cogitur, ille non libere agit; quo magis autem aliquis à coactione remotus est, eo major etiam ejus Libertas dicitur; quicquid autem non coacte agimus, id dicimur sponte agere, quo magis autem à coactione absumus tanto majore cum spontaneitate agimus; & si à coactione sumus remotissimi, etiam summa cum Spontaneitate agimus.

mus. Ratio hæc est, si coacte aliquid facimus, Intellectus nobis illud repræsentat ut non appetibile, sive non bonum; ut ergo potius motiva adsint ad nolendum, quam vero ad volendum: si vero non coacte sed libere nos determinamus ad aliquid perficiendum, tunc adsunt motiva, quia Intellectus nobis illud ut bonum repræsentat, & tunc sponte agimus: E. ex oppositio Libertatis constat, illam in Spontaneitate consistere.

§. DCCXXXI.

Cum Anima hominis seipsam determinat ad id, quod Intellectus ut bonum sibi repræsentat, & id, ad quod sese determinat, sit contingens, quia oppositum ejus etiam est possibile, nec Libertas per Decretum divinum tollitur (§. 440.): Sequitur Animæ hominis competere Libertatem.

Reliqua de homine dicenda infra pertractantur, ubi de primo hominis statu agitur.

§. DCCXXXII.

Ens necessarium existit propria virtute (§. 283.), Entia contingentia rationem Existentiæ suæ non habent in se (§. 290.): Cum ergo hoc momento non propria virtute existant, nec etiam secundo momento id fieri potest, cum semper sint contingentia: Quapropter Existentiam propria virtute continuare nequeunt.

§. DCCXXXIII.

Cum vero Creaturæ Existentiam suam à Deo habent in primo momento, ab eodem illam etiam habere debent in secundo & omnibus sequentibus, cum semper contingentes sint.

§. DCCXXXIV.

Actio illa, qua Creaturis datur continuata Existentia, vocatur *Conservatio.*

§. DCCXXXV.

In Creatione Deus facit, ut Creatura existat, in Conservatione vero pergit dare Existentiam, ut adeo Creatio & Conservatio respectu Dei non differant: Est E. Conservatio nihil aliud quam continuata Creatio.

§. DCCXXXVI.

Totus Mundus est Ens contingens (§. 287.), ut & ejus Elementa (§. 674.), & totus rerum nexus (§. 287.): Propterea Mundus à Deo conservatur, quando omnibus, quæ ad illum pertinent, hoc est, substantiali ex quo constat sive Elementis, & nexui rerum dat, ut porro existant. (§. 732. 733.).

§. DCCXXXVII.

Malum metaphysicum est tantummodo defectus ulterioris realitatis sive perfectionis in re (§. 449.), adeoque nihil substantiale, nec Creatione, nec Conservatione opus habet.

§. DCCXXXVIII.

Omnes Creaturæ rationem sufficientem Existentiæ suæ in Deo habent (§. 733.), per Creationem & Conservationem actu existunt & existere pergunt, (§. 735.): Hinc Creatura annihilaretur, si Conservatio divina cessaret; quicquid autem annihilatur, illud eo ipso agere cessat: E. sine divina Conservatione nulla Creatura agere potest.

Quan-

§. DCCXXXIX.

Quando in Ente uno continetur aliqua ratio, cur alterum agat, illud ad actionem alterius dicitur *concurrere. Concursus ergo est talis Actio, in qua continetur aliqua ratio, cur alterum agat.*

§. DCCXL.

Cum vero **D**eus omnia conservat (§. 733. 734.), & absque illa Conservatione Creatura nulla agere potest (§. 738.): Propterea in Conservatione continetur aliqua ratio, cur creatura agat; itaque Concursus tam late patet ac Conservatio, hæc autem est generalis: E. etiam Concursus divinus ad creaturarum Actiones est universalis.

§. DCCXLI.

Deus in Creaturis conservat id, quod substantiale est (§. 736.), & vires agendi ab ejus Conservatione pendent (§. 738.): Cum vero ratio, cur aliquid agat, quæ in altero continetur, vocatur Concursus (§. 739.): Patet Concursum **D**ei consistere in substantiæ & virium agendi conservatione.

§. DCCXLII.

Deus substantiam & vires agendi creaturæ conservat (§. 741.), adeoque ad actiones creaturæ concurrit; inde apparet Creaturam in agendo dependere à Deo.

§. DCCXLIII.

Creaturæ rationales autem sunt liberæ, & illud, ad quod se determinant, est contingens, ut etiam oppositum sit possibile (§. 731.), nec illarum libertas à Decreto divino tollitur (§. 440.): Unde licet dependenter à **D**eo (§. 742.), ad

utrumque oppositorum sese determinare possunt, prout Intellectus illis aliquid vel ut bonum, vel ut malum repræsentat. E. Actus specificatio sive determinatio ad alterutrum oppositorum à Libertate creaturæ est.

§. DCCXLIV.

Per divinum Concursum Creaturæ substantia & vires agendi conservantur (§. 741.): Deus ergo concurrit ad actiones, qua actiones; quod autem creatura rationalis actionem potius ad hoc, quam ad illud objectum determinat, hoc à Creaturæ Libertate est (§. 743.): quod autem Creatura actionem suam ad hoc, & non ad illud determinet, illud facit, ut Actio mala & non bona sit; cum vero hoc ab agentis Libertate sit, hinc patet, Deum quidem ad Actionem in genere, quatenus physica est, concurrere, non autem qua malam sive moraliter imperfectam.

§. DCCXLV.

Cum Deus non concurrat ad Actionem, quatenus mala est (§. 744.); Malum autem morale consistat in imperfectione accidentali (§. 475.); Imperfectio autem illa ab abusu Libertatis (§. 476.) oriatur: Patet, hæc omnia non à Deo, sed ab homine provenire, ipse ergo semetipsum accidentaliter sive moraliter imperfectum reddit.

§. DCCXLVI.

Deus non vult Malum morale (§. 477.): E. nec Imperfectionem hominis.

§. DCCXLVII.

Deus permittere decrevit Malum (§. 481.), & illa Permissio ipsum non dedecet (§. 482.): E. nec

E. nec Permissio, ut homo statum suum imperfectiorem reddat, ipsum dedecet.

§. DCCXLVIII.

Deus nullam Creaturam, ergo nec hominem, sine limitatione producere potest (§. 458.), potentia autem abutendi Libertate oritur ex illa limitatione (§. 521.), per potentiam autem illam Libertate abutendi possibile est, ut homo ea abuti queat, adeoque Malum morale committere: E. Deus hominem talem potuit producere, qui potuit abuti Libertate sua, & per illum abusum Malum morale committere, adeoque *labilem.*

§. DCCXLIX.

Voluntas hominis libere sese determinans sequitur repræsentationem Intellectus (§. 726.), vult nempe creatura rationalis aliquid, quatenus Intellectus id sibi repræsentat sub specie boni (§. 721.): Hinc quando homo abutitur Libertate sua, & illa non eadem ratione determinatur, qua determinatur perfectio essentialis (§. 476.), id inde fit, quia Intellectus sibi aliquid repræsentat ut bonum, (hoc est, tendens ad hominis perfectionem), quod malum est; primus itaque Error & caussa Mali moralis consistit in Intellectu sive præcipitantia Judicii.

§. DCCL.

Gubernatio est directio Mediorum & Actionum ad certum aliquem finem.

§. DCCLI.

Deus est sapientissimus, adeoque omnia dirigit ad certum aliquem finem (§. 499.), imo etiam ipsa mala ad bonum dirigit finem (§. 507.), in

in his autem conſiſtit Gubernatio (§. 750.) : E. Deus omnia gubernat.

§. DCCLII.

Deus non vult, ut homo actionibus ſuis ſtatum ſuum reddat imperfectiorem (§. 746.) : E. vult, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſui ſtatus.

§. DCCLIII.

Perfectio alicujus rei æſtimari debet ex relatione ſive convenientia cum fine generali (§. 405.), & Bonitas rei reſpectu Dei, quatenus ſummæ ejus perfectionis ſignum eſt (§. 407.), Finis autem generalis omnium rerum conſiſtit in manifeſtatione Gloriæ Dei (§. 489. 491.) : E. Perfectio ſive Bonitas hominis conſiſtit in aptitudine manifeſtandi Gloriam Dei.

§. DCCLIV.

Deus non vult niſi perfectum (§. 403.), perfectio autem hominis conſiſtit in aptitudine manifeſtationis Gloriæ divinæ (§. 753.), & Deus vult, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſtatus ſui (§. 752) : E. Deus vult, ut homo actiones ſuas dirigat ad manifeſtationem Gloriæ divinæ.

§. DCCLV.

Homo manifeſtat Gloriam Dei, ſi verbis & factis oſtendit, ſe agnoſcere Attributa divina (§. 490.), quando ergo omnia facit in relatione ad divina Attributa, unde in divinis Attributis ratio continetur, cur aliquid faciat : Ratio autem ſufficiens cur aliquis agit, vocatur motivum : E. homo Gloriam Dei manifeſtat actionibus ſuis, quando Attributa divina illarum ſunt motiva.

Decre-

§. DCCLVI.

Decretum Dei de omnium rerum Conservatione & Gubernatione atque Concursu ad Creaturarum actiones vocatur *Providentia.*

§. DCCLVII.

Deus omnia conservat (§. 734. 735.), ad omnes Creaturarum actiones concurrit (§. 740.), & omnia gubernat (§. 751.), & hæc omnia ab æterno decrevit (§. 425.), in his autem consistit Providentia (§. 756.): E. datur Providentia.

§. DCCLVIII.

Et cum Conservatio tam universalis sit ac Creatio, ut & Gubernatio (§. 734. 751.); Hinc etiam Providentia divina ad omnia sese extendit, ut nihil tam vile sit, quod ei non subsit.

§. DCCLIX.

Deus nihil decrevit, nisi in relatione ad omnia sua Attributa (§. 432.): E. etiam in Providentia rationem habet omnium suorum Attributorum, tum Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis ac Justitiæ.

§. DCCLX.

Cum Deus etiam Permissionem Mali decreverit (§. 481.), & illa nec Sapientiæ (§. 506.), nec Bonitati ejus repugnet (§. 525.), sed dirigatur in Bonum finem (§. 507.), adeoque gubernetur (§. 750.): Sequitur illam etiam Providentiæ divinæ subesse.

§. DCCLXI.

Omnia Providentiæ divinæ subsunt (§. 758.), etiam permissio Mali (§. 760.): Hinc nobis etiam

Reid. Lat. 27

am nihil mali nisi Providente Deo accidere potest.

§. DCCLXII.

Deus omnibus providet per sua Attributa præcipue Sapientiam & Bonitatem (§. 759.), per illa autem Attributa cuilibet creaturæ tantumdem confert Boni, quantum per illa licet (§. 514.): E. Deus per Providentiam suam cuilibet Creaturæ tantum confert boni, quantum hæc Attributa permittunt; contra etiam tantum avertit mali, quantum salvis illis Attributis potest.

§. DCCLXIII.

Nec divinæ Bonitati (§. 532.), nec ejus Sapientiæ (§. 533.) repugnat, ut homini permittat, ut in Mala tum physica tum moralia ruat, sive propria culpa illis obnoxius fiat. E. & hoc nec Providentiæ ejus repugnat.

Ne de Providentia Dei circa Malum prolixiores simus, cum supra jam de Decretis divinis agentes illam vindicavimus, plura qui de hac materia scire cupit, legat, quæ habent Viri Illustres de Origine Mali & Dei circa illud Providentia, LEIBNITIUS & WOLFIUS; prior in tota sua Theodicæa, posterior in Theologia naturali, nec non ea, quæ de hac materia habet Vir Literatiss. atque Celeb. J. T. CANZIUS in tractatu jam sæpius laudato *de usu Phil. in Theol. Tom. I. cap. VI.* qui summa cum eruditione indicat, quænam hucusque de hac materia scripta & disputata fuerint, præcipue §. 217. in nota; deinde etiam consensum Patrum quorundam allegat, AUGUSTINI præsertim, qui difficultates in ardua hac quæstione occurrentes eodem modo solvit, quando asserit, α. Omnipotentiam Dei Permissionem mali requisivisse, cum magis pertineat ad omnipotentissimam ipsius Bonitatem de malis benefacere, quam Mala non esse sinere, *de corrept. & Gr. cap. X.* & β. Deum ad Mala permittenda Justitiam & Misericordiam movisse, cum hominis lapsu

p. 292-309

lapsu ad Misericordiam in Electis & Justitiam in reprobis declarandam se uti posse viderit. l. c. & γ. Universi pulchritudinem, cum aliquis ornatus Mundo decederet, si nulla esset anima, quæ peccando misera fieret, Deum movisse ut Malum permitteret *Lib. III. de Lib. Arb. cap. IX.* prætermissis aliorum Theologorum de hac re verbis, adducimus brevissima Reverendiss. JÆGERI in Compend. *Loco de Prov. Dei pag. 122.* Fundamentum istius permissionis est, tum libertas Arbitrii, quam creaturæ rationali contulit Deus Creator, & cujus usum creaturæ isti adimi non patitur constantia Datoris: tum infinita ejus Potentia & Sapientia, qua potest ex malo bonum elicere: *Consentit Celeb. BUDDEUS* Theol. Dogm. L. III. cap. 2. §. 10. Cæterum cum decreta divina nobis sunt incomprehensibilia (§ 439.), cum nonnisi per omnia Attributa divina simul sumta & per considerationem totius Universi de operibus divinis judicari potest (§. 433.), mirandum non est, si etiam singulares Providentiæ actus nobis sunt imperscrutabiles. Et recte ait Celeb. STOLLE in Hist. sua literaria pag. 489. Providentiam divinam esse Mare, in quo Rationi humanæ caute admodum navigandum sit.

§. DCCLXIV.

Consentientem in iis, quæ diximus, etiam habemus S. Script. quæ asserit, Deum omnia conservare Act. XVII: 24. 25. & dum creaturæ in ipso moventur, vivunt & sunt, etiam ad illarum concurrit Actiones, & vilissimæ etiam res Providentiæ divinæ subsunt Matth. X: 29. 30.

* * * * *
* * * *
* * *

Sectio VIII.

De Hominis Dependentia à Deo ut Religionis fundamento.

§. DCCLXV.

Cum Deus sit Creator Universi (§. 677.), & totum Naturæ ordinem constituerit (§. 678.), & omnia conservet (§. 733. 734.), adeoque nihil in Creaturis sit, quod non habeant à Deo, & in agendo etiam ab ipso dependeant (§. 742): Hinc Deo competit jus Dominii in totum Universum & omnes Creaturas, etiam rationales.

§. DCCLXVI.

Et quia Deus est omnium Creaturarum Dominus, etiam rationalium (§. 765.): Illæ omnes, E. etiam homines, ab ejus arbitrio dependent.

§. DCCLXVII.

Propter illam Dependentiam homo obligatus est ad actiones suas liberas, non pro arbitrio suo, sed pro Voluntate Domini sui determinandas.

§. DCCLXVIII.

Deus vult, ut homo actiones suas dirigat ad Gloriæ suæ manifestationem (§. 754.), homo autem obligatus est actiones suas dirigere secundum Voluntatem Dei (§. 767.): E. obligatus est ad illas dirigendas ad divinæ Gloriæ manifestationem.

Et

§. DCCLXIX.

Et cum obligatus sit ad actiones suas non pro arbitrio suo, sed pro Domini Voluntate dirigendas (§. 767.), etiam obligatus est ad actiones illas omittendas, quæ Voluntati Dei contrariantur.

§. DCCLXX.

Homo Gloriam Dei manifestat, quando Attributa divina actionum suarum sunt motiva (§. 755.): obligatus autem est ad actiones suas dirigendas ad manifestationem Gloriæ Dei (§. 768.), & secundum normam Voluntatis Dei ut Domini sui (§. 767.): E. obligatus est ad Attributa divina, & ejus Voluntatem sive Dominium in Creaturas, in determinatione actionum suarum considerandas ut motiva.

§. DCCLXXI.

Obligatio autem illa Hominis ad actiones suas dirigendas ad manifestationem Gloriæ Dei & ejus Attributa per opus Creationis & Conservationis patefacta, & Dominium ut motivum actionum suarum considerandum vocatur RELIGIO NATURALIS.

§. DCCLXXII.

Cum dependentia Hominis à Deo & Dominium Dei in Creaturas sit fundamentum hujus obligationis (§. 766. 767.), Religio autem in hac obligatione consistat (§. 771.), videmus dependentiam Hominis à Deo & Dei Dominium supremum, Religionis fundamentum esse.

§. DCCLXXIII.

Qui ergo circa dependentiam illam Hominis à Deo ejusque in Creaturas Dominium peccant,

illi circa ipsum Religionis Naturalis fundamentum errant & illud evertunt.

§. DCCLXXIV.

Qui ita vivunt, ut actiones suas non faciant in relatione ad illam dependentiam & Dominium Dei supremum, neque Attributis divinis utuntur ut motivis actionum suarum, illi errant circa ipsum Religionis fundamentum *practice.*

§. DCCLXXV.

Qui talia fovent placita, quæ Dependentiæ illi hominum in actionibus suis à Deo, & Dei summo Dominio contrariantur, illi errant circa ipsum Religionis fundamentum *theoretice.*

§. DCCLXXVI.

Videmus hinc, quodnam generalissimum sit πρῶτον ψεῦδος omnium circa Religionem Errorum, sive theoreticorum, sive practicorum, nempe negatio omnimodæ hominis in actionibus suis à Deo Dependentiæ ejusque Dominii supremi.

§. DCCLXXVII.

Qui ergo negant Deum existere, eoipso hominis ab illius Voluntate dependentiam & supremum illius Dominium evertunt, & ideo circa ipsum Religionis fundamentum errant.

§. DCCLXXVIII.

Qui Dei Providentiam inficiantur, illi Dependentiam hominis in actionibus suis à Voluntate Dei & Dominium Dei summum, adeoque ipsum Religionis fundamentum negant.

§. DCCLXXIX.

Qui Obligationem hominis negant ad alias actio-

actiones committendas, alias vero omittendas; eo ipso absolutam hominis in actionibus suis à Voluntate Dei dependentiam (§. 767. 769.), adeoque ipsum Religionis fundamentum evertunt (§. 772.).

§. DCCLXXX.

Qui verum Deum non agnoscunt, illi etiam modum dependentiæ hominis à Voluntate veri Dei ignorant, ideoque circa veræ Religionis fundamentum errant.

§. DCCLXXXI.

Nec non illi, qui hominis alicujus Voluntatem loco regulæ actionum faciunt, ejusque supremum in Religione Dominium stabilire quærunt, in Dependentiam actionum humanarum à Voluntate Dei summumque ejus Dominium injurii sunt, ipsaque ergo Religionis fundamenta quassant.

Adstructa infra Religionis Revelatæ certitudine, ansam habebimus de plurimis Hæresibus indicandi, generalissimum πρῶτον ψεῦδος illarum esse, quod negatur in illis, directionem actionum hominis liberarum in solidum à regula Voluntatis divinæ dependere; ut ergo, sicuti Dependentia illa Religionis fundamentum primarium est, ita Error dependentiæ illi directionis actionum liberarum oppositus etiam primarius sit oportet.

§. DCCLXXXII.

Deo competit Dominium in omnes Creaturas rationales, & illæ ab ipso dependent (§. 765.): adeoque obligatæ sunt ad actiones suas secundum Voluntatem Dei dirigendas (§. 766. 767.), & Attributa divina ut motiva actionum considerandæ (§. 770.), in hoc autem Religio

Naturalis consistit (§. 771.): Sequitur omnes homines & semper ad Religionem obligatos esse.

§. DCCLXXXIII.

Summum Dei in Creaturas rationales Dominium propter rationes (§. 765.) allegatas semper continuat, etiam hominis obligatio ad actiones suas secundum Voluntatem Dei dirigendas non cessat, & propterea Religionis Naturalis fundamentum semper idem manet (§. 771. 783.): Unde homo etsi abusu Libertatis præcepta illius Religionis servare non amplius posset, tamen obligatio illa ad Religionem Naturalem cessare non potest.

Hujus propositionis Usus suo loco patebit, quando jus Dei vindicandum est contra illos, qui etiam post lapsum Vires naturales ad bonas actiones edendas absque particulari auxilio Dei statuunt, nobisque id negantibus objiciunt, Deum hoc modo erga hominem injuste agere, cum ex sententia nostra aliquid ab homine postulet, quod per statum ejus plane impossibile sit; sed ex ipsis Rationis principiis hancce difficultatem solvere possumus, postquam adstruximus, relationem Creaturæ & Creatoris semper eandem esse, & propterea Creaturam, qua Creaturam, ad directionem actionum suarum secundum supremi Domini voluntatem semper obligatam esse.

§. DCCLXXXIV.

Videmus ex assertis, quænam Religionis Naturalis sint criteria, α. Cum ejus necessitas atque fundamentum ex ipsis Rationis principiis adstruatur, ita comparata sit oportet, ut lumini naturæ non contrarietur, sed cum Rationis principiis rite demonstratis consentiat.

§. DCCLXXXV.

β. Cum illa doceat, Attributa divina & summum

mum Dei Dominium considerare ut actionum suarum motiva (§. 770. 771.), oportet Attributa divina miris modis colluſtret & cum illis conveniat, adeoque ſummo rerum Autore longe digniſſima ſit, ejusque Sapientiam, Bonitatem, Juſtitiam, Sanctitatem, Omnipotentiam quammaxime commendet.

§. DCCLXXXVI.

Cumque hominem obliget ad actiones ſuas dirigendas ad manifeſtationem Gloriæ Dei (§. 768.), oportet γ. ad amplificandam Gloriam Dei plurimum faciat.

§. DCCLXXXVII.

Cum tandem illius norma ſit Voluntas Dei (§. 767.), Deus autem velit, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſtatus ſui (§. 752.), ſequitur δ. Religionem Naturalem tales præſcribere regulas ſive præcepta, quæ tendunt ad promotionem perfectionis & felicitatis ſtatus hominis.

Sectio IX.

De

Primo Hominis ſtatu.

§. DCCLXXXVIII.

Deus non vult Malum morale (§. 746.), ſed vult, ut homo actiones dirigat ad perfectionem ſtatus ſui (§. 752.), vult porro, ut homo actiones ſuas ad manifeſtationem Gloriæ divinæ dirigat (§. 754.), & conformiter Attributis divinis agat

(§. 755.); Hinc Deus non potuit aliter quam hominem ita creare, ut ad hoc aptus esset; in illa vero aptitudine consistit hominis perfectio (§. 753.): E. Deus non potuit non hominem perfectum creare.

§. DCCLXXXIX.

Homo aptus creatus fuit manifestationi Gloriæ divinæ ((§. 788.), adeoque conformiter agendo Attributis divinis (§. 755.), illæ autem actiones, quæ nulli Attributo divino contradicunt, vocantur rectæ (§. 625.): Hinc etiam habuit Voluntatem faciendi nonnisi quod rectum est.

§. DCCXC.

Studium illud, quo quis facit nonnisi quod rectum est, vocatur Sanctitas (§. 627.): Cum vero hominis Voluntas ita creata fuerit, ut facere potuerit quod rectum est (§. 789.): E. etiam Sancta fuit.

§. DCCXCI.

Idem etiam sic demonstratur: Homo obligatus est ad observationem Religionis Naturalis (§. 782.): E. etiam creatus fuit ita, ut Religionem illam observare potuerit: si enim per statum illum, in quo creatus fuit, illud absolute impossibile fuisset, etiam ad id obligari non potuisset. Religio autem Naturalis postulat, ut homo āgat secundum normam Voluntatis divinæ (§. 767. 770. 771.), hinc etiam potuit vivere conformiter cum Voluntate divina: cum vero Voluntas Dei, habens constans studium faciendi quod rectum est, sit sancta (§. 627.): E. etiam hominis Voluntas fuit sancta.

Volun-

§. DCCXCII.

Voluntas Dei est sancta, nec non hominis, dum vivere potuit conformiter Voluntati divinæ (§. 791.), adeoque etiam idem voluit; hinc sequitur, fuisse similitudinem quandam inter Dei & hominis Voluntatem.

Perspicimus hic Rationis & Principiorum ejus cum S. Script. conformitatem, idem enim illa de hac prima hominis conditione asserit, dicens illum ad similitudinem Dei fuisse creatum Gen. I: 28. & explicat, quod similitudo illa consistat in sanctissimo Veritatis studio ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας Eph. IV: 24. quid enim hoc aliud est, quam studium faciendi quod rectum sive Voluntati divinæ conforme est.

§. DCCXCIII.

Sapiens is dicitur, qui optimum in actionibus suis sibi præponit finem, & optima ad illum consequendum eligit media. Finis vero, quem Voluntas hominis intendit, fuit manifestatio Gloriæ Dei (§. 788. 789.), adeoque optimus (§. 495.), optimisque usus est mediis vel potuit uti, nempe actiones suas dirigendo conformiter Attributis divinis (§. 789.), in quo Glorificatio Dei consistit (§. 755.), E. dubitandum non est, etiam ejus Intellectum fuisse sapientem.

§. DCCXCIV.

Et cum homo ad Gloriam Dei fuerit creatus, non potuerunt non in ipso relucere virtutes, per quas Deus Glorioſus est.

§. DCCXCV.

Ubi autem naturalis hæc rectitudo ab homine abest, ibi illum naturalem suam conditionem non amplius habere, sed illa orbatum esse, concludendum est.

§. DCCXCVI.

Deus hominem talem potuit producere, qui committeret Malum morale, abutendo Libertate sua, adeoque labilis esset (§. 748.), idque non repugnat Bonitati ejus (§. 532.), neque id ipsum dedecet (§. 482.): neque ipsius Providentiæ repugnat (§. 763.), & abusum Libertatis sapientissime decrevit permittere (§. 522.), & Deus salva sua Sapientia id aliter facere non potest, cum ablatis malis ex Mundo etiam bona cum illis connexa aufferrentur (§. 506. 466.), & ipsa Mala à Deo diriguntur ad bonum finem (§. 508.), & eoipso ad manifestationem Gloriæ Dei & hujus Universi perfectionem aliquid, propter bonum cum serie illorum connexum, tribuunt (§. 509.): Propterea Deus hominem talem condidit, cujus perfectio & esset limitata, & cum potentia abutendi Libertate conjuncta, quique E. labilis & cujus perfectio mutabilis esset, sive uti Theologi dicere amant, mutabiliter bonus.

DCCXCVII.

Abusus Libertatis non absolute necessarius, sed contingens est (§. 524.), & Animæ hominis competit Libertas (§. 731.), & actus determinatio ad alterutrum oppositorum à Libertate ejus dependet (§. 743.): Sequitur commissionem Mali moralis non fuisse absolute necessariam.

Patet ergo hominem non inevitabili quodam fato peccasse, sed libere feciſſe quidquid fecit; fuit ergo Necessitas tantum hypothetica, nam oppositum non involvit contradictionem, quod nempe actiones suas ita potuerit determinare, ut non peccasset.

Con-

§. DCCXCVIII.

Consilium alteri dat, qui ipsi significat, quid sibi fieri debere videatur, ita ut tamen in alterius arbitrio relinquatur id facere, vel omittere.

§. DCCXCIX.

Jubere dicitur ille, qui alteri significat, quid fieri velit, non relinquens in alterius Arbitrio, an id facturus sit nec ne.

§. DCCC.

Præceptum dicitur Jussus ejus, qui jus habet alterum obligandi.

§. DCCCI.

Lex vero vocatur Norma ab illo, qui nos obligandi jus habet, præcepta, ad quam obligamur componere actiones liberas.

§. DCCCII.

Et Vetatio est significatio, quid alter, qui nos obligandi jus habet, à nobis fieri nolit, non relinquens in arbitrio nostro, an id facturi simus nec ne.

§. DCCCIII.

Dominium est jus pro arbitrio disponendi omni modo de eo quod est in Dominio; Deo autem competit Dominium in totum Universum & omnes creaturas rationales (§. 765.), & homo obligatus est ad actiones suas, non pro suo arbitrio, sed secundum Voluntatem Dei determinandas (§. 767.): E. Deus jus habet hominem obligandi, ut actiones suas non pro arbitrio suo, sed secundum Voluntatem Dei determinet.

§. DCCCIV.

Homo obligatus est ad actiones suas dirigen-

das ad manifestationem Gloriæ Dei (§. 768.), & ad promotionem perfectionis & felicitatis propriæ (§. 787.); & cum Deus hominem eum in finem condidit, ut per eum manifestaretur Gloria sua (§. 685.): Dubitari nequit, quin homini Voluntatem suam de actionum directione & obligatione ad eandem significaverit, qui autem jus habet alterum obligandi & Voluntatem suam ipsi significat, is alterum dicitur jubere, & Jussus ille dicitur præceptum (§. 799. 800.): E. Deus præcepit homini, quomodo actiones suas dirigere debeat.

§. DCCCV.

Præceptum illud, quod est norma actionum hominis liberarum, vocatur *Lex* (§. 801.), cum vero homo obligatus sit ad actiones suas, non pro arbitrio suo, sed juxta Voluntatem Dei dirigendas (§. 767.), & Deus ipsi normam Voluntatis suæ præceperit (§. 804.) adeoque Legem dederit: Etiam in primo suo statu Lege obstrictus fuit.

Loquimur hic de Religione sive Lege naturali: An enim Deus homini etiam Legem positivam dederit, ex Rationis principiis non constat.

§. DCCCVI.

Lex illa tendit, tum ad manifestationem Gloriæ Dei, tum ad majorem hominis perfectionem (§. 787.), priorem Deum homini præcepisse demonstravimus (§. 804.), posterius vero, nempe quod homo actiones suas dirigere debeat ad majorem status sui perfectionem, etiam Legis rationem habere, ita demonstramus.

Ab

§. DCCCVII.

Ab æterno possibile fuit, hominis statum per certas actiones fieri vel deteriorem, vel perfectiorem ; Deus autem, qui vult perfectissimum & quod ad creaturarum suarum felicitatem & perfectionem tendit, voluit etiam, ut homo actiones suas ita dirigat, ut conditio status illorum non deterior sed perfectior & melior fieret : Cum vero regula, qua aliquid facere jubemur ab eo, qui nos obligandi jus habet, sit Lex (§. 801.), intelligitur, Deum voluisse, ut regula isthæc observetur, id est ut regula ista fieret Lex stricto sensu dicta.

Vide præter propter ita ratiocinantem WOLFIUM Moral. §. 29. 30. pag. 21. & Celeb. CANZIUM de usu Phil. in Theol. cap. IX. §. 320. cujus verba nunc §. seq. demonstrationis ulterioris loco adducimus.

§. DCCCVIII.

Aut Deus summus hominum Imperans voluit hanc regulam, nempe directionis actionum suarum ad majorem perfectionem status sui, ab hominibus observatam, aut noluit : Si prius, tum regula Voluntate summi Imperantis Lex proprie dicta evadit : Si posterius ; Deus aut erit parum benignus & sapiens, quia non optime consultum cupit generi humano ; aut non erit omniscius, quippe qui forsan ignoravit, dari talem regulam naturæ, qua observata hominum conditio posset reddi melior ; utrumque est absurdum. Ergo prius affirmandum, Voluntatem Dei regulam naturæ à nobis observatam cupere, id est, Legis loco habendam velle.

Cum

§. DCCCIX.

Cum Deus præcipiat, ut homo actiones ſuas dirigat ad Gloriæ ſuæ manifeſtationem (§. 768. 804.) & promotionem perfectionis ſtatus ſui (§. 808. 809.): Sequitur, Deum homini contra vetare, ut aliquid faciat, quod nec ad Dei Gloriam, nec ad propriam perfectionem tendit.

§. DCCCX.

Perfici autem poteſt ſtatus creaturæ rationalis, vel ratione Intellectus, vel Voluntatis. Intellectus perficitur, ſi ea quæ pulcherrima & præſtantiſſima ſunt, clare & diſtincte ſibi repræſentat; quo autem res, quam ſibi repræſentat, pulchrior & præſtantior eſt, & quo clarius & diſtinctius Intellectus eam diſcernit; eo magis etiam ille perficitur: Quia autem Deus omnium rerum, quas homo cognoſcere poteſt, eſt nobiliſſima: E. Intellectus maxime perficitur, ſi ejus clariſſimam & diſtinctiſſimam acquirit cognitionem.

§. DCCCXI.

Voluntas vero perficitur, ſi ab omni errore in eligendo vel repudiando immunis id appetit & poſſidet, quod nobiliſſimum & optimum eſt, & quo melius & majus illud bonum eſt, quod vel deſiderat & appetit, vel poſſidet; eo perfectior etiam eſt Voluntas, eo ſolidiori etiam inde perfunditur gaudio. Cum autem Deus omnium bonorum ſummum ſit, Voluntas perfectior & conſummatior eſſe nequit, quam ſi ad Deum tendit, illum appetit & poſſidet.

§. DCCCXII.

Status ergo creaturæ rationalis perfectiſſimus eſt, ſi Deum cognoſcit, appetit & poſſidet.

Per-

§. DCCCXIII.

Perfectio hominis consistit in aptitudine manifestandi Gloriam Dei (§. 753.), quo perfectior ergo homo est, eo etiam aptior est manifestationi Gloriæ divinæ; & quo magis Deum & summas ejus Perfectiones cognoscit & vult, eo etiam perfectior est (§. 810. 811.): Quando ergo Deus homini præcipit, ut rationes suas dirigat ad manifestationem Gloriæ Dei & ad promotionem propriæ perfectionis, præcipit unum idemque.

Patet ergo, quam arcte hæc inter se sint connexa, cum homo simul vivere possit ad Gloriam Dei & propriam Salutem; dum ergo Deum glorificat, simul promovet propriam perfectionem, & dum facit posterius, simul Deum glorificat.

§. DCCCXIV.

A Bonitate Dei est, quod cuilibet creaturæ tantum perfectionis confert, quantum salva sua Sapientia fieri potest, & quod pronus est ad illarum perfectionem promovendam (§. 513. 514.): Atqui per Legem, quam creaturæ rationali præscribit, quærit promotionem perfectionis illius (§. 807. 808.): E. Lex divina ab ejus Bonitate proficiscitur.

§. DCCCXV.

Per SANCTIONEM Legis intelligitur tale motivum, quod Legislator Legi adjungit, promittendo observanti Legem collationem Boni, illam autem non observanti irrogationem Mali sive Pœnæ.

§. DCCCXVI.

Lex illa, quæ homini jam in primo suo statu data est, fuit sancita; quod per partes demonstran-

strandum est, & primo quidem ratione boni cum observatione Legis connexi.

§. DCCCXVII.

Cum nimirum observatio Legis eo tendat, ut status creaturæ rationalis perfectior evadat (§. 807. 808.), summa autem illius perfectio, quam consequi potest, consistat in Entis perfectissimi & optimi distinctissima cognitione (§. 810.), ejusdemque desiderio & possessione (§. 811.), adeoque summi Boni, quo majus concipi nequit: Sequitur, maximum bonum cum Legis illius observatione inviolabili nexu esse conjunctum. Ut adeo summi Boni possessio ex ipsa Legis natura ejusdemque observatione sequatur.

Observanda hic Legislatoris tum Sapientia, tum summa erga creaturas rationales Bonitas, qui talem ipsis Legem præscripsit, quæ minime onerosa, sed ita comparata est, ut ejus observatio maximo cum emolumento conjuncta sit, ad summam simul Legislatoris Gloriam & maximam creaturæ perfectionem tendens; quæ omnia ita semet involvunt, ut unum absque altero esse nequeat: Manifestatio Gloriæ Dei, observatio Legis, inde enascens summa hominis perfectio indivulso nexu non possunt non inter se cohærere.

§. DCCCXVIII.

Uti Lex promissione Boni ex ejus observatione nascentis fuit sancita; ita contra, si non observatur, certissima Pœna exspectanda est.

§. DCCCXIX.

Quod hoc modo demonstratur: Legis transgressio, sive non observatio est ἀνομία sive peccatum; peccatum autem statum hominis moralem imperfectiorem reddit, quam fuisset, si Legem

gem obſervaſſet, quæ cum majori hominis perfectione conjuncta eſt (§. 807. 808. 817.); id autem, quod ſtatum hominis moraliter imperfectum reddit, vocatur Malum morale (§. 474. 475.), & cum Malum morale id ſit, per quod actiones hominum dicuntur vitioſæ (§. 451.): Hinc patet Legis transgreſſionem Peccatum, & Malum morale eſſe unum idemque. Quoniam vero Malum phyſicum indivulſo nexu cum Malo morali conjunctum eſt (§. 528.), & ejus effectus naturalis eſt (§. 577.), Malum autem illud phyſicum vocatur Pœna (§. 529.): Conſequitur, Legis transgreſſionem cum Pœna neceſſario nexu conjunctam eſſe, ut poſito uno etiam ponatur alterum.

Hæc omnia, quæ hactenus in nona hac ſectione inde à §. 803. diximus, Celeberrimus Philoſophus & Theologus HERM. ALEX. ROELLIUS in Diſſert. ſua eximia de Religione rationali §. CIX. hiſce comprehendit verbis: „Quis hominem ad ſanctum Dei cultum „& humile obſequium inviolabili Lege obligatum „eſſe dicat, ſi nulla illi cum Deo ſit communitas, „nullum Dei in ipſum jus, nullumque meritum, ſi nec „accipere, aut ſperare, ullum à Dei amore ac benevolentia Bonum, nec ab ejus odio Malum me„tuere ullum queat, debeatve, & nec juvare illum „Deus, nec nocere illi poſſit, aut velit, & omnino „humana non curet aut animadvertat: verbo ſi Deo „homo non indigeat, neque à divino arbitrio ejus „vita & fortunæ pendeant.

§. DCCCXX.

Malum illud phyſicum ſive Pœna ex Malo morali neceſſario nexu & effectu naturali ſequens conſiſtit in ſenſu privationis Benignitatis ſummi Numinis (§. 577 -- 585.), Deus autem per illam Bonitatem ſe creaturæ ut ſummum Bonum com-

communicat, adeoque Communio cum Deo conſiſtit in intimo Bonitatis & Amoris illius (quod unum idemque eſt §. 515.) ſenſu ; cum ergo homo privatur Benignitate ſummi Numinis, ſimul Communione Dei privatur ; E. Pœna peccati conſiſtit in privatione Communionis cum Deo.

Patet ex his, Pœnam peccato irrogatam nexu & ordine naturali ex ipſa ejus natura fluere, adeoque ſapientiſſime ordinatam eſſe, ut peccator non habeat, cur contra ſapientiſſimum Legislatorem querelas moveat, ſi Pœna peccatum excipiat.

§. DCCCXXI.

Deus ipſe vivit (§. 312.), & ratio ſufficiens omnis Vitæ in ipſo eſt, propterea etiam eſt fons omnis Vitæ extra ſe (§. 314.); quisquis ergo privatur Communione Dei, etiam privatur Communione cum fonte omnis Vitæ : E. abalienatur à Vita Dei.

§. DCCCXXII.

Mors Spiritualis eſt abalienatio à Vita Dei.

§. DCCCXXIII.

Cum ille, qui privatur Communione Dei ; abalienatur etiam à Vita Dei (§. 821.), in abalienatione autem illa conſiſtit Mors ſpiritualis (§. 822.) : E. qui Communione Dei privatur, etiam ſpiritualiter moritur.

§. DCCCXXIV.

Pœna peccati conſiſtit in privatione Benignitatis ſummi Numinis (§. 820.), quisquis autem privatur Benignitate illa, ſimul privatur Communione Dei, & excluditur à Communione cum Vita Dei

Dei (§. 821.), in quo consistit Mors spiritualis (§. 822.): Inde est, quod Pœna peccati vocatur Mors.

§. DCCCXXV.

Apparet ex his, Mortem per effectum naturalem ex peccato sequi, adeoque Pœnam peccato convenientissimam esse (§. 577.), & per Sapientiam Dei constitutam (§. 621.), ut Deus etiam salva sua Sapientia non possit aliter punire peccatum (§. 623.).

§. DCCCXXVI.

Pœna illa cessare non potest, nisi Deus miraculo interveniat (§. 650.), adeoque ex sua natura perpetuo durat, & per nexum necessarium semper continuari debet (§. cit.), ideo æterna est; atque Pœna illa vocatur Mors (§. 824.): E. illa est Mors æternâ.

§. DCCCXXVII.

Pœna non potest aufferri sine miraculo (§. 650.), miraculum non potest patrari, nisi motivum adsit, cur Deus statum hominis moraliter imperfecti immutet, & Pœnam cum Malo morali connexam aufferat (§. 653.): Ubi ergo nullum amplius potest adesse motivum, cur Deus miraculum illud committat, ibi etiam Pœna cessare nequit.

§. DCCCXXVIII.

Deus creaturæ tantum Bonitatis tribuit, quantum salva sua Sapientia potest, & propterea Bonus est (§. 514.); per Sapientiam autem suam Pœnam à peccato separare & ejus continuationem aufferre non potest (§. 623.); per conse-

quens, Sapientia ipsius postulat, ut creaturam moraliter imperfectam, & quidem propria culpa talem (§. 476. 797.), Bonitate sua privet; cum vero in illa privatione Pœna consistat (§. 577--585.), illaque natura sua sit æterna (§. 650. 826.); E. Pœnæ æternitas Bonitati divinæ non contrariatur.

§. DCCCXXIX.

Cum vero divina Bonitas & ejus Amor à se non differant (§. 515.), Pœnæ æternitas nec Amori ejus contrariatur.

§. DCCCXXX.

Ex Malo morali sequuntur etiam inordinatæ corporis actiones (§. 574.), inde corporis miseria, dolor, morbi, imo tandem ipsa mors (§. 577.): Hinc cum Morte spirituali etiam Mors corporalis conjuncta est.

Possemus ostendere, quomodo Mors corporalis ex ipsis inordinatis desideriis atque intemperantibus actionibus necessario fluat; sed hæc per experientiam ita nota sunt, ut probatione non indigeant, & licet ipsi etiam infantes moriantur, semen corruptionis jam ex parentibus in se habent, ut ipsum jam semen, ex quo nascuntur, corruptione infectum sit.

§. DCCCXXXI.

Homo obligatus est ad actiones suas liberas, non pro arbitrio suo, sed juxta Voluntatem Dei dirigendas (§. 767.), & Præcepta (§. 799. 800.) æque ac Vetationes non in arbitrio nostro relinquunt, an aliquid facturi simus, nec ne (§. 807.), adeoque nobis necessitatem agendi moralem imponunt: Consilia vero in nostra potestate relinquunt, aliquid facere, vel omittere (§. 798.): E.

E. Præcepta & Prohibitiones Dei non sunt nuda consilia.

Propositio hæc contra Pontificios notanda est, qui, ut suo loco videbimus, ex principiis suis & ad alios errores tuendos statuunt, dari in Verbo Dei Consilia Evangelica, ad quorum observationem homo obligatus non sit, sed servationem illorum ab hominis arbitrio dependere. Cæterum opus non est, ut hic prolixi simus in recensione disputationis, quæ olim inter Viros summos agitata fuit, numne scilicet Leges divinæ, præsertim naturales, consiliorum loco habendæ sint, nec ne? inter celeberrimum nempe Juris Consultum CHRIST. THOMASIUM & ALBERTUM RIPERUM; qui autem de hac controversia eruditi cupit, adeat Litterat. & Celeberr. CANZIUM de Usu Phil. in Theol. Cap. XI. de Lege divina.

§. DCCCXXXII.

Homo obligatus est ad actiones suas dirigendas ad status sui perfectionem (§. 787.); unde opus habet disponere de illis rebus, quæ ad perfectionem status sui aliquid contribuunt, hoc est Dominio in res illas, quæ felicitatem suam promovere possunt: Propterea Deus ipsi etiam concessit Dominium in res certas, quæ ad promovendam hominis perfectionem faciunt.

§. DCCCXXXIII.

Etiam juxta S. Script. Deo competit Jus & summum Dominium in creaturas suas Esaj. XLV: 9. Rom. IX: 20. 21. & præcipit, ut homo actiones suas dirigat ad summam suam perfectionem Matth. V: 48. & ubique Legis divinæ observationem inculcat, servantibus illam Bonum, transgredientibus vero Mortem & Maledictionem, hoc est Benignitatis suæ privationem comminatur

tur Deut. XXVII : 26. hominibus etiam Dominium illarum rerum conceſſit, quæ commodis ipſorum inſervire poſſunt. Gen. I : 28.

Sectio X.

De

Peccato ejusque ſequelis.

§. DCCCXXXIV.

Homines peccato obnoxios eſſe, & in actionibus ſuis etiam à Lege divina, quæ ipſa Lex naturæ eſt, longiſſime aberrare, per experientiam ſatis ſuperque conſtat.

§. DCCCXXXV.

Neminem enim, ne peſſimum quidem mortalium, eſſe cenſeo, qui non obſervet, actiones hominum maxime inordinatas eſſe, neque eas dirigi in hunc finem, ut hominem ad veram felicitatem ſtatusque ſui perfectionem majorem ducant.

§. DCCCXXXVI.

Et quisquis Exiſtentiam ſummi Numinis, hominis ab illo dependentiam & inde naſcentem Religionem Naturalem agnoſcit, is facile videt, & ſuas & aliorum actiones cum manifeſtatione Gloriæ benigniſſimi Creatoris & Conſervatoris omnium rerum, & cum ipſius Naturalis Religionis præceptis maxime convenire : ſed optimum Numen à creaturis multoties contemni, ipſosque homines in propriam ruere perniciem, lubenter concedet.

In probatione corruptionis universalis ad Conscientiam cujusvis hominis provocandum est: licet enim ad hoc vel illud exemplum talium hominum provocetur, qui Religionem naturalem sive Jus Naturæ exacte servaverint; tamen eo minus inde ad sufficientiam Religionis Naturalis concludi potest, quia multum abest, ut illorum hominum actiones internas, æque ac externas omnes cognoscamus; adeoque de illarum totali cum Jure Naturæ conformitate judicari nequit; unde si cum Naturalista de hac re disputandum est, nulla aliorum hominum, qui ante multa vixerunt secula, exempla accipi possunt, sed ad conscientiam ipsius appellandum est; & licet concedatur, observationem Legis Naturæ non absolute esse impossibilem; nihil tamen Naturalista adhuc habet, quo Religionis revelatæ necessitatem impugnet; nam quæro ex ipso, quodnam remedium sperandum sit illis, quorum maxima multitudo est, qui Legem Naturæ non servant? Et subtilissimus etiam Philosophus fateri cogitur, Naturam aliud adversus morsus Conscientiæ ex transgressione Legis Naturæ ortos remedium ignorare, nisi *quod factum infectum fieri nequeat, atque ferendum sit, quod mutari nequit*, unde Philosophiæ hac in parte defectus manifestus est. Hinc sufficit ad institutum nostrum, ut probemus, homines non servare Legem naturalem, nec necessum est, ut probetur, contra Adversarios hosce, ex Philosophia impossibile esse, ut homo illam servare queat. Quo ergo confugiendum est, cum per experientiam homines Legem Naturæ non servare constet, nisi ad negationem Justitiæ vindicativæ; nam negata Justitia punitiva, etiam cadit necessitas Satisfactionis & per consequens Revelationis; unde quæstio cum Naturalista agitanda ad duo redit, *primum* est, an Justitia punitiva sit Attributum Dei absolute necessarium & Pœna peccati indispensabilis? *Secundum* an per Philosophiam medium aliquod constet, quo morsus Conscientiæ tranquillari, & quo homo à Pœna liberatus in statum perfectum possit restitui. Posterioris negatio & prioris affirmatio si demonstrata est, etiam Revelationis necessitas demonstrari potest.

§. DCCCXXXVII.

Sed duo ſunt, quæ Peccatum ſpectant, quæ ex principiis Rationis non conſtant, ſed quæ maximi Philoſophi, qua tales, cum ignariſſimis etiam ignorant.

§. DCCCXXXVIII.

Primum ejus originem ſpectat, ipſi enim gentiles quidem Mala infinita & horrendam criminum multitudinem animadverterunt; ſed quando & quomodo peccatum ortum habuerit, hoc nulli unquam ex Ratione notum fuit.

§. DCCCXXXIX.

Secundum, etſi maximam calamitatem, quæ ex Malo morali oritur, ſentiant illi, qui Revelatione carent; nulla tamen humana Ratio quantumvis ſubacta agnoſcere poteſt, ſi ſibi relinquatur, quam ingens Malum ipſum peccatum ſit & quantam jacturam illud ſecum ferat.

§. DCCCXL.

Ex principiis tamen Philoſophicis demonſtrare poterimus Malum illud tantum eſſe, ut de omni creaturæ auxilio, ad ſe ex illo extricandum, plane deſperandum ſit: Et hominem propter excluſionem à Communione & Vita Dei ſpiritualiter mortuum eſſe: Et Malum illud neceſſario hæreditarium eſſe.

§. DCCCXLI.

Cum Malum morale ſit imperfectio (§. 475.), adeoque defectus; E. non reale & poſitivum, ſed mere privativum eſt.

Ejusmodi notionem Mali ita comparatam eſſe ait Celeb.

&

& Erud. CANZIUS Lib. sæpissime laudato Cap. V. §. 205., ut complures errores caveat, intricatissimisque quæstionibus evolvendis inserviat. Citat Vir Clariss. Ill. BULFING. verba de Orig. Mali §. 244. *Si Malum non est rei defectus, sed res, non privatio, sed aliquid, quod in rerum natura ponitur: aut erit à Deo, aut non? Si prius, Deus erit caussa Mali: Si posterius; exsistet res à Deo non pendens. Unde porro pergit Doct. Vir: Patet ex definitione Mali, non posse exsistere principium Mali supremum, id est, Deum quendam perversum, qualem finxerunt Manichæi. Quid enim quæso esset defectus summus? nihil in rerum natura ponens. Quod enim est aliquid, id Malum dicendum non est. An dari potest infinita privatio? id est, infinitum nihil? quod sit, utpote principium, & non sit, utpote Malum & defectus &c. Unde etiam AUGUSTINUS de Civit. Dei monet Lib. XII. cap. 7. mali causs-Jam non tam efficientem, quam deficientem quærendam esse.* Consentiunt etiam Theologi & Philosophi: duorum tantum brevissima verba allegabimus. Celeberrimus MELCHIORIS in fundamentis Theol. Didasc. Cap. II. §. 29. dicit: Sed deviationis tamen à lege, quæ vitiosas facit actiones, caussa non est Decretum Dei, est enim non effectus, sed defectus, ut negatione caussalitatis tantum opus sit. Et *Illust. LEIBNITIUS in Theodicæa* §. 20. asserit: Quanquam proprie loquendo ipsum formale Mali caussam efficientem non habet, est enim in privatione situm - - hoc est in eo, quod caussa efficiens non facit: Hinc Scholastici caussam Mali vocare solent deficientem.

§. DCCCXLII.

Si ergo Peccatum sive Malum morale definire velimus, dicimus; *Illud esse Absentiam relationis Actioni debitæ ineſſe.*

Supra nimirum ostendimus, Bonitatem rei à Deo æstimari tum in relatione ad summam suam Perfectionem sive omnia sua Attributa, & ad totum Universum; & Attributa divina debere esse motiva Actionum rationalium, & illas debere tendere ad manifestatio-

stationem Gloriæ divinæ, & ad propriam perfectionem; hæ ergo sunt tot relationes nostrarum actionum, quæ ubi absunt, Actiones fiunt vitiosæ; illud enim, quod in actione physicum est, Malum non esse, jam demonstravimus; Bona ergo Actio est, quando illam facimus α. in relatione ad Attributa divina, ideo nempe quia Deus est Omniscius, cui omnia nota sunt; quia est Sanctus, quique propterea ipse non facit nisi quod rectum est, & omnem imperfectionem à se arcet; quia est Justus & Omnipotens, qui vult & potest salvare & perdere; quia est Optimus & propterea summe amandus &c. β. in relatione ad Finem, propter quem Deus hoc Universum condidit, nempe Gloriæ summæ suæ manifestationem; Unde actio ita comparata esse debet, ut Gloria Dei ex illa eluceat, & illam ideo debemus facere, quia Gloria divina per illam manifestatur, γ. in relatione ad propriam Perfectionem nostram, quando nostras Actiones ita dirigimus, ut propria felicitas per illas promoveatur, δ. tandem etiam in relatione ad totum Universum, præcipue proximi nostri, si actiones ita diriguntur, ut etiam aliorum hominum salus & perfectio promoveatur. Si rem exemplis declarare volumus, videmus duos eandem actionem peragentes, quorum unus bonam actionem edit, alter vero peccat; duo ex. gr. cibum capiunt, alter cum gratiarum actione & non plus quam ad sustentationem & perfectionem corporis sui opus habet, ut & ad finem assequendum, propter quem corpus ipsi datum est, ut nempe Deo & proximo eo servire & propriam salutem promovere queat; alter vero, qui illum capit tantum voluptatis gratia absque repectu debiti finis, ille peccatum committit, quia actioni suæ debita relatio deest; Ita etiam duo sacra peragunt, alter ut Deum actione sua glorificet & propriam operetur salutem; alter vero hypocrita, id facit plane alio modo & aliam ob caussam, unde actio ipsius, physice non mala, fit vitiosa, quia actioni deest debita relatio, videmus ergo definitionem quam dedimus bonam esse.

Quæ-

§. DCCCXLIII.

Quæritur autem, quomodo Peccatum, quod Originale dicitur, describi possit ut efficacissimum, si mera privatio sit atque defectus.

§. DCCCXLIV.

Sed cadit dubium, si consideramus duo in privatione illa distinguenda esse, & quidem α. adest simplex justitiæ sive perfectionis primitivæ absentia & desiderii in bonum tendentis defectus.

§. DCCCXLV.

Et β. adest virium concupiscendi, quæ physice consideratæ bonæ sunt, & ad animæ substantiam pertinent, ad Malum directio: concurrunt ergo duo defectus, nempe absentia desiderii boni, & desiderium mali, seu directio virium in partem contrariam; id est, homo non solum Bonum non desiderat, sed contra quammaxime fertur in Malum.

§. DCCCXLVI.

Non enim deficit solum summum animi decus, sed naturales quoque mentis facultates, quæ in intelligendo & appetendo versantur, prorsus corrumpuntur, id est Intellectus non solum Ignorantia laborat, sed Erroribus etiam pervicacissime inhæret, ut Voluntas non solum circa Dei amorem aut odium neutra sit, sed ut gravissime Deo obluctetur.

Vide Celeb. CANZIUM, cujus hæc verba sunt L. c. Cap. V. §. 210. pag. 283. sub finem.

§. DCCCXLVII.

Cum ergo habitus adsit actiones suas dirigendi in partem contrariam, hinc peccatum non potest non esse efficacissimum. Im-

§. DCCCXLVIII.

Imperfectio est, quando aut minus bonum antefertur majori, aut apparens bonum vere bono; at cum talis Actio sit moralis, etiam imperfectio, quæ huic actioni inest, moralis est.

§. DCCCXLIX.

Per malam Concupiscentiam aut bonum minus anteponitur majori, aut apparenter bonum vere bono; atqui hæc imperfectio moralis est, sive voluntas ad illud patrandum consentiat, sive non consentiat: E. Concupiscentia Imperfectio moralis est.

§. DCCCL.

Concupiscentia est imperfectio moralis (§. 849.); imperfectio autem moralis est Malum morale sive peccatum (§. 475.); E. etiam Concupiscentia peccatum est.

§. DCCCLI.

Status parentum est moraliter imperfectus, ex statu autem moraliter imperfecto perfectus sequi nequaquam potest, absolute enim impossibile est, plus esse in causato quam in causa: Sequitur, quod si status parentum sit moraliter imperfectus, etiam status posterorum illorum talis esse debeat, alias infantes possiderent talem perfectionem, quæ nullam naturalem haberet causam.

Dicimus quidem subinde Bonum ex Malo oriri, quando ex. gr. Malum causam dat bonæ Legi, aut si dirigitur in bonum finem; sed tunc perfectio Legis propterea in Malo non existit, ut in causa, sed tantum ex ejus occasione & remedii loco fertur, & plane aliam causam habet; & si Malum dirigitur in finem bonum, finis autem ille sit perfectio, illa tamen perfectio

fectio non oritur ex ipso Malo qua Malo tanquam caussa, sed ex Bono quod cum Malo connexum est & ejus seriei implicitum.

§. DCCCLII.

Hæreditarium hic vocamus, quod infantes à parentibus accipiunt: Atqui imperfectionem moralem, sive pronitatem actiones suas dirigendi non cum debita relatione, infantes à parentibus habent (§. 851.): E. Malum morale sive peccatum hæreditarium est.

Si enim fieret, ut perfecti infantes orirentur ab imperfectis parentibus, moraliter nempe, parentes aliquid darent, quod ipsi non habent, quod impossibile est.

§. DCCCLIII.

Cum ergo nexus sit inter statum moralem liberorum & parentum, ut inter caussam & caussatum; hinc imperfectio moralis per effectum naturalem propagatur.

§. DCCCLIV.

Si Infantes moraliter perfecti nascerentur à Parentibus moraliter imperfectis, tunc ille talis foret effectus, qui neque ex vi caussæ, neque ex statu antecedente explicari posset, adeoque non naturalis; ejusmodi autem effectus, qui nec ex essentia, neque ex vi creaturarum aut Mundi secundum statum antecedentem consequitur, vocatur Miraculum (§. 395.): E. si Infans moraliter perfectus nasceretur à Parentibus moraliter imperfectis, id non aliter fieri posset, nisi per Miraculum.

§. DCCCLV.

Id quod hactenus diximus S. Litteræ appellant

lant *Liberos generare secundum similitudinem suam*; si nimirum primi Parentes in statu integro mansissent, in quo erant creati, sobolem etiam genuissent sanctam, dum in semine non fuissent perversi motus, qui in fœtum potuissent derivari, neque anima cum illo jungenda pravis corrupta fuisset affectibus. Postquam vero primi Parentes corrupti fuere, universa Posteritas, nullo interveniente Miraculo, non potuit non corrupta nasci, juxta imaginem parentis, imagine divina prorsus extincta.

§. DCCCLVI.

Et cum omnes Posteri ex primo Parente ceu ex Radice ortum suum trahunt, Generis humani Universitas cum stirpe non aliter, quam unicum aliquod totum, sive unica massa considerari potest, ut non sit aliquid à stirpe diversum, & non aliter ab ea differunt posteri ac rami ab Arbore.

§. DCCCLVII.

Ex quibus facile patet, quomodo stirpe peccante omne illud quod ab ea descendit, & cum ea unicum aliquod totum efficit, etiam peccasse judicari possit, cum à stirpe non differat, sed cum ea unum sit.

Doctrina de Peccati primi Parentis imputatione immediata tam incredulos, quam alios offendit; si vero ea, quæ hactenus ex ipsis Rationis principiis deduximus, perpendantur, facile deprehenditur, S. Litteras nihil hic docere, nisi quod ipsa rei ratio postulat, & justo Dei judicio fieri potuisse, ut primus Parens dignus non esset, qui susciperet sobolem sanctam, sed pravam & Pœnæ obnoxiam.

§. DCCCLVIII.

Considerata peccati Natura, ejusque per genera-

nerationem propagatione, nunc etiam triſtes ejus effectus exponendi & ex prioribus demonſtrandi ſunt.

§. DCCCLIX.

Deus in ſe continet rationem ſufficientem omnis Vitæ & propterea eſt fons omnis Vitæ extra ſe (§. 314.): quæcunque propterea creatura rationalis Communione ejus fruitur, etiam vivit ſpiritualiter.

§. DCCCLX.

Conſiſtit ergo Vita Animæ ſpiritualis in hoc, quando per Communionem Entis actuoſiſſimi ipſa etiam in operibus bonis actuoſiſſima redditur, in ſumma Dei Sapientia ſe oblectat, & in fruitione ſenſus Communionis ejus lætatur.

§. DCCCLXI.

Per lumen Intellectus ſive Rationis intelligitur, *diſtinctiſſima Dei*, quantum per Animæ eſſentiam licet, & *rerum aliarum perceptio*, *facultasque rerum nexum introſpiciendi*, *præcipue veritatum.*

§. DCCCLXII.

Deus ut omnium rerum, ita quoque Autor eſt omnis Veritatis (§. 365.), omnis propterea Cognitionis atque Sapientiæ extra ſe: E. etiam fons omnis Lucis Intellectus creati eſt.

§. DCCCLXIII.

Et cum fons omnis Lucis in Intellectu creato ſit (§. 862.): Fruitio Lucis illius in ejus Communione quærenda eſt.

§. DCCCLXIV.

Qui peccat, ille neceſſario excluditur à Communio-

munione Dei (§. 820.), & abalienatur à Vita Dei (§. 821.), & propterea moritur spiritualiter (§. 823.): E. peccatum omnia ea Mala sequuntur, quæ in Morte spirituali comprehensa sunt, & Vitæ spirituali opponuntur.

§. DCCCLXV.

Uti nimirum Anima, quæ spiritualiter vivit in Communione Fontis Vitæ, in Actionibus bonis actuosissima est (§. 860.); ita contra Anima Communione cum Vita Dei exclusa & spiritualiter mortua in Bonis actuosa esse nequit.

§. DCCCLXVI.

Mors consistit in privatione actuositatis, nam vivere est actuosum esse ex intrinseco principio, Mors spiritualis ergo in privatione spiritualis actuositatis consistit; Cum vero Anima sit immortalis (§. 716.), adeoque suo sensu semper actuosa maneat, hinc per Mortem spiritualem sive privationem actuositatis spiritualis non intelligitur privatio facultatis agendi; sed privatio Vitæ spiritualis, quæ ex Deo fonte Vitæ est, hoc est directionis actionum suarum ad Dei glorificationem propriamque salutem.

ISIDORUS PELUSIOTA dicit θάνατος τῆς ἀθανάτε ψυχῆς τὲ ἁγίε πνεύματος ἀποφοίτησις. Mors immortalis Animæ est Spiritus sancti ab ea secessus. Citante *Celeb. WITSIO Oecon. Fœd. Lib. I. Cap. V. §. 7.* Et idem Celeberrimus Theologus mortem hanc hisce ponderosissimis describit verbis *l. c. §. 8.* Anima mortua non sentit, hoc est, non intelligit veritatem, non amat justitiam, volvitur & fatiscit concupiscentiarum putore, verminat cogitationibus, ratiocinationibus, & affectibus fœdis atque abominabilibus. Ergo homines alieni à Vita illa spirituali, quæ est in luce Sapien-

pientiæ, & activitate charitatis in bono ſuo eoque præſente deliciantis, ſunt viva cadavera.

§. DCCCLXVII.

Deus eſt fons omnis lucis (§. 862.), & propterea omnis vera Lux in Communione ejus quærenda eſt (§. 863.): E. extra illius Communionem nonniſi tenebræ ſunt.

§. DCCCLXVIII.

Quoniam itaque homo peccans à Communione Dei excluſus eſt (§. 820.), extra Communionem Dei vero ſunt meræ tenebræ (§. 867.): E. ſtatus Hominis peccantis nil eſt niſi tenebræ.

§. DCCCLXIX.

Intellectus humanus perfectiſſimus eſt, ſi Deum ut Ens præſtantiſſimum clariſſime & diſtinctiſſime ſibi repræſentat (§. 810.), quicquid autem verſatur in tenebris objecta ſibi diſtincte repræſentare nequit, adeoque nec ea cognoſcere poteſt. Cum vero ſtatus hominis peccatoris ſit meræ tenebræ (§. 867.), propterea etiam Intellectus ejus in tenebris verſatur, extra Dei Communionem: E. nec Deum ſibi debita cum claritate & diſtinctione repræſentare & cognoſcere valet.

§. DCCCLXX.

Appetitus rationalis oritur, quando Intellectus ſibi aliquid ut Bonum repræſentat (§. 721.): Cum vero Intellectus peccatoris in tenebris verſans Deum debito modo ſibi repræſentare, adeoque recte cognoſcere nequeat (§. 869.): Hinc eum nec appetere poteſt.

Ex ſta-

§. DCCCLXXI.

Ex ſtatu moraliter imperfecto perfectus ſequi nullo modo poteſt (§. 650.), adeoque poſtquam homo ſemel libertate ſua abuſus eſt, & actiones ſuas non determinat illis rationibus, quibus determinatur perfectio eſſentialis, & cum ſit ſpiritualiter mortuus (§. 865.), vita ſpirituali privatus (§. 866.), & Intellectus ejus obtenebratus, vere bonum ſibi repræſentare & cognoſcere nequit (§. 869.), adeoque nec illud appetere (§. 870.), & porro impoſſibile ſit, ut nexus rerum, quo ſtatus ſequens fundatus eſt in antecedente, immutari queat (§. 650.), adeoque miraculum intercedere debeat, ſi ordo actionum mutandus ſit: E. ſequitur impoſſibile eſſe, ut homo peccator, qua conſtitutus in ſtatu moraliter imperfecto, absque miraculo actionem vere bonam, hoc eſt Attributis divinis & propriæ ſaluti conformem atque perfectam edere poſſit.

§. DCCCLXXII.

Homo ſpiritualiter mortuus (§. 823.), mente animoque corruptus, Sapientia & Vita Dei deſtitutus eſt, marceſcens cadaveris ad inſtar, hinc mors tale peccati naturale conſequens eſt, ut ſimul peccati Pœna ſit.

§. DCCCLXXIII.

Primo enim Creatura rationalis, quæ propter Voluntatis ſanctitatem & Intellectus ſapientiam primitus Deo ſimilis fuit (§. 792. 793.), propter peccatum, aut non facit quæ ſe digna ſunt, ſive quæ ad propriam perfectionem tendunt, ſed Deo fit diſſimilis, adeoque miſera, quod maxima peccati Pœna eſt.

Secundo

§. DCCCLXXIV.

Secundo cum Anima ex privatione ſummi Boni miſeram ſe eſſe intelligit, & miſeriam ſuam intelligens, carentiam iſtius Boni non poteſt non lugere.

§. DCCCLXXV.

Et *tertio* cum Anima ſentiat, ſe à viſione Dei beatifica, à ſenſu Gratiæ & Gloriæ Dei, in quo ſolo gaudii ſatietas eſt, excluſam eſſe, & propterea omni conſolatione Dei orbam, illam hoc non poteſt non horrendum in modum torquere.

§. DCCCLXXVI.

Quarto Conſcientia indeſinenter exprobrat, ipſam Animam hujus peccati cauſſam eſſe, eamque ipſam omnem viam ad Communionem Dei intercluſiſſe & propterea adverſus ſeipſam exardeſcit.

§. DCCCLXXVII.

Et ubi *quinto* omnis felicis reſtitutionis ſpes decollat, etiam horrenda deſperatio Animam ſubeat oportet : quæ ſumma Pœna eſt.

§. DCCCLXXVIII.

Cum Sanctitas ſit conſtans Voluntas faciendi nonniſi quod rectum eſt ; rectum autem illud eſt, quod nulli Attributo divino contradicit (§. 625.), homo autem peccans actiones ſuas non ita dirigit, ut divinis Attributis non contradicant, adeoque nec legi divinæ adverſentur, quæ hoc requirit (§. 770.) : unde etiam nec peccator ſanctus eſſe poteſt.

§. DCCCLXXIX.

Patet ex dictis, quænam peccati ſint ſequelæ,

α. Eſt excluſio à Communione Dei (§. 820.). β. Abalienatio à Vita Dei & mors ſpiritualis (§. 821. 823.), γ. Impotentia ad opus vere bonum operandum (§. 871.), δ. Intellectus obtenebratio (§. 869.). ε. Voluntatis perverſitas (§. 870.). ζ. Pœna peccatum excipiens & cum illo connexa (§. 872. - - 877.). ϛ. Sanctitatis carentia (§. 878.).

Hæc omnia hic ſigillatim expoſuimus, ut ſuo loco neceſſitatem omnium bonorum Fœderis Gratiæ ex his demonſtrare poſſemus.

§. DCCCLXXX.

Cuncta hæc, quæ diximus, tam arcto cohærent nexu, ut ad quamvis conſcientiam, ſi modo attendere velit, ſe manifeſta faciant.

Sectio XI.

De

Hominis Impotentia ad ſe ex infinito Malo extricandum & priſtino ſtatui reſtituendum.

§. DCCCLXXXI.

Deo nihil probatur, niſi in quo ratio habetur omnium ſuorum Attributorum (§. 408.), & totius Univerſi (§. 405.): E. ſi homo a Malo morali, cui intricatus eſt, liberari & priſtino ſtatui reſtitui, & iterum ad Communionem Dei pervenire

venire debet, ex qua propter peccatum exclusus est (§. 820.), in modo, quo id fit, ratio haberi debet omnium divinorum Attributorum & totius Universi.

Cum nimirum rationes omnes speciales in hoc Universo debeant tendere ad generalem, in quo Universi perfectio consistit (§. 387. 405.), propterea etiam hic ratio habenda est modi, quomodo peccatoris restitutio non tantum cum omnibus divinis Attributis conveniat, sed quomodo cum integro rerum nexu & relatione ad totum Mundum ejusque perfectione universali & fine ultimo; ad quem omnes fines subordinati tendere debent, convenire possit.

§. DCCCLXXXII.

Cum in modo, quo peccator à Communione Dei exclusus & moraliter imperfectus restitui debet in priorem statum, ratio habenda sit omnium Dei Attributorum & relationis ad perfectionem totius Universi (§. 881.), hinc ille, qui modum hunc invenire vult, quo peccator iterum ad Communionem Dei pervenire, & in statum moraliter perfectum restitui, & à sequelis peccati liberari debeat, sciat oportet omnia Dei Attributa illorumque ad se invicem relationem, nec minus nexum totius Universi, & rationum particularium relationem ad universalem.

Aliud nimirum est, simpliciter scire aliquid in rerum Universo possibile esse, aliud autem modum scire, quo illud sit possibile, & quomodo in actum deduci possit; multoties enim ex circumstantiis quibusdam vel aliis argumentis rem non absolute impossibilem esse conjicere possumus; sed quis sit ille modus, quo id fieri possit, hoc in maximis nos latet, in illis præcipue rebus, quæ in nexu rerum momentosissimæ sunt; & aliud est, rem à posteriori scire vel credere; aliud vero à priori invenire, præcipue id quod totam divi-

nam Perfectionem ipsiusque Attributa respicit, & ad totum Universum ejusque perfectionem maximam relationem habet, uti modus, quo creatura rationalis Attributis divinis convenientissime, & modo decentissimo, & nexu cum Universo sapientissimo, in Communionem Dei & perfectionem moralem amissam restitui queat; hic modus inquam à nemine inveniri potest, nisi qui totam Divinitatis plenitudinem, hoc est, omnia ejus Attributa singulorumque relationem, ut & totam rerum in hoc Universo seriem novit, nec à priori invenire & ostendere potest, quomodo id ad totam Dei Gloriam & universam Mundi perfectionem illustrandam fieri queat, nisi ille cui hæc omnia comperta sunt.

§. DCCCLXXXIII.

Cum Intellectus creaturæ finitæ totam Divinitatis plenitudinem & omnia divina Attributa comprehendere nequeat, nec totam hujus Universi connexionem & rationum singularium relationem ad universalem cognoscere possit, adeoque de rerum perfectione non eo, quo Deus, modo judicare potest (§. 409.), & propter exclusionem á Communione Dei fontis omnis lucis & veræ cognitionis ita obtenebratus sit, ut Deum in pulcritudine sua non amplius cognoscere valeat (§. 869.): E. impossibile est, ut Creatura peccatrix modum invenire queat, quo Peccator salvis omnibus Attributis divinis ad maximam Gloriæ Dei, hoc est universæ Deitatis manifestationem, & summam Mundi hujus perfectionem ad Communionem Dei admitti & priorem perfectionem recuperare valeat.

Modum enim hunc non ex rebus parvi, sed maximi momenti esse, facile quisque mihi etiam sine hæsitatione concederet, considerans creaturas rationales omnium nobilissimas esse, per quas Deus finem, propter

ter quem totum hoc Universum condidit, assequitur, nempe propriæ Gloriæ manifestationem & celebrationem, unde in universo rerum nexu actiones Creaturarum rationalium maximi momenti sint oportet, & quæ ad Mundi hujus pulcritudinem & perfectionem maximum contribuunt; propterea non potest non illarum, ad totum rerum nexum atque ordinem & tendentiam ad finem & perfectionem universalem, maximus respectus & relatio esse; & cum, per demonstrata, illæ creaturæ intelligentes, quæ terram hanc incolunt, propter commissionem Mali moralis Benignitate divina privatæ & à Communione ejus excluſæ sint, & propterea infelices; hinc nullum dubium est, quin in illarum restitutione in Communionem summi Numinis, etiam omnium ejus Attributorum ratio haberi debeat, ne uni vel alteri illorum adversetur; alias aliquid fieret, quod summæ Dei Perfectioni contradiceret, si unum vel alterum Attributum negligeretur; cum vero hæc omnia, quæ ad admirandam hujus Mundi perfectionem faciunt, & totus Attributorum divinorum complexus nos lateat, ecquis dubitet, etiam Modum illum restitutionis peccatoris relationem habere ad totam Divinitatem & Universitatem omnium rerum, propterea nobis Entibus intelligentibus finitis à priori imperscrutabilem esse & nulla ratione inveniri posse. *Unde Theologus maxime Celebratus JOH. ALPHONSUS TURRETTINUS in Cogitationibus suis de variis Theologiæ Capp. §. 35.* de hac re ita pronunciat. „ De divinis multa quidem naturæ lumine innotescunt, sed non „ omnia. In his est Via Salutis, quæ cum à sola Dei „ Misericordia & Beneplacito penderet, divinari ab „ humano ingenio vix ac ne vix quidem potuisset. *Hucusque Vir Celeb.* Revelationis luce quidem illustrata Mens multa ex principiis philosophicis detegere potest, quæ sine illius ope nullo modo potuisset ratiocinando assequi, unde Revelatio ad instar microscopii vel telescopii sese habet, quæ enim illius ope videmus, sæpe deinceps etiam oculo non armato observamus, quæ alias non vidissemus; Nullus tamen, etiam acutissimus philosophus, licet Revelationis ope instructus, unquam ex principiis Rationis modum

ostendere potuit, quo Peccator ad summam Dei Gloriam, totius Mundi perfectionem & salutem propriam esse possit. Non opus est, ut rem præsentem porro probemus illorum exemplo, qui non tantum Revelationis, sed etiam recto Rationis usu destituti vani facti sunt in ratiociniis suis, & obtenebrati corde sibi sapientes visi stulti facti sunt. Ratio autem, cur hic prolixior paulo sim, hæc est, ut infra principia habeam, quibus Revelationis necessitatem adstruere possim, quod in Theologia Elenchtica summæ necessitatis est, contra omnes Naturalistas, Indifferentistas, ipsosque etiam Socinianos; ut hac veritate non adstructa arma fere nobis desint, quibus illos feliciter debellare possimus; unde hæc materia in Systemate Theologiæ nunquam obiter & negligenter tractanda aut plane posthabenda est: Saltem nunc demonstravimus impossibilitatem inveniendi modi restitutionis peccatoris à parte Intellectus humani, nunc porro demonstrabimus, quæ ad rem præsentem necessaria sunt.

§. DCCCLXXXIV.

Cum impossibile sit, ut homo modum invenire possit, quo in pristinum felicem statum restitui & à Malo morali liberari queat (§. 883.), hinc nisi ipse Deus succurrat & ipsi modum hunc ostendat, nescit quid sibi faciendum, sed uti in tenebris palpat, an Deum forsan invenire possit, sed propter mentis imbecillitatem atque tenebras à vera via aberrat.

Exemplo sunt omnes illi, qui Revelatione destituti absurdissimos de Religione foverunt errores atque de cultu divino; neque unquam contra adversa hujus vitæ, contra Conscientiæ terrores & accusationes solidum solatium invenire potuerunt: & quanquam divinæ Gratiæ atque Longanimitatis erga illos exercitium in animis illorum Misericordiæ suspicionem subinde excitare potuerit, nunquam tamen firmam potuerunt habere fiduciam, beatam Vitam ipsis certo

aliquando redditum iri, sed maxima etiam spes nullo nitens fundamento nil nisi dubitatio fuit.

§. DCCCLXXXV.

Cum modus, quo Peccator è miseria sua emergere & in Communionem Dei redire potest, ab homine ipso inveniri nequeat (§. 883.), modus autem ille nihil aliud est, quam medium quo id fieri potest, adeoque cum medium homini ignotum sit, eo etiam uti nequit: & propterea semper à Communione Dei excluſus maneret, nisi ipsi aliunde patefieret.

§. DCCCLXXXVI.

Nunc impotentiam hominis sese ex Malo, cui obnoxius est per peccatum, liberandi & pristino statui restituendi vidimus ratione Intellectus: jam etiam idem à parte Voluntatis impossibile esse, demonstrandum erit.

§. DCCCLXXXVII.

Demonstratur autem hoc modo; Cum homo modum, quo ex Malo emergere & in statum felicem restitui queat, ne quidem sciat (§. 883.), & præterea Voluntas nec Deum, adeoque nec Communionem ejus debito modo appetere possit (§. 870.), & homo à Deo fonte omnis Vitæ & actuositatis abalienatus & spiritualiter mortuus (§. 821. 823.), & ad opus vere bonum operandum impotens (§. 871.): E. etiam à parte Voluntatis impossibile est, ut id efficere possit, cujus ne modum quidem Intellectus ipse novit, & ad quod efficiendum plane nullæ supersunt vires.

§. DCCCLXXXVIII.

Vel cum Modus ille Intellectum lateat (§. 883.), Voluntas illum ne velle quidem sive appetere potest: ignoti enim nulla cupido.

Etsi enim homo Revelatione destitutus subinde desideret, ut sub minori vel nullo malo fatisceret, in statum longe perfectiorem transponeretur; tamen desiderium ipsius non recte se habet, cum velit vel finem sine mediis, vel saltem sine convenientibus mediis, Desiderium autem recte comparatum est, quando homo etiam media vult propter finem, & quidem ea, quæ ad finem ducunt, in re præsenti autem homo media ignorat, nisi ipsi manifestentur, adeoque etiam desiderium ipsius falsum est.

§. DCCCLXXXIX.

Impossibilitas hæc, à parte hominis porro ex Justitia vindicativa, quæ Deo competit, & ex natura Pœnæ, qua Lex sancita est, demonstrari potest.

§. DCCCXC.

Deo competere Justitiam punitivam supra jam (§. 553. -- 653.) prolixe à nobis demonstratum est; sed ut nihil desit hoc loco, aliis adhuc armis pugnamus, argumento invicto ex rerum convenientia desumto.

§. DCCCXCI.

In rerum Universo hauddubie summa debet esse rerum Harmonia, summa congruitas, maxima convenientia, hoc enim est, quod ad Universi pulcritudinem maxime facit, quod creaturis intelligentibus maxime placet, quod summum rerum Opificem maximopere decet; Unde dubitandum non est, ordinem hunc atque har-

harmoniam conservandam, vel si turbata fuerit, restituendam aut compensandam esse, nisi integrum rerum Systema turbari & confundi debeat.

§. DCCCXCII.

Deo summam competere Sapientiam demonstratum est (§. 499.), & cum major esse vel concipi nequeat, infinita est.

§. DCCCXCIII.

Sapientiæ autem est observare rerum Harmoniam, nexum, convenientiam atque pulcritudinem, præstantissimum eligere finem, mediaque aptissima illi subordinare, quo ordine nihil potest excogitari præstantius: ordo autem ille si turbetur, per Sapientiam aut restituendus aut compensandus est.

§. DCCCXCIV.

Cum autem Deo competat sapientia summa (§. 499.), & infinita (§. 892.): Unde non potest non maxime animadvertere omnium rerum Harmoniam, ordinem atque nexum, neque ullo modo á rerum convenientiis recedere, easque à Creaturis intelligentibus neglectas restituere. Si enim Deus inconvenientiæ vel præteritæ, vel præsenti, vel futuræ conniveret, eamque vel non restitueret, vel non compensaret, Sapientissimus dici non posset.

Etiam Creaturæ rationales, quæ sapientiores sunt, rerum Harmoniam, ordinem atque concentum amant; Princeps ex. gr. aut alius quidam Magistratus, si Respublica à quodam turbata fuerit, ordinem restituit & compensat, hoc est, si eadem rerum series, quæ alias fuisset, locum amplius habere nequeat, illam

quantum potest resarcit sive æquivalenti restituit. Sed homo sæpissime in observanda rerum Harmonia aberrat, & cum non omnia sibi invicem succedentia ab initio ad finem usque perspicere valeat, ordinem multoties turbat, atque labefactat : Sapientia vero, quæ infinito major, errare nunquam potest : sed omnes rerum convenientias possibiles sive præteritas, sive præsentes, sive futuras exactissime observat.

§. DCCCXCV.

Cum Sapientia Dei infinita rerum nexum observet, ut omnia ordine fiant, ne ex diversis imo contrariis eadem oriantur nexu naturali, hoc est, ex bonis mala, aut ex malis bona.

§. DCCCXCVI.

Respectu actionum creaturarum rationalium convenientia in his præcipue consistit, α. si fiant secundum Legem, & per consequens convenienter Fini ultimo, nempe manifestationi Gloriæ Dei, & si tendant ad promovendam propriam perfectionem, tunc enim non potest non maxima in illis esse Harmonia, cum tota rationum series ita comparata sit & omnes ita sibi invicem subordinentur, ut summæ perfectioni omnes conformes sint.

§. DCCCXCVII.

β. Alterum autem spectat illud, quod Actiones liberas consequitur, congruitas nempe rei postulat, ut Actiones malas etiam sequantur mala, bonas vero bona.

§. DCCCXCVIII.

Per Legis ergo Violationem non potest non maximus in rerum serie oriri dissensus & rerum ordi-

ordinisque perfectio disturbari: convenientiæ ergo Actionum cum ultimo fine atque cum propria perfectione quam maxime obest Legis transgressio & Harmoniam turbat.

§. DCCCXCIX.

Post abusum vero Libertatis & Legem transgressam etiam convenientiæ rerum repugnaret, non minus si Actiones malas bona physica sequerentur, quam si viceversa Actiones bonas mala physica exciperent; supra enim demonstravimus, mala physica effectu & nexu naturali ex malis moralibus consequi, unde ordo turbaretur, si id non fieret.

§. CM.

Compensatur autem dissensus per Legis violationem introductus, aut si continua serie Mala physica ex moralibus sequuntur, cum nexus naturalis (§. 819.) & rerum convenientia (§. 897.) id postulet, & per consequens Deus si id fieri sinit, convenienter, hoc est, sapienter agat: aut si loco hujus compensationis alia æquivalens substituitur.

§. CMI.

Patet ex his, finem pœnarum esse compensationem dissensus per Legis violationem introducti.

§. CMII.

Compensatio autem illa vocatur Satisfactio.

§. CMIII.

Quoniam itaque Deus est infinite sapiens (§. 894.), adeoque nec errare potest, hinc nihil potest committere, quod infinitæ ejus Sapientiæ repugna-

pugnaret; id autem faceret, si convenientiæ rerum conniveret, aut rerum dissensum non compensaret (§. 894.): Unde non potest fieri, ut per peccatum exortum dissensum & harmoniam turbatam non compenset, adeoque rerum ordini convenienter agat.

§. CMIV.

Sapientia summa ne minimæ disconvenientiæ connivere potest, alias major posset concipi, cum vero series consequentiarum, quæ ex peccato consequuntur, per integrum rerum sibi invicem succedentium systema sese exporrigat, adeoque maxima orta sit harmoniæ atque ordinis turbatio: Hinc Deus ut sapientissimus non potest non illum dissensum compensare, adeoque Compensatio illa tam necessaria est, ac ipsa Dei Sapientia & per consequens absolute necessaria.

Hoc modo præstantissimæ Dei Virtutes in fulgidissima luce collocantur, & per talem Compensationem turbationis dissensus in rerum harmonia & ordine, nulli divinarum perfectionum quicquam derogatur. Sequentibus verbis ea, quæ paragraphis antecedentibus diximus, comprehendit *Ill. LEIBNITIUS in Theodicæa* §. 73. „ Hæc Justitia fundatur in sola convenientia, „ certam aliquam Satisfactionem in expiationem actionis pravæ exigente. Sociniani, Hobbesius, alii„ que nonnulli, hanc Justitiæ punitivæ speciem haud „ admittunt, quæ proprie vindicativa est, quamque „ Deus multis in casibus sibi (nempe soli) reserva„ vit; & quam tamen cum iis, qui alios gubernandi „ jus habent, subinde communicat, ac per ipsos exer„ cet - - - Sociniani justitiam istam fundamento ca„ rere arbitrantur; verum fundata semper est in re„ latione quadam convenientiæ, quæ satisfacit non „ solum offenso, sed etiam sapientibus eam cernen„ tibus;

„ tibus; quemadmodum elegans concentus musicus, „ aut egregium opus architectonicum mentibus non „ illiberalibus probatur. Et ubi sapiens Legislator „ minatus est, & ut ita loquar, pœnam promisit, „ ad constantiam ejus pertinet, actionem non relin- „ quere prorsus impunitam, etiamsi Pœna nemini „ ultra corrigendo utilis foret. Sed & quamvis ni- „ hil promisisset, satis est CONVENIENTIAM ades- „ se, quæ ad faciendum istud promissum impellere „ potuerit, cum sapiens nihil, nisi quod conveniat, „ promittat. Et dici quoque potest, certam quan- „ dam hic compensationem præstari menti, quam per- „ turbatio ordinis offenderet, nisi punitio quid ad „ instaurandum ordinem conferret. *Hactenus Vir subtilissimus.* Cæterum omnino consulenda & legenda sunt, quæ circa hanc Doctrinam scripta sunt *à Celeb. CANZIO Tract. de Civit. Dei* S. IV. C. IV. §. 805 -- 810. *& de Usu Phil. in Theol.* Cap. VIII. §. 257. 258.

§. CMV.

Compensatio ordinis à Deo instituti absolute necessaria est, & si Deus in illa conniveret, contra Sapientiam suam ageret (*§.* 904.): E. Deus in illa dispensare nequit.

Duo sunt, quæ hic lectorem offendere possent: primum est, quod absolutam Compensationis illius per Pœnam necessitatem tantum ex rei convenientia & summa Dei Sapientia demonstrem, argumentis ab aliis Dei Attributis desumtis omissis: sed attendendum est, me supra Justitiam vindicativam jam aliter demonstrasse, & cum principiis philosophicis utar, non omnia in auxilium vocare possum, quæ ad Veritatem hanc adstruendam dici possent; argumentis ex. gr. à Majestate divina desumtis quæ infinita est, ut propterea rebelles non possit non etiam infinitis Pœnis plectere; vel ex magno Dei erga peccatum odio, &c. Sed magis animum illorum, qui hanc Doctrinam inficiantur, hoc modo convinci posse arbitramur, quando rei Veritatem potius ex ipsa convenientia & divina Sapientia probemus, quam si ex illis Attributis argumenta

menta deducimus, quæ terrorem peccatori incutiunt, animum vero minus convincunt, & Deum ut despoticum aliquem Dominum describunt, qui pro arbitrio agat & cui nemo resistere queat; sed si demonstretur, ipsum sapientissimum semper ex rei convenientia agere, omnes carnis murmurationes cedant oportet. Secundum quod offendiculo esse posset, hoc est, quod, cum dicam compensationem illam esse indispensabilem, hoc modo Omnipotentiam Dei limitem: Sed qui observat, quæ sæpissime jam inculcavimus, quod nempe Deus nihil agere, & ipsi nihil bonum & perfectum videri possit, nisi respectu habito ad omnia sua Attributa, is facile mihi concedet, quod hic quæstio non sit, an Deus per absolutam suam Omnipotentiam peccata sine ulla compensatione remittere possit? Etenim non ex solo hoc Attributo divinæ Potentiæ, sed & Sanctitatis, Justitiæ, Sapientiæ & similium, controversiæ hujus explicatio & determinatio arcessenda est. Quidam, quando potentiam Dei solam spectant, (*verba Celeberr. WITSII sunt Oecon. Fœd. Lib. II. cap. VIII. §. I.*) omnia de eo dicunt, non considerantes Deum nihil posse agere, nisi juste, sancte, veraciter, sapienter, constanter, & ita denique, ut omnibus suis Virtutibus dignum est.

§. CMVI.

Cum hæc Compensatio dissensus per Legis violationem introducti sit finis pœnarum (§. 901.), Compensatio autem sit indispensabilis (§. 905.): Hinc etiam Pœna indispensabilis est.

§. CMVII.

Compensatio hæc idem est quod Satisfactio (§. 902.), cum vero Compensatio illa sit indispensabilis (§. 905.), etiam Satisfactio indispensabilis est.

§. CMVIII.

Compensatio illa fit, aut per nexum Malorum

rum physicorum sive Pœnæ cum Malo morali, quatenus continuo ut effectus naturalis ex peccato fluit; aut oportet fiat per æquivalentiam (§. 900.): Deus ergo potest, aut ordinem illum, quo ex malis Actionibus mala sequuntur propter rei convenientiam imperturbatum sinere, aut oportet æquivalentiam substituere possit.

§. CMIX.

Homo se ex malo infinito eripere & pristino statui restituere nequit; nam oportet compenset dissensum per Legis Violationem à se introductum per passionem totius seriei malorum physicorum, quæ ex malis Actionibus per ordinem naturalem sequuntur; aut oportet æquivalentiam substituat; sed à parte hominis ambo impossibilia sunt.

§. CMX.

Prius enim quod attinet, aut oportet homo in infinitum, sive in æternum, pœnam perferat, quia Pœna est æterna (§. 826.); aut oportet miraculo pœnam aufferat (§. 650.); aut oportet infinitam pœnarum successionem & durationem accelerare possit, ut brevi tempore id fiat, quod alias non cessatura rerum serie factum esset; aut tandem oportet faciat posterius, ut æquivalentiam substituat.

§. CMXI.

Primum si fiat, ut homo pœnam in æternum perferat, tunc nec à malo liberatur, nec in pristinum statum restituitur.

§. CMXII.

Secundum facere nequit, quia Miracula non fieri

fieri possunt, nisi à Caussa ab hoc mundo plane diversa (§. 397.), & nulla creaturarum Miraculum patrare potest, dum vim Universi excedunt (§. 395.)

§. CMXIII.

Non minus etiam *tertium* impossibile est, ut homo nexum perpetuum & seriem effectuum sibi succedentium acceleret, & brevi tempore omnia illa Mala physica, quæ per infinitam successionem ex Actionibus moraliter malis sequuntur, perferre queat, & ita brevissimo tempore fieri faciat, quod alias per perpetuam durationem factum fuisset.

§. CMXIV.

Ultimum ergo supereſt, nempe ut homo Compensationem æquivalentem substituat. Sed æquivalentia illa ita comparata esse debet, ut cum Sapientia ejus conveniat, qui illam postulat; & per consequens in illa ratio haberi debet, tum omnium divinorum Attributorum, alias ab illo approbari non posset (§. 408.); tum etiam totius Universi & universalis rerum nexus, ut tendat ad ejus pulcritudinem & perfectionem (§. 405.): Quoniam vero Intellectus humanus nec totam Divinitatis plenitudinem comprehendere, nec universalem omnium rerum in hoc Mundo nexum, totam rerum seriem, & Harmoniam universalem scire potest (§. 409.); E. impossibile est, ut homo Compensationem æquivalentem substituere possit.

§. CMXV.

Cum Compensatio æquivalens unicum medium sit, quo homo ab infinito malo liberari possit,

sit, per demonstrata; homini autem impossibilis sit illa æquivalentiæ substitutio, cum ne scire quidem possit, quomodo illa comparata esse debeat (§. 914.), nedum eam præstare; Sequitur per hominis impotentiam non licere, ut ipse se à malo, quod sibi per Libertatis abusum accersivit, liberet. Q. E. D.

Ergo ex Rationis principiis non constat, qua in re Compensatio illa æquivalens consistat, unde Gentiles solo Rationis lumine usi in hac re toto cœlo aberrarunt; quæsiverunt quidem remedium contra peccata; & Pœnarum, propter Conscientiæ residuam vim, inevitabilem metum, tristia crimina, cædes, aliaque scelera, purificatione aquæ tolli putabant; aut hominum bestiarumque fœdo sanguine; sed spe sua decepti fuere; in his ergo vel subtilissima Ratio cœcutiat oportet, nisi Deus ipse succurrat.

§. CMXVI.

Sed si vel homo, quod tamen impossibile est, Compensationis illius æquivalentiam substituere posset, per hoc tamen pristino statui nondum restitueretur, cum ipsius status adhuc maneret moraliter imperfectus; Nam ut homo in pristinum felicem & perfectum statum restituatur, illa æquivalens Compensatio non sufficit, cum per illam tantum turbatio ordinis compensetur, & sequelæ tollantur, quæ per effectum naturalem ex Malo morali sequuntur; sed porro requiritur, ut status moraliter imperfectus mutetur in statum moraliter perfectum; cum vero per effectum naturalem & vi status antecedentis ex malo morali aut statu moraliter imperfecto sequi nequeat perfectio, sed id nonnisi per miraculum præstari queat (§. 650.), homo autem miraculum patrare

nequeat (§. 912.): E. etiam homo statum moraliter imperfectum mutare in perfectum, aut se pristino statui perfecto restituere nequit.

Sectio XII.

De Revelationis necessitate ejusque Criteriis.

§. CMXVII.

Cum à parte hominis impossibile sit, ut Compensationem æquivalentem dissensus per Legis violationem introducti præstare (§. 914.), seque à malo, quod per Libertatis abusum sibi accersivit, liberare (§. 915.), atque pristino statui perfectionis se restituere possit (§. 916.); Illa autem Compensatio sive Satisfactio sit absolute necessaria (§. 904.), & indispensabilis (§. 907.), Et id, quod ad hoc requiritur, vires Intellectus finiti & creaturæ excedat (§. 910. - - - 914.): Inde à parte Creaturarum omnis spes decollat.

§. CMXVIII.

Nec à parte hominis & Creaturarum finitarum ulla liberationis & compensationis spes supereſt (§. 947.), unde nullum aliud in misero hoc statu datur refugium, nisi penes solum Deum.

Apponere hic lubet verba elegantissima Celeb. Philosophi & Theologi HERM. ALEX. ROELL in Dissert. de Rel. Rat. §. CLVII. postquam nimirum Corruptionem generis humani universalem probasset, tum ex errori-

erroribus circa Dei Existentiam, cum singularium hominum tum integrorum populorum, & circa Dei Essentiam, circa illius Virtutem & Providentiam, circa futurum hominis felicem aut infelicem statum, circa Religionem & cultum Dei rationalem, veram reconciliationem Peccatoris cum Deo: tandem §. *cit.* ex dictis hancce infert conclusionem. *Ex hisce vero patet, nullam homini, nisi in Dei Bonitate, spem, nullam post naufragium illud prater Dei Misericordiam superfuisse tabulam. Ut autem secure illi inniteretur, & trepidantem ad quævis minitantis Cœli murmura tranquillaret conscientiam, opus fuit, ut non dubiis de ea certior fieret argumentis. Ex insitis menti Ideis illud tantum cognoscere poterat, Deum qua est Sapientia & Potentia, gratiam si velit facere posse. At velle, nonnisi ex singulari Dei Revelatione constare poterat. Harere ergo illum inter spem metumque anxium, necesse erat. Donec Deus, benigna Voluntatis sua solus idoneus interpres, certum illi ad felicitatem iter patefaceret & fluctibus è tantis hominem, tantisque tenebris, in tam tranquilla ac tam clara luce locaret*: Hactenus Vir Celebris. Optandum esset, ut pro sua in rebus Philosophicis atque Theologicis soliditate atque perspicacitate gravissimam hancce Doctrinam uberius explicasset & demonstrasset.

§. CMXIX.

Præter Dei auxilium homini nulla amplius spes est è misero suo statu evadendi (§. 918.): Hinc quæritur α. an Deus id facere possit? β. an velit? γ. an si velit, necesse sit, ut homini illud revelet?

§. CMXX.

α. An Deus id facere possit si velit? nemo est, qui divinam Existentiam & Providentiam admittit, qui id non facile & lubens concedat; Deus enim facere potest quicquid nullam involvit contradictionem, adeoque possibile est (§. 394.),

contrarium autem demonstrari nequit, nempe quod impossibile sit, ut Deus medium & compensationem æquivalentem inveniat, qua salvis omnibus suis Attributis peccatorem à miseria liberare & in Communionem Dei restituere queat; unde etiam negari nequit, illud possibile esse. Et cum ad hoc Miraculo opus sit, Deus autem miracula facere possit (§. 398.), E. nec hoc impedit, quo minus Deus id efficere queat.

§. CMXXI.

β. Alia quæstio est, an Deus id facere velit? Etiam de hoc quidem nemo propriæ felicitatis cupidus facile dubitat, præcipue cum ejus spem faciat hujus Mundi & Hominis in illo conservatio, Dei erga Genus humanum Clementia atque Munificentia, qua omnibus benefacit, eoque se quæri velle haud obscure indicat, & cum quæri velit, sequitur etiam remedium adesse, ut quæri possit.

§. CMXXII.

Sed si magis philosophice rem probare velimus, semper ad id, quod bonum & perfectum, cumque Sapientia divina conveniens est, & ad perfectionem totius Universi tendit, recurrendum est.

§. CMXXIII.

Deus non vult nisi quod perfectum est (§. 403.); perfectum autem est, quod convenit cum fine generali hujus Universi (§. 387.), & per consequens æstimari debet alicujus rei perfectio ex relatione ad Attributa divina omnia (§. 408.), & ad totum Universum (§. 405.), adeoque quod tendit ad finem hujus Universi nempe mani-

manifestationem Gloriæ Dei (§. 491.), bonum sive perfectum est; cum vero Deus id, quod ad hujus Universi perfectionem facit, vult (§. 389.): Hinc etiam id, quod facit ad manifestationem Gloriæ suæ sive Attributorum suorum velle dicendus est.

§. CMXXIV.

Quando autem Deus Bonum ex malo producit, hoc est, facit ut series illa, ex qua nonnisi malum consequutum fuisset, mutetur, ita ut Bonum inde consequatur, adeoque malum dirigit ad bonum finem, id tendit ad manifestationem Gloriæ suæ (§. 466. 508. 509.), & per consequens etiam ad perfectionem totius Universi (§. 387.); unde Deus velle dicendus est, ut series illa, ex qua nonnisi malum per nexum naturalem sequutum fuisset, mutetur in Bonum.

§. CMXXV.

Quoniam autem Deus per Compensationem æquivalentem ordinem tollere potest, quo ex Malo morali sive ex statu moraliter imperfecto malum physicum nexu naturali continuo sequitur (§. 920.), & hoc modo ex malo bonum producitur & malum dirigitur ad manifestationem Gloriæ Dei & perfectionem Universi, Deus autem id vult quod eo tendit (§. 923.), & propterea etiam vult, ut series mali mutetur in seriem Boni (§. 924.), idque fit per compensationem æquivalentem (§. 914.); Hinc dubitandum non est, Deum etiam velle talem compensationis æquivalentiam, per quam homo ab infinito quo premebatur malo liberari potest, ad illustrandam Gloriam suam.

Vis argumenti nostri & demonstrationis in eo sita est, quod maxime ad manifestationem Gloriæ divinæ, hoc est, Attributorum suorum faciat, & ad pulcritudinem & perfectionem tum totius Mundi, præcipue Civitatis Dei multum conferat; multa enim de Deo atque summis ejus Virtutibus laterent, si omnes & singuli homines per perpetuam seriem malo, cui immersi sunt, obruti manerent, nullusque ex incolis totius terrarum orbis salvaretur; quæ divinæ perfectiones notæ fiunt, quando Deus etiam tam admirabili opere sese manifestat; si enim respectu omnium hominum status miseriæ maneret, nonnisi unica Dei virtus hoc modo manifesta fieret, Justitia nempe Vindicativa ejus; sed necessario plures aliæ admirabiles Virtutes fulgidissima luce collustrentur oportet, quando Deus per hominis liberationem, inexhaustas suas tum Sapientiæ, tum Omnipotentiæ & Omnisufficientiæ, tum Gratiæ & Misericordiæ aliarumque perfectionum divitias pandit: Cum ergo hominis liberatio ad Glorificationem Dei tendat, quæ finis operum suorum est, hinc nullum amplius dubium remanet, Deum illam etiam velle.

§. CMXXVI.

Cum dissensus per Legis violationem introductus necessario compensandus sit (§. 904.), & Deus compensationem ordinis à se instituti dispensare nequaquam possit (§. 905.): Compensatio autem illa fiat, aut per nexum malorum physicorum sive Pœnæ, quæ perpetuo effectu naturali ex malis actionibus fluit (§. 900.); aut per substitutionem Compensationis æquivalentis sive Satisfactionis (§. 908.): Quoniam vero hominis liberatio priori modo non fit (§. 911.), oportet fiat posteriori modo, quatenus loco illius Compensationis alia æquivalens substituitur (§. 914.); quia vero Deus vult ejusmodi Compensationis æquivalentiam, dubitandum non est, talem,

talem, quæ Medium Liberationis est, apud eum paratam esse.

§. CMXXVII.

Etsi ex principiis Rationis demonstrari nequeat, quale illud Medium sit, quo homo liberatur, sive qua in re substitutio illa Compensationis æquivalentis consistat; tamen ex demonstratis quædam ejus criteria etiam à priori indicari possunt.

§. CMXXVIII.

α. Oportet sit Mysterium; Ita talem appellamus veritatem, quæ immediata Revelatione divina patefieri debet, & ex principiis Rationis cognosci & demonstrari nequit, sed supra Rationem est: Quæque adeo in toto hoc Universo nil simile habet, sed ab omnibus reliquis Veritatibus, quas in hoc Mundi Systemate deprehendimus, differt: Cum vero, per demonstrata, Medium hoc ex Ratione non constet (§. 914.): E. oportet sit Mysterium, & immediata Revelatione opus habet.

§. CMXXIX.

β. Cum sit Mysterium, quod per consequens Rationis sphæram transcendit, talia in illo comprehendantur oportet, quæ Rationi sunt imperscrutabilia.

§. CMXXX.

γ. Ita comparatum esse oportet, ut compensatio exacte sit æquivalens illi, quæ fit per perpetuam successionem malorum physicorum ex malis actionibus sive malo morali sequentium; compensatio enim est absolute necessaria (§. 904.), & Deus nihil dispensare potest (§. 905.).

§. CMXXXI.

δ. Cum per illud Pœna auffertur, adeoque sit Miraculum (§. 650.), oportet vires Creaturarum & Universi opus hoc excedat.

§. CMXXXII.

ε. Illud nulli Attributorum divinorum contrarietur, sed omnium illorum in illo ratio habeatur oportet, alias à Deo approbari non potest (§. 914.), & maxime illustrari debet per illud tota divina Gloria (§. 925.).

§. CMXXXIII.

ϛ. Multum tandem contribuat oportet ad perfectionem Universi (§. 914.), & præcipue ad pulcritudinem Civitatis Dei (§. 925. in Schol.).

§. CMXXXIV.

ζ. Cum Creaturarum rationalium Intellectum & vires excedat, ab ipso Deo ordinatum & institutum sit oportet.

Plura ex Ratione non constant, sed multa imo fere omnia indeterminata relinquenda sunt; hæc tamen Criteria ex demonstratis lubenter deduximus, ut suo loco illa applicare, & convenientiam Rationis & Revelationis etiam hac in re ostendere, & multis præjudiciis carnis, quæ contra magnum illud Mysterium moventur, occurrere possimus. An vero Deus pluribus modis æquivalentem illam Compensationem præstare possit, illique multis modis satisfieri queat, hoc est de quo non lubenter disputamus. Quis enim hic leges ausit figere Supremo & ἀνυπεύθύνῳ Judici? quomodo placari velit, ipsius solius est decernere, statuere ac patefacere.

§. CMXXXV.

Diximus quidem & demonstravimus id ad mani-

manifestationem Gloriæ Dei maxime facere, si Compensationis æquivalentiam substituat ; inde tamen non sequitur, quod substitutio illa respectu omnium hominum locum habere debeat, quoniam Deus in operibus suis rationem habet omnium suorum Attributorum, per consequens hic etiam Justitiæ Vindicativæ ipsi essentialis rationem habeat oportet, illamque erga nonnullos exerceat.

§. CMXXXVI.

Tertio quæritur, an, cum Deus velit per Compensationem æquivalentem hominem liberare, necessarium sit, ut id homini revelet, (§. 919.)? & Modum quo hoc fit ipsi patefaciat? Affirmativum ita probabimus, ut cum Revelationis utilitatem, tum ejus necessitatem demonstremus.

§. CMXXXVII.

Cum modus Salvationis homini ignotus sit (§. 910 - - 914.), & propterea homo inter spem & metum anxius manere deberet, an modus aliquis supersit, quo liberari & in pristinum statum perfectionis & Communionis cum Deo restitui queat? Hinc Modi hujus Revelatio, & quod penes Deum statutum sit Medium illud & modum liberationis hominis exequi, tam utilis est homini, ac ipsi utile est verum solatium accipere & firmam Liberationis spem complecti, & medium scire, quo apud Deum in gratiam redire possit.

§. CMXXXVIII.

Et cum homo ex statu imperfecto, qui, ex demonstratis, cum perpetua miseria conjunctus est, per hoc medium iterum transeat in statum

perfectum, hinc ipsius illud nosse tantum interest, quantum alicujus interest scire, se ex statu miserrimo translatum iri in statum perfectissimum.

§. CMXXXIX.

Quia Modus, quo peccator salvandus est, est Mysterium, propterea si homo illud scire debet Revelatione opus habet (§. 928.): E. Homo, nisi reveletur, illud scire non potest.

§. CMXL.

Quæstio ergo de Necessitate Revelationis huc redit, an necesse sit, ut homo Modum sive Medium Salvationis suæ noscat? ut si demonstratum sit, opus esse, ut homo illud sciat, aliter vero quam per Revelationem sciri nequeat (§. 939.), etiam Revelationis necessitas demonstrata sit.

Hactenus nimirum nihil aliud demonstravimus, quam Modum, quo Violatio Legis per æquivalentiam compensationis compensatur & illi satisfit, Intellectui finito esse natura incognitum; adeoque non aliter quam per Revelationem patefieri posse; cum à priori nulla Creatura intelligens finita, qualis homo est, scire queat, quomodo illud comparatum esse debeat, cum in illo respectus habendus sit omnium divinorum Attributorum & perfectionis totius Universi; sed propterea Revelationis necessitas nondum satis demonstrata est, nam etsi homo medium illud sine Revelatione scire nequeat, tamen nondum constat, an ejus cognitio illi necessaria sit, neque etiam ex utilitate cognitionis illius (§. 937. 938.) ad ejus necessitatem argumentari possumus.

§. CMXLI.

Duo autem præcipue sunt fontes, ex quibus necessitas cognitionis illius, adeoque etiam Revelationis necessitas (§. 940.) demonstrari potest:

teſt: nimirum vel ex Religionis neceſſitate ejusque natura, vel ex modo, quo Deus cum liberis Creaturis agit.

§. CMXLII.

Religionis fundamentum conſiſtit in genere in obligatione Creaturæ ad Deum, & hæc obligatio nititur dependentia Creaturarum rationalium à Deo (§. 767. 770.).

§. CMXLIII.

Religio naturalis in ſpecie eſt talis obligatio dirigendi actiones ſuas ad manifeſtationem Gloriæ Dei, & ejus Attributa ut motiva actionum ſuarum conſiderandi, quæ nititur dependentia à Deo ut Creatore & Conſervatore (§. 765. 772.).

§. CMXLIV.

Homo ad Religionem illam ſemper obligatus eſt (§. 782.); etſi illam ſervare amplius non poſſit (§. 783.).

§. CMXLV.

Homo poſtquam peccatum commiſit, Actiones ſuas non amplius poteſt dirigere ita, ut iis manifeſtetur Gloria Dei, & ut divinis Attributis non contrarientur (§. 871. 878.): Cum vero Religio naturalis hoc poſtulet (§. 771.); E. homo peccator Religionem illam amplius ſervare non poteſt.

§. CMXLVI.

Homo Religionem naturalem poſt peccatum commiſſum ſervare non poteſt (§. 945.), Ideo etiam nec promiſſiones ejus ſervationi annexas, nempe promotionem perfectionis ſtatus ſui (§. 817.) per illam obtinere poteſt.

Cum

§. CMXLVII.

Cum ergo homo per Religionem naturalem, licet semper ad ejus observationem obstrictus sit (§. 944.), salvari non possit, propterea alia opus est Religione, per quam homini salus conferatur, quæ Religio Peccatoris est.

§. CMXLVIII.

Liberatio hominis à solo Deo exspectanda (§. 918.), & Deus hoc facere vult (§. 925.): Hinc homo liberandus in hoc negotio à Deo dependet.

§. CMXLIX.

Ex hac dependentia nova oritur obligatio ad Deum ceu Liberatorem suum agnoscendum, & ad ea præstanda, quæ ad restitutionem hominis factu opus sunt, & à Deo præcipiuntur, tanquam Peccatoris restituendi Domino.

§. CML.

Per obligationem illam actiones suas non pro arbitrio suo, sed secundum Voluntatem Liberatoris, à quo homo in recuperanda salute totus dependet, dirigendi, sive faciendi ea, quæ Deus qua Liberator homini præcipit in negotio Salutis, sive præstandi officia, quæ homo Deo ut Liberatori suo debet, quæ simul ad propriam Salutem tendunt, vocamus Religionem Peccatoris.

Plura continentur in hac definitione, quam hactenus demonstrata sunt, cum nempe mentionem facimus Præceptorum Dei ceu Liberatoris, qualia extare nondum probatum est; sed definitionem hanc recte se habere demum ex sequentibus patebit, quando necessitatem demonstrabimus, ut talia præcepta existant.

Uti

§. CMLI.

Uti ergo Religionis naturalis fundamentum est dependentia à Deo ut Creatore & Conservatore (§. 772.), ita Religionis Peccatoris fundamentum est dependentia hominis à Deo ceu Liberatore.

§. CMLII.

E. homo peccator duplicem Relationem ad Deum habet, nempe ut ad Creatorem & Conservatorem suum, & propterea obligatus est ad Religionem naturalem; deinde ad Deum ut Liberatorem, & inde oritur obligatio ad Religionem, quam peccatoris appellamus.

§. CMLIII.

Cum dependentia Hominis à Deo ut Liberatore hominem Deo ut tali obliget, hoc est, faciat ut actiones suas, non pro suo arbitrio, sed Liberatoris sui dirigere obstrictus sit, hinc obligatio illa non potest esse sine officiis: Omnis enim obligatio semper includit certa officia.

§. CMLIV.

Liquet hominem per Religionem Peccatoris obligari ad certa officia præstanda.

§. CMLV.

Cum homo salvandus à Deo ut Liberatore dependeat, & propterea Actiones suas secundum ejus arbitrium dirigere debeat, & ad certa officia obligatus sit (§. 953. 954.), sequitur, officia illa homini nota esse debere, alias ad illorum observationem obligari non posset.

Uti

§. CMLVI.

Uti ſecundum Religionem Naturalem Actiones dirigendæ ſunt ad manifeſtationem Gloriæ Dei Creatoris & Conſervatoris, & Attributa, quæ ut talis de ſe manifeſtat, tanquam actionum motiva conſideranda ſunt, & actiones ad propriam perfectionem tendere debent ; Religio autem Peccatoris ſit alia ad Deum relatio ſive acceſſio novæ obligationis (§. 952.), nempe erga Deum ut Liberatorem: Sequitur officia, quæ Religio Peccatoris præſcribit, in genere in hoc conſiſtere, ut actiones dirigantur ad manifeſtationem Gloriæ Dei Liberatoris, & ut Attributa, quæ ut talis de ſe manifeſtat, actionum ſuarum motiva conſiderentur, & actiones tendant ad propriam perfectionem ſive ſalutem.

§. CMLVII.

Uti autem in Religione Naturali actiones ſuas ad manifeſtationem Gloriæ Dei, & ad propriam perfectionem dirigere unum idemque eſt (§. 813.) ; ita hauddubie in Religione Peccatoris directio actionum ad Glorificationem Liberatoris, & ad propriam Salutem unum idemque eſt.

§. CMLVIII.

Homo Peccator actiones ſuas ad promotionem propriæ Salutis dirigere nequit, niſi modum ſciat quo ſalvari, hoc eſt, propria ſalus recuperari poteſt ; modus autem ille, quo id fiat, natura notus eſſe nequit (§. 883. 884.) : Ergo etiam Peccatori notum non eſt, quomodo actionibus ſuis propriam Salutem promovere (§. 957.), adeoque officia Relationis ſuæ præſtare poſſit.

Cum

§. CMLIX.

Cum tamen ad illa officia præstanda obligatus sit (§. 954.), ad id autem, quod ignotum est, nemo obligatur (§. 955.), neque officia illa natura nota esse possunt (§. 939. 958.): Sequitur illa alio modo patefieri debere.

§. CMLX.

Quoniam itaque ex principiis Rationis officia illa, in Religione Peccatoris præstanda, constare nequeunt, necessum est, ut illa revelentur.

§. CMLXI.

Quam necessarium ergo est, ut homo officia illa Religionis Peccatoris sciat, ad quæ præstanda obligatus est (§. 954. 955.), tam necessaria etiam Revelatio est.

§. CMLXII.

Quoniam itaque probatum est, necessum esse, ut homo Peccator modum sciat, quo cum propria Salute ad Dei Liberatoris Glorificationem vivere queat, etiam Revelationis necessitas probata est (§. 940.).

Summa ergo argumentationis nostræ huc redit, Homo ex statu suo moraliter & physice imperfecto liberandus in hoc negotio totus à Deo dependet; ex hac autem dependentia oritur nova obligatio erga Deum, propterea etiam nova Religio. Illa obligatio seu Religio necessario comprehendit certa officia ab homine præstanda; qualia autem illa sint, & quomodo præstari queant, ex principiis Rationis non constat; necessum tamen est, ut homo illa sciat, quia ad illa præstanda obligatus est, necessarium itaque est, ut illa revelentur. Aut ergo Deus vult, ut homo Peccator in negotio restitutionis in priorem statum perfectionis vivat à se independenter, adeoque sine obligatione

tione erga Deum Liberatorem & sine illa Religione quæ peccatoris est, aut ipsi modum manifestat, quomodo cum propria Salute ad Liberatoris sui Gloriam esse queat; prius est absurdum, oportet ergo Deus Peccatori modum illum & novæ obligationis officia revelet.

§. CMLXIII.

Porro necessitas Revelationis demonstrari potest ex modo, quo Deus cum Creaturis intelligentibus, & consequenter liberis, agere solet: nempe ita:

§. CMLXIV.

Homini competit Libertas (§. 731.): E. Deus, qui ipsi Libertatem dedit, etiam Libertati illi convenienter cum illo agit.

§. CMLXV.

Cum Deus Libertati illi convenienter cum homine agat, sequitur hominem in actionibus suis liberum esse; Cum vero Libertas consistat in spontanea determinatione ad alterutrum oppositorum (§. 725. 730.): Hinc Deus ita cum homine agit, ut homo se in actionibus suis spontanee ad alterutrum oppositorum determinare possit.

§. CMLXVI.

Penes Deum Medium paratum est, quo homo ex statu imperfecto iterum in statum perfectum restitui potest; Deus vero ita cum homine agit, ut in actionibus suis spontanee se ad alterutrum oppositorum determinare possit (§. 965.): E. etiam hoc in casu ita cum homine agit, ut spontanee se determinet ad Medium illud paratum vel amplectendum vel non amplectendum.

Ad

§. CMLXVII.

Ad Medium illud amplectendum autem homo se determinare non potest, nisi ipsi notum sit, cum Voluntas sequatur Intellectum (§. 721.), & id quod Intellectui ignotum est vel non ut bonum repræsentatur, etiam Voluntas appetere nequeat, & sine Intellectu nulla Libertas locum habeat: consequitur hominem Medium illud libere amplecti non posse, si ipsi ignotum est.

§. CMLXVIII.

Quoniam autem Deus cum homine ita agit, ut Libertas spontaneæ determinationis in actionibus ejus locum habeat, (§. 966.), spontanea autem determinatio sequatur Intellectum (§. 967.): Sequitur Medium illud redeundi in pristinum statum homini notum esse debere, sive Intellectui ut bonum repræsentari.

§. CMLXIX.

Cum vero homo medium illud sine Revelatione scire nequeat (§. 939.); illo autem ignoto spontanee se determinare non possit, adeoque nec libere agere, hinc Medium illud ipsi revelari debet.

§. CMLXX.

Quando ergo homo Medium illud non ut bonum amplectitur, id ex abusu Libertatis oritur.

§. CMLXXI.

Unde si perit, propria culpa perit, quia Libertas ejus non fuit determinata iis rationibus, quibus determinari debuisset, & se ad alterum oppositorum Voluntas determinavit.

§. CMLXXII.

Ad Pœnam requiritur, ut Creatura rationalis conſcia ſit, ſe illam promeruiſſe (§. 572.), nec minus ad Bonitatem actionis moralem aut ejus Vitioſitatem requiritur actionis Libertas: Si autem homini Medium illud Salutem recuperandi ignotum eſſet, etiam ſpontanee ſe ad illud amplectendum determinare non poſſet, neque etiam Pœna ſe dignum eſſe ſibi conſcius foret, ſi illud negligeret, adeoque nec puniri poſſet propterea: E. nec Pœna dignus eſſet, niſi illud ipſi reveletur.

§. CMLXXIII.

Summa autem demonſtrationis in hoc conſiſtit; Deus vult, ut homo qua creatura rationalis libere agat, & determinatio actionis ſit ſpontanea, ut actio fiat vel moraliter bona vel mala; id autem fieri non poteſt, niſi homini patefiat ad quid ſe determinare debeat: Cum vero Medium ſalutis ipſi natura notum non ſit, hinc Revelatione opus eſt.

§. CMLXXIV.

Ex præcedentibus nunc demonſtrandum, quomodo Revelatio comparata eſſe debeat, vel quænam ſint ejus criteria.

§. CMLXXV.

Revelationis Criteria ſcire neceſſarium eſt, ut Revelationes ſpuriæ, quæ ab Impoſtoribus pro divinis venditantur, à vere divina diſtingui queant.

§. CMLXXVI.

Ejus autem Characteres optime ex fine patent.

Finis

§. CMLXXVII.

Finis Revelationis, uti ex præcedentibus liquet, hic est, ut homini pecatori Medium sive modum ostendat, quo cum propria salute iterum ad Dei Glorificationem esse queat:

§. CMLXXVIII.

Modus autem ille ita comparatus esse debet, ut in illo Ratio habeatur omnium divinorum Attributorum, & pulcritudinis sive perfectionis totius Universi (§. 914.), præcipue Civitatis Dei (§. 925.), & ut exacte compensat perpetuam Pœnæ ex malo morali ortæ durationem (§. 930.), & vim Universi sive Creaturarum excedat. (§. 931.).

§. CMLXXIX.

Illa ergo Revelatio vere divina est, **Quæ Homini tale Medium recuperandi Salutem ostendit, quod facit ad illustrationem omnium divinorum Attributorum, & tendit ad perfectionem totius Universi, præcipue Civitatis Dei, quodque exacte compensat omnem pœnam, quæ continua duratione ex malo morali sequuta esset, & propterea vim Universi sive Creaturarum excedit.**

Hoc unicum Criterium veræ Revelationis sufficit, neque opus est ut plura adducamus; cum enim Revelatio in hunc finem necessaria sit, satisfit si ostendatur aliquam, quæ pro divina habetur, hoc præstare, ejusque divinitas ex hoc satis apparet, neque si hoc præstat plus ab illa requiritur.

§. CMLXXX.

Si Deus homini aliquid revelat, necesse est, ut

Deus immediate in hominis anima producat ideas tales, quæ repræſentant res revelatas aut vocabulorum quibus ſignificantur, aut ut ſonum articulatum in aëre producat, aut ut in organo auditus talem motum excitet, qui rebus revelandis reſpondet. Cum vero omnes hi Revelationis modi immediate à Deo proficiſcantur, neque ex ſtatu antecedente nexus cauſſarum ſecundarum ſequantur; talis autem effectus ſit miraculum (§. 395.); E. Revelatio non poteſt fieri niſi per Miraculum.

§. CMLXXXI.

Cum ea quæ revelanda ſunt ex principiis Rationis non conſtent (§. 939. 914.), & hominis ea ſcire maxime interſit (§. 938.), patet illam talia debere in ſe continere, quæ ex principiis Rationis non conſtant, & quæ homini ſcitu ſunt neceſſaria.

Quando hoc dicimus de Revelatione in genere ſimul ſumta, non de qualibet ejus parte ſpeciali id intelligimus: & de præcipuo ejus ſcopo loquimur, fieri enim poteſt accidentaliter, ut multa in tota Revelationis ſerie ſive contextu contineantur, quæ aut ex principiis Rationis aut ex ipſa experientia nota ſunt, ſed ſæpius alius eſt illarum rerum reſpectus, ſi ex Revelatione, quam ſi tantum ex Ratione patefiant. Et Deus ſæpiſſime ad ea quæ natura nota ſunt provocat, ut homines eo magis ipſi teſtanti fidem habeant & de Veritatibus revelatis convincantur;

§. CMLXXXII.

Revelatio talia in ſe continere debet, quæ ex principiis Rationis non conſtant (§. 981.), & ex illis ſunt indemonſtrabilia; Hinc etiam conſequitur, illam talia debere in ſe continere, quæ ſunt ſupra Rationem.

Id

§. CMLXXXIII.

Id autem quod est supra Rationem, & ex principiis ejus indemonstrabile, vocatur Mysterium, cum vero Revelatio in se continere debeat quæ sunt supra Rationem, ideo continere debet Mysteria.

§. CMLXXXIV.

Mysteria continent res quæ sunt supra Rationem & ex ejus principiis indemonstrabiles (§. 983.); Consequitur ea quæ Mysteria sunt ex principiis Rationis demonstrari non posse.

Patet inde, peti non posse, ut Mysteria ex principiis Rationis demonstrentur, nam tum non essent Mysteria, nec Revelatione opus haberent, esset ergo contradictio in adjecto, si venditaremus Mysterium ex Ratione demonstratum.

§. CMLXXXV.

Contra Rationem dicitur, quod principiis Rationis contradicit.

§. CMLXXXVI.

Quicquid est contra Rationem, illud contradictionem involvit, & propterea est impossibile; Cum vero Mysteria sint supra Rationem, non sequitur eadem esse contra illam, adeoque impossibilia.

Confundenda ergo non sunt ea quæ sunt supra Rationem cum iis quæ contra eandem sunt, uti faciunt illi qui omnia Mysteria impugnant.

§. CMLXXXVII.

Ea quæ sunt contra Rationem sunt impossibilia, Mysteria autem continent res quæ sunt supra Rationem, sed propterea non quæ sunt con-

tra eandem : Consequitur Mysteria non debere in se continere impossibilia.

Apparet ex hac propositione, pro Mysterio id agnoscendum non esse, quod impossibile esse mathematice demonstrari potest, nam etsi modus ejus ex Ratione demonstrari nequeat, tamen non debet in se continere contradictoria : Dicimus autem mathematice demonstrari debere, id quod pro Mysterio habetur impossibile in se continere, ne qualiscunque probatio pro demonstratione habeatur ; neque ergo contradictio aliqua apparens statim pro vera habenda est, uti fieri solet ab illis qui Mysteria & propterea omnem etiam Religionis Christianæ Veritatem impugnant, dum contradictiones apparentes à veris non distinguunt. Duas autem Veritates, quarum altera revelata, altera vero natura nota, sibi invicem contradicere non posse, ita probat Subtiliss. CANZIUS de Usu Phil. in Theologia §. 8. cap. 1. *Quodsi ratio fidei adversa foret : tum quædam Philosophiæ Theses invicta demonstratione nixæ inimicis veluti cornibus confligerent cum Theologiæ capitibus ; possent igitur duæ Theses, sibi mutuo contradicentes, esse simul veræ. Atqui hoc prima omnis humanæ divinæque cognitionis fundamenta penitus everteret. Fieri igitur non potest, ut veritas à ratione profecta contraria sit ulli Revelationis articulo. Ex LEIBNITII* deinde *Theod. Disc. Prælim. de Conformit. Fid. cum Rat. Noviss. Edit. Tom. 1. pag. 450. §. 3.* argumentum hoc confecit Celeb. Vir. Aut ea quæ à Ratione possunt Revelationis dogmatibus obverti, invicta demonstratione nituntur, aut non ! Si prius : Veritas Veritati erit contraria : nam quicquid Demonstratione fundatur certa, Veritas est æterna, nulli obnoxia dispensationi. Si posterius autem eveniat : probabilis tantum est rationis revelationi opposita objectio. Atqui ejus generis argumenta nihil adversus fidem proficiunt. Quis enim nescit, revelationem omni Verisimilitudine superiorem esse ? *Illustr. LEIBN. l. c. § 73.* ubi contra BÆLIUM disputat, etiam asserit, si Mysterium evidenti principio contrariari manifeste deprehenderetur, non jam Mysterium obscurum, sed absurditas manifesta foret. Et paulo superius etiam negat

gat consequentiam valere, quod, cum Mysteria comprehendere non valeamus, nullam propterea eorum Ideam nos nanciſci possimus, cum differentia sit inter adæquatam rei comprehensionem & aliqualem de re conceptum, possumus aliquam rei alicujus ideam habere, licet non habeamus omnes Ideas omnium quæ illius constitutionem ingrediuntur, quod ad rei comprehensionem requiritur, & has Ideas præterea oportet esse claras, distinctas & adæquatas. Illustr. Autor rem illustrat exemplo à re ex Mundo materiali desumta dicens: Sexcenta inveniuntur in natura objecta, quorum etsi aliquid intelligamus, non ideo comprehensionem habemus. Ideas habemus aliquas radiorum Lucis, de iis condimus demonstrationes ad certum usque terminum, sed tamen semper remanet aliquid, quod nos fateri cogat, totam lucis naturam necdum à nobis esse comprehensam. Hactenus Philosophus Subtiliſſ. Si ad materiam præsentem fiat applicatio, possumus aliquem de Mysteriis habere conceptum, quantum nostri de illis scire interest; licet non omnia quæ ad illa pertinent adæquate concipiamus vel comprehendamus; unde uti in multis aliis rebus, ita etiam in his finito Intellectui nostro multa manent obscura, propter id tamen quod in re obscurum manet non negandum id quod clarum est, neque putandum aliquid contradictionem involvere & impossibile esse, si multa in illo deprehendantur quæ, hebetes Rationis nostræ oculos fugiunt; unde non facile aliquid pro contradictorio habendum, quod tantum propter ignorantiam nostram tale videtur. Judicioſiſſime de hac uti de aliis rebus sententiam suam profert *Celeb. Theologus* JOH. ALPH. TURRETTINUS *in Cogitationibus de variis Theol. capp.* §. *6. 8. 9. 10. 11. 12.* dicens: *Cum Deus, qui Revelationis Auctor est, sit etiam Auctor Rationis, fieri nequit, ut Revelatio quicquam doceat, quod Rationi adversetur. . . . Qui rationis usum damnant, eos necesse est Sententiam suam rationibus adstruere, itaque ut rationis usus damnetur, oportet rationis usum legitimum esse. Qui docent aliquid philosophice verum, Theologice vero falsum esse, perinde est ac si dicerent, idem simul esse & non esse. Quæ cum evidentissimis rationis principiis pugnant, non modo credi non debent, sed credi*

non possunt. Dantur tamen mysteria, ad quæ rationis lumen nunquam assurgere valuisset, quæque proinde sola Revelatione cognoscuntur. Multa etiam sunt, tum natura nota, tum Revelatione patefacta, quæ ut perfecte comprehendantur humani intellectus fines non sinunt. Hoc Viri acutissimi de his Judicium est. Hujus autem propositionis probatio & uberior explicatio usum suum habet infra in capitibus de Atheis, Deistis, Naturalistis, Socinianis, qui omnes Mysteria tanquam rationi contraria negant, non distinguentes inter id quod est supra & id quod est contra Rationem. *SPINOSA in Tract. Theol. Polit. COLLINUS de cogitandi Libertate*, omnia Mysteria volunt profligare, nec minus *TOLANDUS in Libro integro Christianam Religionem omnis Mysterii expertem esse voluit*, quod etiam fit à Socinianis & nonnullis Arminianis, nec minus ab omnibus iis, qui indifferentissmum aliquem Religionum stabilire tentant. Quibus accensendus sit acutissimus BÆLIUS ego judicare nolo, mox enim multa profert de fidei supra Rationem triumpho, mox vero in re seria cum omnibus suis triumphis ludere videtur; ea verba quæ ad rem præsentem maxime facere nobis videntur allegabimus; ad præcipua autem dubia suo loco respondebimus. In notis ad Articulum de Manichæis Diction. Edit. Bas. Tom. IV. p. 621. ita loquitur. *Ce qu'il faut conclure de cela est, que les Mysteres de l'Evangile etant d'un ordre surnaturel ne peuvent point, & ne doivent point etre assujettis aux regles de la lumiere naturelle. Ils ne sont pas faits pour être à l'épreuve des disputes philosophiques : Leur grandeur, leur sublimité ne leur permet pas de la subir. Il seroit contre la nature des choses qu'ils sortissent victorieux d'un tel combat : leur charactére essentiel est d'être un objet de foi & non pas un objet de science. Ils ne seroient plus des mysteres, si la raison en pouvoit resoudre toutes les difficultés, & ainsi au lieu de trouver étrange que quelqu'un avoue que la philosophie peut les attaquer, mais non pas repousser l'attaque, on devroit se scandaliser si quelqu'un disoit le contraire.*

§. CMLXXXVIII.

Revelatio talia in se debet continere, quæ alio modo,

modo, ſive ex principiis Rationis non conſtant (§. 981.), quæque ergo ex principiis Rationis demonſtrari nequeunt, talia autem dicuntur eſſe ſupra Rationem (§. 982.), & vocantur Myſteria (§. 983.), conſequitur ergo Revelationem in ſe continere debere Myſteria.

§. CMLXXXIX.

Cum Revelatio non poſſit eſſe ſine Myſteriis (§. 988.), neque ergo ſine iis concipi; patet Myſteria primum eſſe quod de Revelatione concipitur, adeoque ejus conſtituere eſſentiam.

Videmus ex his, quam abſurde faciant illi, qui ex Religione revelata omnia myſteria ut res non magni momenti ejicere volunt, uti ex. gr. facit Autor Libelli cujus ſub finem Cap. II. mentionem fecimus, de quo infra: Idem eſt ac ſi diceretur, Revelationem non eſſe revelatam; quando nimirum eſſentiam rei alicujus negamus, rem ipſam negamus; & qui Myſteria ex Revelatione eliminat, ipſum Revelationis eſſentiale negat, ipſam adeoque Revelationem. *Unde Illuſt. WOLFIUS Theol. Nat. Tom. I. §. 463. in Scholio* annotat, probe notandum eſſe, quod inter Characteres Revelationis divinæ contineantur myſteria, ut adeo abſonum ſit, ob eadem illam in dubium vocare vel prorſus impugnare velle, quemadmodum faciunt Antiſcripturarii, Religionis Chriſtianæ ac Revelatæ omnis hoſtes.

§. CMXC.

Revelatio non debet in ſe continere quæ ſunt contra Rationem (§. 987.), unde nihil in illa debet contineri, quod propoſitionibus ex principiis demonſtratis ex Ratione & Experientia contradicit.

§. CMXCI.

Et cum Deum habeat Auctorem, etiam in ipſo Revelationis contextu nulla contradictoria debent occurrere. Deus

§. CMXCII.

Deus nihil potest velle, nisi quod cum omnibus suis Attributis convenit (§. 403. 408.), consequens est, ut etiam nihil possit revelare, quod perfectionibus suis contradicit.

§. CMXCIII.

Quicquid ergo pro divina Revelatione venditatur, & aut Dei Omniscientiæ, aut Sapientiæ, sive Sanctitati & Justitiæ, etiam punitivæ, aut alii cuidam divino Attributo contradicit, non Veritas, sed Mendacium est.

§. CMXCIV.

Ex dictis etiam patet, quod, si Doctrina pro immediata Revelatione venditata per naturalem animæ facultatum usum cognosci potest, non pro divinitus revelata agnoscenda sit.

Hæc sunt, quæ cum Revelationis Criterio (§. 979.) indicato conveniunt, quæ an quadrent in Librum, quem Biblia appellamus, nunc Sectione sequente porro dispiciendum est.

Sectio XIII.

De
Libro in quo Revelatio
De
Medio humanæ Liberationis continetur.

§. CMXCV.

Probata Revelationis necessitate, & ostenso indu-

indubitato ejus Criterio, quæritur in quonam Librorum illorum, qui pro divinis venditantur, illa inveniatur?

§. CMXCVI.

Cum enim sit res maximi momenti, dum de hominis Salute agatur, dubitandum non est, Librum hunc ita debere comparatum esse, ut sese tanquam divinum hominis conscientiæ, si attendere velit, certissimis notis commendet, ut rigidissimum etiam sustinere examen, & post illud animum quietum reddere possit.

§. CMXCVII.

Et cum Deus in summum hominis bonum, benignam suam de ejus liberatione voluntatem manifestare voluerit, dubitandum non est, illum Librum in quo Revelatio hæc continetur, talibus distinxisse Characteribus, ut homo argumentis omni exceptione majoribus, firmiter persuasus esse queat, illius Divinitatem minime dubiam esse.

§. CMXCVIII.

Nec ipse Deus Verbo suo aliam ob caussam fidem haberi vult, quam propter demonstrationem ac manifestationem Veritatis ad omnem hominum conscientiam coram Deo. 2. Corr. 4, 2

§. CMXCIX.

Et postulat, ut omnia exploremus, neque inconsulto & temere aliquid credamus. 1. Thess. 5, 21

§. M.

Neque etiam ullus mortalium obligari posset, ut tantam Verbo Dei exhiberet reverentiam atque obedientiam, ut totam Vitam suam Religionem

nem secundum illud institueret, nisi notis insitis sese ut divinum commendaret.

§. MI.

Et cum Deus homini Intellectum dederit, hauddubie etiam vult ut naturæ suæ conformiter agat, neque ergo rei incognitæ cœco quodam impetu adsentiatur, ut nihil respondere possit, nisi hoc ipsi persuasum esse, quia persuasum est.

§. MII.

Tandem etiam res omnium diviniſſima omni destitueretur certitudine, si nullis aliis argumentis tueri dignitatem suam posset, quam quibus quævis vani Impostoris aut Pseudoprophetæ opinio sese defendere potest, neque ullis à mendaciis distingui posset notis.

§. MIII.

Libro autem illi, quem S. Scripturæ nomine insignimus, infallibile Revelationis divinæ Criterium optime convenire nunc nobis demonstrandum erit : illud autem extat (§. 979.).

Si prolixis nobis esse instituti nostri ratio permitteret, κατ' ὄρσιν primo nobis inquirendum esset, quinam ex illis libris, qui pro divinis venditantur, Criterium divinæ Revelationis non habeant ? & demum hoc præstito ad illum perveniendum esset, quem nos pro tali habemus, & hoc modo excellentia ejus præ omnibus cæteris maxime eluceret ; sed ad institutum nostrum sufficit ut in posteriori subsistamus.

§. MIV.

cf. I, 860

Summa totius S. Scripturæ à versu ejus primo ad ultimum usque in hoc consistit, & huc omnia tendunt, ut homini misero revelet eumque

que convincat, Jesum Christum Dei Filium per passiones suas atque perfectam obedientiam loco Peccatoris præstitam esse unicam atque perfectissimam caussam Salutis, vera fide amplectendam.

Hanc totius S. Scripturæ summam esse vidimus, nam quæcunque in illa scripta sunt, faciunt ad hujus Doctrinæ tum explicationem tum probationem; hoc est Centrum omnis Revelationis, & nihil in illa continetur quod non huc spectet; Unde BISTERFELDIUM dixisse ferunt, se non amplius lecturum S. Script. nisi in omnibus & singulis ejus versiculis inveniret Jesum. Ut autem hæc monstremus, nemo à nobis postulabit, qui Librum illum sacrum cum debita attentione & bono fine perlegit, permagnam enim Dictorum copiam allegare deberemus, de hoc enim testatus est Moses Joh. V. 46. & *omnes Prophetæ* Luc. XXIV. 27. Apoc. XIX. 10. *Et Jesus est* α & ω omnis revelatæ Sapientiæ. Apoc. XXII. 13. *& totum V. T. testatur de ipso.* Joh. V. 39. Totum autem N. T. ea quæ prædicta fuere in implemento exhibet.

§. MV.

Qui ergo hanc Veritatem negat, simul totam Revelationem ejusque necessitatem inficiatur, cum Revelatio propter illam facta sit, & sine hac Doctrina ne quidem necessaria esset.

§. MVI.

Cum unico tantum Revelationis Criterio opus sit (§. 979.), unicum etiam ad S. Script. divinitatem asserendam sufficit, ut nempe Medium Liberationis in illa ostensum exacte conveniat cum requisitis ad illud absolute necessariis (§. 977. 978.).

Reli-

Reliquos divinitatis characteres, qui à Theologis afferri solent, propterea non rejicio, sed sufficere dico, ut ostendatur, id quod Revelationis necessitatem postulat, sive id quod Revelationem necessariam facit, ita uti comparatum esse debet, exactissime in S. Script. contineri; neque plura postulari possunt quam ut fini satisfaciat, propter quem data est; Et argumentis ex fide historica depromtis vix Naturalista vel alius qui de S. Script. divinitate non admodum certus est, fidem habebit, nisi de Revelationis tum necessitate tum indole persuasus & convictus sit.

§. MVII.

Criterium autem illud, quod Revelationis esse asseruimus, S. Scripturæ convenire patet ex sequentibus : α. Ea quæ revelantur ex principiis Rationis non constant (§. 939. 914.), & ea quæ S. Script. de Medio Salutis continet (§. 1004.) ingenium humanum superant, & illa Ratio nunquam suis viribus assequi & per se intelligere potuisset. Matth. XVI. 17. 1. Cor. II. 4-10.

§. MVIII.

β. Revelatio continere debet, quæ homini scitu maxime necessaria sunt (§. 981.) : Scitu autem maxime necessarium est, quod facit S. Scripturæ summam, *Jesum nempe unicam & perfectissimam Salutis causſam esse*, unde Apostolus præter hoc nihil scire desiderat. 1. Cor. II. 2.

§. MIX.

γ. Revelatio continere debet Mysteria (§. 928. 988.), talia autem etiam S. Script. continet, dum illius summa (§. 1004.) sit Mysterium manifeste magnum, & simul columna & firmamentum veritatis revelatæ. 1. Tim. III. 15. 16.

Iterum

Iterum ex hiſce patet, nugari illos, qui quidem Revelationem ejusque neceſſitatem negare nolunt, ſed tamen Myſteria ex Religione revelata eliminanda eſſe putant; cum Revelatio & ſumma totius S. Script. nihil aliud quam Myſterium eſt, & ſi nullis opus eſſet Myſteriis, ne quidem Revelatione opus eſſet.

§. MX.

δ. Revelationis finis eſt homini Medium Liberationis oſtendere (§. 977.): Omnia autem quæ in S. Script. continentur huc tendunt (§. 1004.).

§. MXI.

ε. Medium illud ita comparatum eſſe debet, ut in illo reſpectus habeatur omnium Attributorum divinorum, neque cuiquam illorum contrarietur oportet, ſed oportet illa quam maxime illuſtret (§. 932. 979.): Sed mirum quantum Medium illud Salutis nobis in S. Script. traditum (§. 1004.) illuſtrat tum infinitam Dei *Sapientiam* 1. Cor. II. 7. quæ rerum ſeriem ratione ſtatus & actionum humanarum ita dirigere & immutare ſcivit, ut cum ſtatus hominis ſemper moraliter imperfectus & cum ſumma miſeria junctus manſiſſet (§. 826.) iterum reſtituatur, & ad finem generalem omnium rerum, hoc eſt, glorificationem Dei homo idoneus reddatur. Etiam in Eccleſiæ gubernatione illa multis modis ſeſe exhibuit. Eph. I. 10.

§. MXII.

Tum illius *Omniſcientiam*, qua omnia prædicere potuit, quæ circa hanc rem futura forent, tam in Libris Moſis ac omnibus Prophetis.

§. MXIII.

Nec minus *Omnipotentiam*, qua opus hoc perfecit

cit quod miraculum poſcebat & vires Univerſi excedebat (§. 931.): Unde ſæpius vocatur in S. Codice Deus Omniſufficiens.

§. MXIV.

Et ejus *Sanctitatem*: in hoc enim negotio & Liberationis modo ter Sanctum ſeſe exhibet: Eſ. VI. 3. & ſanctificavit ſe in Juſtitia Jeſ. V. 16. neque illius Sanctitas alio modo magis quam hoc manifeſtari potuiſſet.

§. MXV.

Et ſummam atque immutabilem ipſius *Juſtitiam*: quæ firma ſtat ſicut Montes Dei & Jus ipſius ut profunda Abyſſus. Pſal. XXXVI. 7. neque alius poteſt oſtendi modus, quo Deus ratione magis illuſtri hancce perfectionem demonſtrare potuiſſet, quam hoc, quod in S. Script. patefit, hominem peccatorem liberandi Medio.

§. MXVI.

Non minus *Veracitatem* ejus, qua in Salvatore ut legis fine omnia impleta & omnes promiſſiones factæ ſunt in ipſo ναὶ καὶ Ἀμήν. 2 Kor. 1. 20

§. MXVII.

Sed quam ſtupendo modo illuſtratur abyſſus *Miſericordiæ* ejus, qua dives propterea dicitur Eph. II. 4. ut & *Charitas* erga Creaturas ſuas. Eph. II. 4. Joh. III. 16.

§. MXVIII.

Et *Gratia*, quam in Chriſto Jeſu ſupereminenti modo exhibuit. Eph. II. 7.

§. MXIX.

Et quid magis Deo *Honori* eſſe poteſt, quam quod

quod in hoc salutis negotio, quale S. Script. illud describit, Deo OMNIA & homini NIHIL tribuitur.

§. MXX.

Et quanta hoc modo est ipsius *Gloria*, qua propter hoc opus tota terra plena dicitur. Jes. VI. 3. Inde tot acclamationes Redemtorum quibus Cœlum terraque increbescere dicuntur: Et ipsi propterea Laus, Honos & Gloria debetur.

Sed dies & verba me deficerent, si ostendere vellem, quam eximio modo tota Dei Gloria & omnes ejus Perfectiones hac hominum salvandi ratione illustrentur, sed hæc quæ diximus sufficiant, donec quis veniat, qui nobis demonstret, alium Peccatorem Salvandi modum esse posse, quo omnia Dei Attributa adhuc in majori luce ponerentur; sed hoc nullam humanam rationem præstituram plane securi esse possumus, proptereaque prolixior de hac re non ero.

§. MXXI.

5. Medium Liberationis revelatum multum contribuat oportet ad perfectionem totius Universi (§. 914.); Perfectio autem Mundi consistit in hoc, quando omnes fines speciales tendunt ad finem aliquem generalem (§. 384. 385.); Finis autem Mundi generalis est manifestatio Gloriæ Dei (§. 497.); Cum vero, per demonstrata, Medio Liberationis in S. Script. contento Gloria Dei & omnia ejus Attributa quam maxime illustrentur, hinc dubitandum non est, Medium illud salutis nostræ in S. Codice revelatum quam plurimum ad totius Universi perfectionem conferre.

De modo autem, quomodo Medium hocce Salutis toti hujus Universi nexui implicitum sit, & omnes effectus inde pendentes, nulla humana ratio ostendere

valet ; in genere quidem possumus demonstrare, omnia quæ nobis de hoc nota sunt ad Mundi finem Universalem tendere ; sed quomodo in omnibus & singulis partibus, imo in omnibus casibus & effectibus specialibus eo tendant , hoc est quod captum nostrum superat ; sed Adversariorum est, nobis ostendere contrarium. Quantum autem hoc ad pulcritudinem Civitatis Dei contribuat, hoc satis eloqui non possum ; qui enim integrum S. Codicem attente legit & intelligit, ille cum admiratione id deprehendet, & innotescet ipsi multiformis Dei Sapientia in Ecclesia sua, secundum propositum seculorum, quod fecit in Christo Jesu Domino nostro. Eph. III. 10. 11. Inde est quod magna & egregia passim prædicantur de Civitate Dei.

§. MXXII.

Cum Deus per Medium illud Liberationis, quod nobis S. Script. tradit, optimum consequatur finem, iterum patet illud Sapientiæ divinæ longe convenientissimum esse, eandemque adeo maxime illustrare.

Procul nunc hic absunto omnes Impostorum Revelationes fictitiæ ; luce enim Mentis plane privatus sit oportet, qui non stupendam in hac re inter Codicem, quem Sacrum appellamus, & Modum hominem salvandi in illo revelatum, & Pseudoprophetarum placita deprehendit differentiam ; quam mira enim Medii Liberationis in S. Script. revelati cum omnibus Attributis divinis est Harmonia ! quam mire Deus per illud glorificatur & omnis honos inde resultans ad ipsum redundat, & uti omnia ex Mari hoc ortum suum habent, ita omnia in toto hoc Negotio juxta divinum Codicem eo tendunt ! quam artificiose in ipsa hujus Medii executione, præstatione & applicatione omnia inter se conspirant & sibi invicem subordinata sunt, quam multis & sapientissimis modis hæc omnia prædicta prius & præfigurata fuerunt ! & quanta etiam in ipsa Ecclesiæ liberatæ Gubernatione elucet divina Sapientia ! Sed quantæ viceversa in Pseudoprophetarum Libris

bris inveniuntur tenebræ, quam parum ad ſummi Numinis Gloriam ibi omnia tendunt, quam parum ea quæ ibi traduntur ſumo Numine digna, ut ſuma Dei Sapientia potius iis obfuſcetur, quam illuſtretur.

§. MXXIII.

ζ. Medium Liberationis exacte compenſare debet diſſenſum per Legis violationem ortum, & exactiſſime compenſationi illi debet eſſe æquivalens, quæ fit per perpetuum malorum phyſicorum ſive Pœnæ ex Malo morali ſequentis durationem (§. 930.), Medium autem illud quod S. Script. nobis tradit (§. 1004.) hæc præſtare poteſt: Cum Perſona illa tantæ ſit dignitatis, ut Pœnam infinitam & redemtionem pretii infiniti exſolvere queat.

§. MXXIV.

η. Opus illud Vires Univerſi & omnium Creaturarum excedit (§. 931.), Eodem etiam ſeſe modo habet ratione operis Redemtionis in S. S. revelati Pſal. XLIX. 8. 9. Jer. XXX. 21.

§. MXXV.

θ. Medium hoc ab ipſo Deo ordinatum ſit oportet (§. 934.), ut illud, quod S. Script. revelat, ab ipſo Deo inſtitutum eſt. 1. Cor. I. 30.

§ MXXVI.

ι. Cum ea, quæ revelanda ſunt, ſint ſupra rationem, talia in illis comprehenduntur, quæ rationi ſunt imperſcrutabilia (§. 929.), ita ſeſe etiam habet ratione Medii quod ſacræ paginæ tradunt: Unde Rationi ſibi relictæ ſtultitia eſt, 1. Cor. I. 21 - 23. neque ea homo percipit, quæ Spiritus Dei revelat. 1. Cor. II. 14.

§. MXXVII.

x. Medium illud ita comparatum esse oportet, ut Voluntas hominis sponte ad illud amplectendum determinari possit, adeoque circa illud libere agat (§.966.) propterea que, si hoc non faciat, pœnam mereatur (§. 972.); Etiam in eo, quod S. Script. præscribit, homini Libertas relinquitur illud vel amplectendi vel non amplectendi, & propterea Pœna ipsum manet severissima si illud negligat. Joh. III. 36.

§. MXXVIII.

Character ergo Divinitatis Sacræ Scripturæ hic est: Illa Homini Peccatori tale ostendit Salutis Medium, quod nulla unquam Ratio humana viribus suis assequi aut per se intelligere potuisset (§. 1007.): quod tamen homini scitu maxime necessarium est (§. 1008.), & maximum Mysterium (§. 1009.); Quod omnia divina Attributa quammaxime illustrat (§. 1011 - - 1020.), & ad perfectionem totius Universi & pulcritudinem Civitatis Dei tendit (§. 1021.), & Sapientiæ divinæ longe convenientissimum est (§. 1022.), & dissensum per legis violationem ortum, pœnamque infinitam ex malo morali orientem exacte compensat (§. 1023.), & Vires Universi & omnium Creaturarum excedit (§. 1024.), ab ipso Deo institutum (§. 1025.), ad quod amplectendum homo sponte determinari debet (§. 1027.),

1027.), in quo tamen homini multa sunt imperscrutabilia (§. 1026.); Atqui talis Revelatio, quæ tale Medium patefacit, pro divina habenda est (§. 978. 979.): E. Sacra Scriptura divinam Revelationem continet. Q. E. D.

Hoc autem est illud Criterium, quod Sacrum Codicem ut divinum ab omnibus spuriis Revelationibus distinguit, adeoque sufficit.

§. MXXIX.

Revelatio nihil debet in se continere, quod propositionibus ex principiis Rationis demonstratis contradicit (§. 990.). E. nec S. Scriptura.

Hic etiam Modus homini sese manifestandi illumque docendi Deo homineque est dignissimus, quando ea quæ revelantur ita comparata sunt, ut in hominis conscientia testimonium inveniant, vel Rationi saltem eousque sese approbent, ut credi sine ullius certæ veritatis abnegatione queant. Veritates tamen illæ, quibus S. Script. non contradicere debet, sunt ex necessariis, non contingentibus, de posterioribus enim aliter tenendum est; nihil enim obstat quominus Deus Legem rerum contingentium, quarum ipsemet Autor est, quæ adeo ab ejus pendent arbitrio, suspendere & miracula patrare potuerit, qualia in S. Codice narrantur plurima. Si vero S. Script. necessariis veritatibus adversaretur, nemo ad illi fidem tribuendam obligari posset. *Id enim*, inquit Subtiliss. CANZIUS *de usu Philosophiæ in Theol. cap. II. §. 36. interest maxime inter genuinam spuriamque Revelationem, quod altera absurdorum alienorumque à Ratione dogmatum coargui possit: altera non item. Quod ni concesseris: Paululum admodum ipsa Muhammedanorum fides à Christianorum disciplina differet aut prorsus nihil*: Illustr. autem LEIBNITIUS *Dissert. de conformitate fidei cum ratione §. 28.* Optime monet: Objectiones ex Ratione depromtas sola verisimilitudine contentas

nihil curandas esse, cum nemo sit qui nesciat, Mysteria repugnare adparentibus : Revelationem autem nostram §. seq. ita comparatam esse asseret, ut coram ipso Rationis tribunali auctoritas ejus comprobari possit : Quo tendunt complures boni Libri de veritate Religionis evulgati, ut sunt AUGUSTINI STEUCHI, PLESSIACI MORNÆI, vel GROTII ; nam eam characteribus quibusdam debere esse insignitam, quibus falsæ Religiones carent : alias Zoroaster, Brama, Somonacodom & Mahomet parem cum Mose & Jesu Christo fidem mereri. Et §. 22. l. c. asserit : In universum igitur pronuntiari debet, cavendum nobis esse, ne Veritates necessarias atque æternas ad tuenda Mysteria deserentes, hostibus Religionis ansam exhibeamus, Religionem ac Mysteria ipsa explodendi.

§. MXXX.

Juxta (§. 991.) etiam in ipso S. Scripturæ contextu nulla contradictio occurrat oportet: Quicquid enim à Deo proficiscitur, ibi summam adesse oportet harmoniam.

Nollem vero hoc ut divinitatis characterem allegare, cum hoc in quovis libro bene scripto locum habere possit : & etiam in rebus humanis testes fide digni in omnibus conspirant.

§. MXXXI.

Cum S. Scripturæ scopus sit homini revelare Liberationis medium, in Libris autem V. & N. T. omnia ea contenta sint, quæ ad cognitionem Medii Liberationis pertinent, & cum ex his Libris plene perfecteque ad Salutem erudiri possimus 2. Tim. III. 16. neque aliquid illis desit, quod ad inveniendam Salutem adhuc necessarium est: Sequitur novis additamentis opus non esse.

§. MXXXII.

Finis Dei est per Verbum revelatum homi-

nem

nem de Medio Salutis erudire, oportet ea, quæ Liberationis medium Peccatori oſtendunt, tam clara ſint atque perſpicua, ut à quovis attento & Salutis ſuæ cupido intelligi queant, eaque quæ ad fundamentum rei pertinent minime ſint obſcura.

§. MXXXIII.

Quoniam ea quæ revelata ſunt homini ſcitu maxime ſunt neceſſaria, (alias Revelatione non opus fuiſſet:) (§. 981.) Summa vero totius Revelationis eſt Myſterium (§. 1004. 1009.), imo ejus eſſentia in Myſteriis conſiſtit (§. 989.); Patet iterum, nugari illos qui dicunt Myſteria, ut res obſcuras, ſcitu non neceſſaria eſſe, ſed illa inter ea reputant, quæ non ad ipſam S. Scripturæ eſſentiam pertinent.

§. MXXXIV.

Et Deus fine ſuo excideret, ſi abrogarentur ea quæ Revelationis eſſentiam conſtituunt; unde non pro lubitu hominum ea, quæ de Liberationis Medio in S. Codice continentur, in eſſentialia & non neceſſaria diſtinguenda ſunt.

§. MXXXV.

Deus eum in finem revelavit Verbum ſuum, ut homines de Medio conſequendæ Salutis doceret, eo minus dubitandum eſt, Providentiam divinam caviſſe, ne vel minima pars doctrinæ de Liberationis medio corrumperetur, quoniam adhuc hodiedum omnes Divinitatis characteres adſunt.

§. MXXXVI.

Et ſi hominum incuria in nonnullis exempla-

ribus variantes irrepserunt lectiones, quæ non in Doctrina de Medio humanæ liberationis occurrunt, & non magni sunt momenti, etiam pro essentialibus Verbi divini corruptelis haberi nequeunt, ut juxta Regulam Criticorum variantes lectiones non probent corruptionem Textus, sed tantummodo innuant exemplarium diversitatem.

§. MXXXVII.

Sacra Scriptura ideo pro Libro divino habenda est, quia eximias Dei & ejus Attributorum tradit ideas, Deum ubique spirat, ad Dei Gloriam omnia refert, & omnes alios libros, quod ad res divinas attinet, longissimo intervallo post se relinquit: Hinc Libri illi, qui Apocryphi dicuntur, pro divinis agnoscendi non sunt, cum multi errores ibi occurrant, qui cum divina de Liberationis medio doctrina pugnant, & qui Verbi divini Majestati dedecori sunt, taliaque dicta quæ & Veritati historicæ & revelatæ contradicunt & plane absurda sunt.

Quantum enim Majestatis? Quantum Lucis? Quantum ponderis in S. Scriptura mira simplicitate conjunctum occurrit?

§. MXXXVIII.

Et litteris consignanda Revelatio fuit, ne injuria temporum unquam ex hominum memoria oblitteraretur, aut saltem corrumperetur per successivas traditiones, & ut eo melius conferri & intelligi posset, & dissitis etiam populis eo faciliori modo communicaretur.

§. MXXXIX

Quoniam Deus eam ad homini viam ad salutem

tem patefaciendam dedit, & in illa contenta homini scitu maxime necessaria sunt (§. 981.), & ea quæ ad Liberationis Medium pertinent facile à quovis intelligi possunt (§. 1032.); Hinc nullum remanet dubium, Deum illam à quovis legi & quæ ad consequendam Salutem pertinent, intelligi velle.

§. MXL.

Unde res scitu absolute necessariæ in ea planæ sunt & faciles, omniumque captui accommodatæ. In libro autem antiquo partim hebraicis partim Græcis litteris scripto, non mirum est, si multa tunc clara, nunc vero nobis obscuriora, & à moribus nostris aliena reperiantur.

Hæc sunt verba Celeb. TURRETTINI *in Cogit. de variis Theol. Capp.* §. 47.

§. MXLI.

Revelatio nihil debet in se continere quod est contra Rationis principia (§. 990.), neque aliam ob caussam illi fides habenda, quam propter manifestationem Veritatis ad conscientiam (§. 998.), & nisi Rationi se ut divinam commendaret, homo ne quidem obligari posset ad illam pro tali agnoscendam (§. 1000.), neque cœco impetu illi adsentiendum est (§. 1001.), & illa quæ revelantur ita comparata esse debent, ut Rationi sese approbent (§. 1029. in Schol.): patet Rationis non parvum circa Revelationem usum esse.

§. MXLII.

Illa nimirum α. Veritates juxta notiones communes sive universales examinat, neque quidquam pro vero agnoscit, nisi vel ostendatur illud

ex principiis ſuis demonſtrari poſſe, vel ſaltem ut illis non contrarium ſeſe approbare ; Unde etiam convinci nequit, Veritates revelatas divinas eſſe, niſi illud externum veritatis principium ſeſe illi certis argumentis & characteribus inſitis adprobet. Primus ergo ejus uſus verſatur circa Revelationis acceptionem.

§. MXLIII.

Et quoniam Revelatio ſtylo humano eſt expreſſa, illa β. ſenſum ejus ex Regulis hermeneuticis disquirit, illumque non ex ſuis principiis infert, ſed ex Verbo revelato deducit & illum ſcrutatur & illuſtrat, ad dicentis porro ſcopum attendit.

§. MXLIV.

γ. Et cum illius ſit ratiocinari, etiam Veritatem cum Veritate confert, antecedentia cum conſequentibus, legitimas inde deducit conſequentias, Veritates etiam in Verbo revelato detectas in Syſtema redigit, & errores veritati revelatæ oppoſitos ex veritate refutat, illamque ad conſcientiam hominum demonſtrat.

§. MXLV.

δ. Tandem quia Ratio novit, Deum infinite plura revelare poſſe quam per Rationem nota ſunt, Myſteria eam ob cauſſam, quod ex Rationis principiis demonſtrari nequeant, neque ſecundum Rationis principia ut normam examinari poſſint, non rejicit, ſed ipſi ſufficit, illa principiis ſuis non contrariari, & propterea de Revelationis neceſſitate convicta etiam de Myſteriorum neceſſitate facile convincitur.

Vide

Vide de hoc *LEIBNITII Discursum Praliminarem Theod.* Ut & suæ Rev. atque Celeb. J. C. KIRCHMEJERI *Dissert.* quæ in fascic. Diss. XIX. est. Ut & Celeb. CANZII *de usu Phil. Cap. I. & II.*

§. MXLVI.

Veritates ex S. Scriptura demonstratæ, & in ordinem Systematicum dispositæ vocantur Theologia revelata: Illa ergo, cum ex S. Script. deprompta sit, nititur hoc principio: Quicquid S. Script. asserit de Deo rebusque divinis, illud verum est; licet illius rationem assequi non semper valeamus.

Sectio XIV.

De

Religione Peccatoris in Genere.

§. MXLVII.

Fundamentum Religionis est illa hominis ad Deum relatio, qua homo totus à Deo dependet, & propterea obligatus est ad actiones suas non pro arbitrio suo, sed secundum Voluntatem Dei ad ejus Gloriam & propriam Salutem dirigendas.

§. MXLVIII.

Ex hactenus demonstratis autem patet, alium modum esse salvandi Peccatorem, quam vero Hominem integrum, aliud propterea est fundamentum Religionis hominis peccatoris, quam hominis integri. Prior *Revelata* vocatur, altera *Naturalis*.

Cum

§. MXLIX.

Cum vero homo qua Creatura Dei ad Religionem naturalem semper obligatus sit (§. 783.), postquam autem peccavit alia Religione opus sit: Hinc patet, ambas has Religiones in homine qua Creatura Dei & simul Peccatore concurrere.

§. ML.

Unde Religio revelata sive Peccatoris accessorium quasi est ad Religionem naturalem.

§. MLI.

Religionis Naturalis fundamentum est Creatio & Conservatio cum Gubernatione hominis ab hoc divino actu pendentis & inde nascens summa ὑπεροχὴ : adeo ut Veritas illius primaria & quasi fundamentalissima sit, *à Deo Creatore & Conservatore omnia dependent, ergo etiam omnia debent esse ad Eum, nempe Gloriam ipsius tanquam finem ultimum* (§. 768.).

§. MLII.

Fundamentum autem Religionis Peccatoris est dependentia ejus à Deo Salvatore.

§. MLIII.

Nova ergo inter Deum & hominem intercedit Relatio.

§. MLIV.

Et præcipua atque capitalis Veritas, quam peccator credere tenetur, hæc est: Se à Salvatore Jesu Christo tanquam unica atque perfectissima caussa salutis in hoc Negotio totum dependere.

§. MLV.

Ad hanc enim Veritatem revelandam, explicanc-

candam & Peccatori inculcandam revelatione opus fuit (§. 979. 1004. 1005.), & hæc ipsius scopus est ; unde etiam omnia S. Scripturæ dogmata ad hanc Veritatem patefaciendam vel confirmandam vel illustrandam concurrunt.

§. MLVI.

Omnia etiam ab Homine Peccatore cognoscenda, credenda & facienda ex hac Veritate deduci possunt.

§. MLVII.

Cum Peccator in negotio Salutis totus à Deo Salvatore dependeat (§. 1052.), sequitur hominem obligatum esse ad actiones suas propter dependentiam illam non pro arbitrio suo, sed secundum Voluntatem Dei Salvatoris sui dirigendas.

§. MLVIII.

Hinc ex Redemtione illa per Christum facta nova hominis erga Deum nascitur Obligatio.

§. MLIX.

Ex hac Obligatione officia quædam à Peccatore observanda fluunt, eodem modo ac illa quæ ex Obligatione hominis qua Creaturæ erga Deum in Religione naturali fluunt.

§. MLX.

Quæ officia summatim hæc sunt, ut actiones suas dirigat ad manifestationem Gloriæ Dei Salvatoris sui ; ut Attributa, quæ Deus in toto salutis negotio manifestat, consideret tanquam actionum suarum motiva ; ut tandem in his quærat propriam perfectionem sive Salutem.

Patet

§. MLXI.

Patet α. ex his, quænam sit differentia inter officia Religionis naturalis & revelatæ; in priori nempe actionum motiva desumuntur ab Attributis divinis in Creatione & Conservatione manifestatis: in posteriori vero motiva ex Redemtionis opere & Attributis Dei ibi revelatis depromuntur.

§. MLXII.

Id facimus quando, in eo, qui est unica atque perfectissima Salutis nostræ caussa, nempe Filio Dei in carne manifestato, totam divinam Gloriam in ipso elucentem admiramur, ipsum propterea adoramus, & propter immensam ejus Bonitatem nobis exhibitam amamus, atque in omnibus actionibus nostris à nutu benignissimi Salvatoris nostri nos dependere ostendimus.

§. MLXIII.

β. Apparet quænam sit vera Religionis Peccatoris ratio: Illa nempe consistit in obligatione hominis peccatoris, qua tenetur ex pio assensu in testimonium Dei de Salute olim per Christum paranda, nunc vero parata, cum abnegatione proprii arbitrii sive voluntatis, sese ei salvandum committere, actionesque suas ad ejus Gloriam dirigere & in hoc propriam Salutem quærere.

§. MLXIV.

Cum in hoc, uti suo loco videbimus, vera Fides consistat, hinc patet: Religionem peccatoris & fidem salvificam nonnisi modo differre, quatenus nempe Fides studium est faciendi ea quæ Religio Peccatoris præscribit & ad quæ Peccator obli-

obligatus est : Religio nempe dicit Jesum Christum esse unicum ac perfectissimum Liberatorem; Fides vero ejus communionem quærit, sive studet in illo inveniri.

§. MLXV.

Fides ergo consistit in studio sincere faciendi ea, ad quæ Peccator per Religionem revelatam obligatus est. *Religio* autem consistit in obligatione ad illa officia præstanda. *Theologia* tandem est Doctrina de Religione illa : Unde est quod tria hæc vocabula sæpe confunduntur & unum alterius loco usurpatur. Religio vero illa vocatur Christiana, cum Doctrina de Salute per Christum parata, adeoque ipse Christus, sit ejus fundamentum.

§. MLXVI.

Ex his nunc sequentia hujus Religionis deducimus Criteria, quæ ex dictis immediate fluunt. α. Cum hæc Religio, sive objectum Religionis sit revelatum, Revelatio autem illa tota in S. S. contineatur (§. 1031.), illa ergo Religionis hujus unicum sit principium ; Hinc Religio exacte cum illis quæ in S. S. traduntur convenire debet, neque quidquam illis addendum vel detrahendum vel mutandum.

§. MLXVII.

β. Oportet fini suo satisfaciat, ut nempe peccatori veram rectamque & Sapientia Dei dignissimam viam ostendat, qua ex calamitatibus suis evadere & veram felicitatem consequi potest, hoc est, cum propria Salute esse ad Dei glorificationem.

§. MLXVIII.

γ. Cum primaria Revelationis Veritas sit : Jesum

sum Christum esse unicam atque perfectissimam Salutis Peccatoris caussam (§. 1004.), quod ipsum etiam Revelationis finis & necessitas probat; hæc adeo sit veritas maxime fundamentalis (§. 1054. 1055.): Hinc porro patet in vera Religione Veritatem hanc manere inconcussam atque intactam, hæc enim quando evertitur, simul omnis revelata Religio perit.

§. MLXVIII.

δ. Cum homo in hoc negotio totus à Deo Salvatore suo dependeat, nam si homo ipsemet se salvare posset, Revelatione non opus fuisset; Hinc Religio Christiana homini *nihil*, Deo *omnia* tribuit, sive hominem maxime deprimit, Deum exaltat.

§. MLXIX.

ε. Oportet omnia Dei Attributa miris modis illustret, & ad amplificandam Gloriam Dei faciat (§. 1060. 1062.).

§. MLXX.

ϛ. Oportet homini officia, ad quæ per Religionem ipsam obligatus est (§. 1059. 1060.), quam maxime inculcet, ut sit Doctrina Veritatis quæ secundum Pietatem est.

§. MLXXI.

In summa talem illa nobis debet de Deo formare conceptum, qui summo rerum Autore & benignissimo Salvatore longe dignissimus est, & commendat infinitam Dei Sapientiam, Bonitatem, Gratiam, Misericordiam atque Justitiam, purissimam etiam Sanctitatem ejus.

Ideo

§. MLXXII.

Ideo secure affirmare possum, aut nullam dari Religionem veram, quæ tamen assertio non minus divinæ Bonitati ac ejus Sapientiæ contraria esset, aut Religionem Christianam Deum maxime docentem veram esse.

§. MLXXIII.

Si vero magnæ difficultates in ipsa superstint, cogitandum est α. nullam esse Scientiam in rerum Universo, quæ non maximis prematur difficultatibus, quas propter Intellectus imbecillitatem etiam sapientissimi mortalium solvere nesciunt; Quis ergo miratur, si id fiat in Mysteriis, quæ rationem superant? & sufficit tantum de illis scire, quantum ad Salutem propriam & Dei Gloriam promovendam satis est.

§. MLXXIV.

β. Omnia Religionis Incredulorum systemata, qui aliquam agnoscunt, & ipse Scepticismus infinite pluribus difficultatibus premitur, quotcunque ratio sive sapientia carnalis subterfugia quærat, quam Christiana Religio; & quantum ipsos manet periculum si fallantur! quod illi qui per veram Religionem salvari quærunt, non habent cur metuant, licet fallerentur.

§. MLXXV.

Patet ex indubitatis veræ Religionis Criteriis, solam illam Religionem veram esse, quæ communi nomine Protestans appellatur: Illa enim 1.), dum modus peccatorem salvandi sit Mysterium, adeoque Rationem superet, & ex sola Dei Voluntate sapientissima pateat, dogmata ex solo Dei

Verbo, quod veram Revelationem in se comprehendere certissimis constat argumentis, desumit, prætermissis omnibus figmentis, quæ aut Sapientia carnalis aut dominandi libido pro Revelatione divina hominibus obtrudere vult (Crit. α. §. 1066.).

§. MLXXVI.

2.) Religio illa etiam tale homini Salutis medium ostendit, in quo conscientia acquiescere potest & verum in miseria sua solatium accipit (§. 1067.).

§. MLXXVII.

3.) Neque etiam apud quenquam alium perfectissimam Salutis caussam quam apud Dominum Jesum Mundi Salvatorem quærit, posthabitis omnibus Creaturis in cœlo & in terra (§. 1068.)

§. MLXXVIII.

4.) Hominem etiam maxime deprimit & impotentiæ convincit, Dei contra Gratiæ omnia adscribit, omnia ad illum tanquam Salutis fontem refert, & illi soli Gloriam dat, rejecta opinione de propria aliorumque justitia & meritis, adeoque homini omnem gloriandi materiam adimit.

§. MLXXIX.

5.) Et dum omnia Deo tribuit, ipsique soli pro immensis beneficiis Gloriam dat, neque illam inventis & figmentis humanis obfuscat, ejus Gloriam etiam maxime amplificat, & Attributa Dei illustrat ipsis omnia accepta referens.

§. MLXXX.

6.) Etiam officia Religionis revelatæ secundum

dum normam exactiſſimam, ſanctitatemque hominis & gratitudinem erga Deum urget quammaxime: Ut Deo Autore & benigniſſimo Salvatore digniſſima ſit.

§. MLXXXI.

Ex dictis porro patet: α. Non veram eſſe *Religionem*, quæ fingitur, *illam Communem*, in qua omnes omnium Religionum articuli manent ſalvi: Talis Religio locum habuiſſet, ſi præter naturalem nulla opus fuiſſet; demonſtrata autem neceſſitate Religionis revelatæ ſive peccatoris, ſimul etiam Religionum indifferentiſmus excluditur, Religionem enim revelatam agnoſcere & ſimul ejus neceſſitatem inficiari, eſt ſtatuere contradictoria.

§. MLXXXII.

Neque β. illa Religio vera eſſe poteſt, in qua aliud præter Verbum divinum agnoſcitur principium & in rebus fidei homines dependent ab ore Hominis, qui talem ſibi attribuit Autoritatem, quæ ſoli Deo competit, & propterea in ſummum Dei Dominium & Peccatoris ab illo dependentiam injurius eſt.

§. MLXXXIII.

γ. Nec etiam illa Religio, in qua negatur Chriſtum eſſe unicam atque perfectiſſimam cauſſam ſalutis, vera eſſe poteſt, tantum enim Gloriæ ſummi Salvatoris derogatur, quantum homini tribuitur.

Sectio XV.

De Persona Liberatoris ejusque Proprietatibus.

§. MLXXXIV.

Cum Sacræ Scripturæ finis sit homini misero medium Liberationis patefacere, hinc prima, media & ultima in illa eo tendunt, ut fini huic satisfiat, & Doctrina hæc totum illum Librum conficit.

§. MLXXXV.

Illa propterea talem nobis ostendit Personam, quæ omnia ea præstare potuit, quæ ad restitutionem Peccatoris factu opus erant & æquivalentem illam Compensationem dissensus per Legis violationem introducti exactissime exhibere potuit.

§. MLXXXVI.

Et id maxime agit, ut Peccatorem convincat, tum propter magnitudinem miseriæ, cui homo immersus est, Medium Salutis per Liberatorem hunc paratæ absolute necessarium esse; tum Personam illam unicum Salutis Autorem esse.

§. MLXXXVII.

Cum vero opus hoc sit Mysterium & vim Universi excedat, Scriptura divina nobis talem describit Liberatoris Personam, qualis ad tantum opus perficiendum requiritur, & cui similis in toto Universo non reperitur.

§. MLXXXVIII.

Talia ipsi tribuit nomina, quæ muneri & operi ejus

ejus conveniunt, ipsum mox appellans Liberatorem. Job. XIX. 25. Gen. XLVIII. 16. mox Servatorem 2. Pet. I. 11. & Salvatorem Matth. I. 21. & Christum Luc. II. 11.

§. MLXXXIX.

De illo asserit α. quod sit verus Deus. 1. Joh. V. 20. & Filius Dei. Psal. II. 7. Matth. XVII. 5. 1. Joh. V. 10.

§. MXC.

Is autem debuit esse Hominum Liberator: 1.) Ut potens esset compensationem exacte æquivalentem substituere illi, quæ fit per perpetuam successionem pœnarum ex malo morali fluentium (§. 930.).

§. MXCI.

2.) *Deus* esse debuit, ut opus perficere posset quod miraculum requirebat (§. 931.), & propterea vim Creaturarum excedebat.

§. MXCII.

3.) Ut Creaturis spiritualiter mortuis (§. 823.) vitam reddere posset, quod solius Dei Autoris vitæ opus est.

§. MXCIII.

Sacra Scriptura β. de eo dicit, quod sit *Homo*. 1. Tim. II. 5. Heb. II. 10-12. Cum enim Compensatio requiratur exacte æquivalens illi, quam homo per perpetuam Pœnæ durationem perpeti debuisset (§. 930.), æquivalens autem dici non posset, si alius quam homo æquivalentiam compensationis dissensus per legis violationem introducti præstare vellet: In æquivalentia enim requiritur, ut loco æqualis aliud æquale substituatur.

§. MXCIV.

γ. Illum hominem sanctum esse Heb. VII. 26. Si enim peccator fuisset, pro aliis solvere non potuisset.

§. MXCV.

δ. Juxta S. Scripturam Deitas cum humana natura tam arcte uniri debuit, ut unica tantum Mediatoris Persona esset 1. Tim. II. 5. Ut nempe Pœna, quam humana ejus natura perferre debuit, infiniti pretii esset, & compensaret multorum hominum supplicia, quod fieri non potuisset, nisi conditionis infinitæ excellentiæ Salvatoris persona fuisset, quæ æquaret dignitate omnes, pro quibus Pœnam sustulit, simul sumtos.

Sectio XVI.
De
Mysterio S. S. Trinitatis.

§. MXCVI.

Cum Liberator debeat esse Deus (§. 1089.), hinc paradoxum videtur humanæ Rationi, quod Deus ipse, qui unus est (§. 664.), illam compensationis æquivalentiam præstiterit, & Pœnam malo morali debitam sustulerit, adeoque Pœnam simul postulaverit & luerit, simul Liberatorem ordinans & ordinatus fuerit, simul Pœnam irrogans & illa affectus.

§. MXCVII.

Inde necessum fuit, ut aliud revelaretur Mysterium, quod hisce lucem afferret, & ex quo modus

dus intelligi posset, quo Deus Peccatoris Deus fieri posset, quod Magnum S. Sanctæ Trinitatis Mysterium est, quod viam pandit ad Mysterium Liberationis recte intelligendum & cognoscendum.

§. MXCVIII.

Patet inde, modum Liberationis cognosci non posse absque cognitione Mysterii Trinitatis: Cum vero Revelatio modi liberationis & per consequens ejus cognitio sit necessaria (§. 961.): Hinc etiam cognitio Mysterii Trinitatis est necessaria.

§. MXCIX.

Illud autem in hoc consistit: Quod in una Dei essentia sint tres personæ, sive subsistendi modi, Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui omnes tres æque de divinitate participent, si ita loqui fas est, sive eandem Essentiam divinam communem habeant,

§. MC.

Quæ tres Personæ in Negotio salutis ita operentur, ut Pater Personam summi Judicis repræsentans Satisfactionem Legis violatæ petat; Filius eam præstare suscipiat, & à Patre ad Munus istud obeundum ordinetur; Spiritus Sanctus autem satisfactionem à Patre postulatam, à Filio præstitam, redemtis applicet: Id autem fit propter Amorem Personarum erga seinvicem, quo una alterius Gloriam manifestat atque illustrat.

§. MCI.

Patet ex his, Mysterium hoc Medio Liberationis proxime conjunctum esse, & unum sine altero intelligi non posse: Cum vero cognitio

Medii Liberationis, nempe quod Jesus Christus Filius Dei sit unica & perfectissima caussa Salutis, sit maxime fundamentalis (§. 1054.); Consequitur, Doctrinam de sancto hoc Trinitatis Mysterio fundamento proximam & immediate connexam esse, adeoque ad Articulos fundamentales primi ordinis pertinere, dum prior veritas sine hac subsistere nequeat.

§. MCII.

Cum hæc Doctrina maximi sit momenti (§. præced.) à Religionis Christianæ inimicis propterea maxime impugnetur, uberius paulo in Theologia Polemica ex S. Scriptura exponenda & demonstranda est.

§. MCIII.

Licet Deus unicus sit, qualis ex principiis Rationis cognoscitur, tamen S. Scriptura nos docet, tres esse qui sint verus Deus, quorum unus dicitur Pater Matth. XXVIII. 19. alter Filius Matth. III. 17. 1. Joh. V. 20. tertius Spiritus S. Matth. III. 16. 17.

In Divinitate plures quam unam Personam existere, etiam ex Rationis Principiis haud improbabile fieri nonnulli existimant, propter summam Dei Beatitudinem, quæ hanc Personarum pluralitatem requirat: Quot vero existant, & quænam illarum ad seinvicem sit relatio atque negotium, nonnisi per Revelationem constare posse.

§. MCIV.

Ut Patris Deitatem adstruamus necessum non est, quisquis enim Dei existentiam non impugnat, quam ab initio hujus capitis demonstravimus, etiam nec Patris divinitatem negat. In S. Script.

Script. ipse Christus illum verum Deum appellat Joh. XVII. 3.

§. MCV.

Cui competit Essentia & Attributa divina sive soli Deo propria, ille hauddubie Deus est.

§. MCVI.

Essentia Dei in hoc consistit, quod sit Ens absolute necessarium & à se (§. 299. 302.), Christo autem Dei Filio competit Aseitas, eodem enim modo vitam habet in seipso ac Pater illam habet Joh. V. 26, E. est a se & ipsi competit Essentia divina & propterea Deus est.

Licet dicatur, Patrem Filio vitam hanc dedisse, inde non sequitur, Christum non Vitam habere quæ est à seipsa, sed modus tantum indicatur, quo Christus vitam illam habet quæ est à seipsa.

§. MCVII.

Sed Christo porro competunt Attributa divina, & quidem α. *Æternitas* ut Jes. IX. 6. 7. Mich. V. 1. Et jam ante Creationem omnium rerum Verbum quod ipse Deus est, existebat. Joh. I. 1. 2.

Aperta autem verborum perversio est, quando posterioris dicti verba improprie intelligenda esse Sociniani asserunt; neque enim ulla proprietatem verborum relinquendi necessitas demonstrari potest, quod πάντα vel κόσμος significet regenitos, ἐγένετο vero idem sit quod *regenerati sive renovati sunt*; ut ergo nonnisi propter hypothesin suam falsam verba hæc contorquere cogantur; & cum versibus sequentibus demum de regeneratione & renovatione spirituali mentio fiat, verba hæc non eodem sensu accipienda sunt, nisi statuere velimus, Evangelistam tautologum esse.

§. MCVIII.

β. Ipsi etiam competit *Omniscientia*, novit enim cogitationes cordium absconditas Joh. XVI. 30. Matth. IX. 4. & renes & corda scrutatur Apoc. II. 23. Et in ipso thesauri omnis cognitionis divinæ habitant Col. II. 2. 3. & testante Apostolo Petro omnia scit Joh. XXI. 17. Neque id ex Revelatione tantum, qui enim omnia scit, oportet Intellectum infinitum habeat, qui nulli creaturæ competit.

§. MCIX.

Nec minus γ. *Omnipotens* dicitur. Apoc. I. 8. & opera facit, quæ Omnipotentiam requirunt, dum sunt miracula. Joh. V. 21. 28. Phil. III. 20. 21. δ. Et etiam *Immutabilis* Heb. I. 11. 12.

§. MCX.

Illi ergo competit Essentia (§. 1106.), & Attributa divina (§. 1107. 1109.): E. Deus est (§. 1105.).

§. MCXI.

Unde etiam S. Scriptura ipsum passim Deum nominat, vocans illum nomine soli Deo proprio Jehovam Jer. XXIII. 5. 6. Nomen autem hoc Deo essentiale esse, ex ipsa ejus significatione fluit; quatenus vox hæc denotat Ens absolute necessarium, quod est à se (§. 299.), adeoque divinam Essentiam exprimit.

§. MCXII.

Etiam in multis Vet. Testamenti locis de Deo affirmatur, quod in Novo Christo tribuitur; Uti quando passim de populo Israelitico dicitur, quod contra Deum in deserto murmuraverint vel ipsum

ipsum tentaverint, id de Christo explicatur 1. Cor. X. 9. & Christo applicatur Joh. XII. 41. Quod Jesajas de Gloria Jehovæ Zebaoth asserit Esaj. VI. 1. 3. in N. Test. vocatur non tantum simpliciter Deus Joh. I. 1. 1. Tim. III. 16. sed etiam verus Deus 1. Joh. V. 20. Ut adeo Christus proprio sensu vocetur Deus, non fictitio tantum, uti ii qui magna potentia & imperio à Deo instructi sunt.

§. MCXIII.

Christo porro tribuuntur omnia opera vere divina, ut *Creatio* Joh. I. 3. Heb. I. 10. & *Conservatio* rerum omnium Heb. I. 3. Col. I. 16. 17. *Miracula* quæ sunt opera divina Joh. V. 21. 28. 29. Matth. XI. 5. & executio Medii Liberationis per totam S. Script.

§. MCXIV.

Cum vero & Miraculorum patratio (§. 399.), & Creatio (§. 681.), & propterea etiam Conservatio (§. 735.), & Liberatio (§. 918.), sint opera divina, quæ nulli Creaturæ competunt, Christo autem tribuuntur; Consequitur ipsum Deum esse.

§. MCXV.

Neque Deitatis Filii hostes quicquam juvaret, etsi dicta, quæ de Creatione prima agunt, de rerum instauratione sive Creatione secunda mystica explicarentur, cum per demonstrata illa sit opus vere divinum, adeoque miraculum, quod vires Universi & omnium creaturarum excedit (§. 918.).

Ut adeo CLERICUS sub ficto LIBERII de S. AMORE latens nomine, in *Ep. Theol.* p. 64. male operam suam

am collocaverit, quando dictum Col. I. 16. ideo de nova rerum instauratione explicat, ut argumentum pro Deitate Filii inde desumtum eludi posset.

§. MCXVI.

Etiam de Spiritu S. Scriptura Sacra nobis patefacit, quod sit illud ipsum Ens perfectissimum, quod est Pater & Filius, sed tamen alium esse à Patre & Filio asserit Joh. XIV. 16.

§. MCXVII.

Illum autem idem Ens perfectissimum esse cum Patre & Filio, ex eo demonstratur, quod habet Essentiam Dei.

§. MCXVIII.

Ipsi enim competit Intellectus infinitus, dum non tantum novit quæ hominis sunt, sed & quæ Dei sunt: Adeoque omnia cognoscibilia 1. Cor. II. 10. 11. Et habet Voluntatem operandi liberrimam & potentissimam: Adeoque divinam. 1. Cor. XII. 11. Joh. III. 8.

§. MCXIX.

Nec minus Attributa possidet vere divina, cum enim habeat Intellectum infinitum etiam *omniscius* est, dum omnia sine restrictione scrutatur, ipsa etiam profunda Dei: quæ Scientia nulli Creaturæ juxta idem effatum, sed *soli* Spiritui Dei competit.

§. MCXX.

Est etiam *Sapientissimus* Esaj. XL. 13. 14. Esaj. XI. 2. & *Omnipræsens* Psal. CXXXIX. 7. dum autem ipsi competant Attributa divina, oportet sit verus Deus.

Illi

§. MCXXI.

Illi etiam non minus ac Filio adscribuntur Opera soli Deo propria, & quidem *Creatio* Job. XXXIII. 4. Psal. XXX. 6. & *Miraculorum productio* 1. Cor. XII. 10. Unde etiam vera ejus patet Divinitas.

§. MCXXII.

Hanc ob caussam in S. Script. etiam appellatur Deus, ut Act. XXVIII. 25. coll. cum Esaj. XVII. 3 - 9. Heb. III. 7 - 10. coll. cum Psalm. XCV. 7 - 11. Act. V. 3. 4.

Ad probationem ulteriorem adhuc addi potest honos divinus ipsi exhibitus & exhibendus.

§. MCXXIII.

Deus tantum unicus est (§. 664.): Pater autem est verus Deus (§. 1104.): ut & Filius (§. 1106. 1114.): Et Spiritus S. (§. 1118 - 1122.): E. ipsis omnibus tribus competit eadem numero Essentia divina.

§. MCXXIV.

Talis autem est relatio trium harum Personarum ad seinvicem, ut essentia, quam communem habent, certas habeat proprietates, quas eadem essentia, si aliter consideretur, non habet, sed alias & distinctas.

Vide consentientem Celeb. MELCHIORIS שרש דבר Lib. II. Cap. I. §. 17. cf. Hollatt. p. 77

§. MCXXV.

De Patre nimirum dicitur, quod Filio per Generationem Psal. II. 7. dederit vitam divinam; adeoque Essentiam, quæ est Ens actuosissimum, habere in seipso, quemadmodum illam Pater habet

bet in seipso : Joh. V. 26. Unde oritur relatio Patris & Filii.

§. MCXXVI.

Cum Pater Filio Essentiam suam dederit (§. 1125.) : Hinc ambo essentiam illam habent communem, & ideo Pater Filio essentiam suam communicavisse dici potest.

§. MCXXVII.

Hinc recte dicitur, Generationem illam in communicatione Essentiæ divinæ consistere.

§. MCXXVIII.

Cum aliud sit generare, aliud generari, & prius competat Patri, posterius autem Filio (§. 1125.): Hinc patet, Patrem proprietatem habere quam Filius non habet, adeoque quoad illam à se invicem differre.

§. MCXXIX.

Quia Filius est verus Deus (§. 1110. 1114.), & ipsi competit essentia divina, quæ est à se (§. 1106.) : Hinc necessario exsistit, nec contingenter : Unde consequitur, Filium Dei non posse esse & non esse ; sed Generationem ejus esse absolute necessariam.

§. MCXXX.

Deus est Independens (§. 303.), adeoque nec nolens, nec coacte, sed volens agit, unde etiam Generatio fuit voluntaria, cum autem Generatio sit absolute necessaria (§. 1129.) : Sequitur hanc generandi voluntatem fuisse absolute necessariam.

§. MCXXXI.

Quicquid absolute necessarium est, illud est æter-

æternum (§. 304.): Cum vero Generatio Filii sit absolute necessaria (§. 1129.): Hinc etiam æterna est. Assentiente Scriptura S. Mich. V. 1.

§. MCXXXII.

Ex præcedentibus liquet, quod etsi Christus Essentiam habeat quæ est à se (§. 1106.): adeoque sit αὐτόθεος, tamen quoad modum habendi illam Essentiam est à Patre Joh. VII. 29.

§. MCXXXIII.

Pater autem non tantum habet Essentiam quæ est à seipsa, sed etiam quoad modum habendi illam habet à seipso.

§. MCXXXIV.

Unde Pater semper etiam à seipso agere legitur, Filius vero à Patre operari dicitur Joh. V. 19. 30. XIV. 10.

§. MCXXXV.

Cum Spiritus S. procedat à Patre Joh. XV. 26. Hinc licet Essentiam habeat, quæ est à seipsa (§. 1123.), tamen quoad modum habendi eam non habet à seipso.

§. MCXXXVI.

Nec à Patre solo, sed etiam à Filio illam communicatam habet, à Filio enim accipit Veritatis cognitionem Joh. XVI. 13. 14. adeoque Intellectum infinitum, & propterea Essentiam suam: & vocatur Spiritus Filii Gal. IV. 6. Phil. I. 19. & ab ipso mittitur Joh. XVI. 7.

§. MCXXXVII.

Modus autem ille, quo Spiritus S. Essentiam suam

suam habet à Patre & Filio, vocatur *Spiratio* Psal. XXXIII. 6. Joh. XXXIII. 4. 2. Thess. II. 8.

§. MCXXXVIII.

Cum etiam ipse habeat Essentiam absolute necessariam (§. 1123.), etiam absolute necessario existit, sequitur etiam ejus Spirationem esse absolute necessariam, alias Spiritus S. posset esse & non esse, adeoque esset contingens.

§. MCXXXIX.

Et quia ejus Spiratio est absolute necessaria, hinc etiam est æterna.

§. MCXL.

Ex hoc Essentiam habendi modo oritur ordo Personarum, ratione nempe subsistendi & operandi, non autem ratione perfectionis, dum omnes tres eandem numero habeant essentiam (§. 1123.), nec temporis, cum etiam Filius (§. 1131.) & Spiritus (§. 1139.) sit æternus, nec dignitatis, cum pari gaudeant essentia & etiam pari cultu afficiendi sunt: Unde non semper eodem ordine in S. Script. nominantur 2. Cor. XIII. 13. Apoc. I. 4. 5.

§. MCXLI.

Cum Pater & Filius à seinvicem differant (§. 1128.), Spiritus S. autem à Patre & Filio spiretur & Essentiam suam ab ipsis habeat (§. 1135. 1136.); Hinc in hac proprietate etiam ab illis differt: Sequitur ergo, Patrem, Filium & Spiritum S. à seinvicem esse distinctos.

§. MCXLII.

Qualis vero illa distinctio sit, ex similitudinibus

bus ex hoc Mundo desumtis illustrari nequit, alias non esset Mysterium (§. 928.).

§. MCXLIII.

Licet negari nequeat, Mysterium hoc in Libris N. Test. clarius quam in V. Test. esse revelatum; illud tamen etiam fidelibus illius temporis notum fuisse, patet non tantum ex frequenti ejus in V. Test. mentione uti Psalm. II. 7. Gen. I. 2. Psal. XXXIII. 6. Jes. XLVIII. 16. sed etiam ex eo, quod eodem quo nos salvati sunt modo, unde ipsius Liberationis medium non potuit esse ignotum, per consequens nec etiam hocce Mysterium (§. 1097. 1098.).

§. MCXLIV.

Ex dictis nunc iterum patet, quod mysterium hoc clavis sit ad verum nostræ Liberationis modum recte intelligendum, quæ cognitionem S. S. Trinitatis supponit, dum demum ex hoc Mysterio intelligi potest, quænam Salutis nostræ sit Oeconomia, quomodo Redemtor Filius Dei ipse Deus (§. 1089. 1090.) á Deo potuerit ordinari, ut satisfactionem sive compensationem præstaret, & quomodo Liberatio parata per Spiritum S. applicetur.

§. MCXLV.

Et inde etiam apparet vera Religionis peccatoris ratio, quæ obligat ad Deum non tantum ut unum, sed etiam ut Trinum colendum.

Sectio XVII.

De
Consilio S. S. Trinitatis
circa
Salutem Hominis.

§. MCXLVI.

Cum omnes tres Divinitatis Personæ in negotio salutis suum conferant (§. 1100.): Hinc non potest non maximus in hac re illarum esse consensus.

§. MCXLVII.

Unde ipsis de hac re consilium adscribitur, quo quælibet Personarum partes suas in hac re implere susceperit. Zach. VI. 13. Eph. I. 11.

§. MCXLVIII.

Et ita quidem, ut Pater à Filio petierit, ut salvandis Salutem promereretur Psal. XL. 7. 9. cum promissione peculii eorum quos redimeret Psal. II. 8. Esaj. LIII. 11.

§. MCXLIX.

Quod Filius immenso erga Patris Gloriam ductus amore Joh. XIII. 1. XVII. 4. præstare promisit. Psal. XL. 8. 9. nostramque spospondit Liberationem. Job. XXXIII. 23. 24.

§. MCL.

Pater enim, qua Legislator & Judex, has partes implere & Rëi personam subire non potuit.

§. MCLI.

Si ergo Pater Filium non habuisset, nobis post com-

commissum peccatum Salutem iterum conferre non potuisset, eo modo quo hujus Mundi perfectio & per illam manifestata Dei Gloria id requirunt. (§. 914. 1028.).

§. MCLII.

Consilium Patris & Filii de modo miseros salvandi vocatur *Electio.*

§. MCLIII.

Cum vero absque Filio salvari non potuissemus (§. 1151.): Hinc Pater absque respectu Filii ejusque consensûs ad nos redimendos nos eligere non potuisset; Unde Filius est fundamentum Electionis, & propterea in ipso electi dicimur. Eph. I. 4.

Quando Christum dico Electionis fundamentum, id non intelligo sensu Remonstrantium, quatenus ab eligendis fide apprehenditur. Vide GURTLERI Institutiones Theolog. Cap. XIII. §. 18.

§. MCLIV.

Spiritus S. in illis, quos Pater Filio redimendos dedit, & Filius à se liberandos promisit, Fidem & Sanctitatem operari suscepit 1. Pet. I. 2. 2. Thess. II. 13.

§. MCLV.

Hoc Consilium respectu infallibilis executionis vocatur *Decretum.*

§. MCLVI.

Decretum Dei distinguitur à Theologis in Universale & Particulare, per Universale intelligunt immutabilem divinæ Voluntatis determinationem de Creatione, Conservatione & Guberna-

tione totius Universi, sive res in illo comprehensæ sint coëxistentes sive successivæ.

§. MCLVII.

Per particulare autem illud intelligunt, quod respicit Liberationis medium & Salutem hominum.

§. MCLVIII.

De posteriori nunc nobis agendum, & veritas quantumpote in lucem ponenda, cum nullum Dogma sit, præter illud de S. S. Trinitate, quod magis oppugnatum fuit, ab illis etiam, qui de fundamento salutis recte sentiunt.

§. MCLIX.

Cum Deus aliquid decernit, rationem habet tum totius Universi, tum omnium suorum Attributorum (§. 432.); Hinc ad hanc Decreti partem intelligendam & comprehendendam opus esset, ut sciremus, quam quodlibet particulare Decretum relationem habeat, tum ad perfectionem totius Universi, tum ad omnia Dei Attributa.

§. MCLX.

Hoc vero Intellectum finitum superat (§. 409.), hinc etiam ratio cujuslibet Decreti particularis ab Intellectu finito perfecte intelligi nequit.

§. MCLXI.

Unde uti Decretum Dei in genere nobis imperscrutabile (§. 431.), & incomprehensibile est (§. 434.); ita non minus quælibet ejus pars sive Decretum particulare nobis incomprehensibile est.

De

§. MCLXII.

De eo, quod nobis incomprehensibile est, tantum partem cognoscimus: Cum vero etiam Decretum particulare nobis incomprehensibile sit, hinc etiam partem tantum Veritatis illius cognoscimus.

§. MCLXIII.

Hinc propter Doctrinæ sublimitatem & latitudinem, dum cum toto Universo & omnibus Dei Attributis connexa est, fieri potest, ut unus hanc, alter vero aliam Veritatis partem cognoscant; quæ diversæ sententiæ propterea, nisi aperte contradictionem involvant, statim pro contradictoriis habendæ non sunt.

§. MCLXIV.

Deus omnia unico actu decernit & Decretum nonnisi unicum numero est (§. 436.): E. omnis Decretorum excluditur ordo.

Quando omnem Decretorum divinorum excludo ordinem, id respectu actus divini intelligo, non vero respectu rerum decretarum, in quibus elegantissimus & fini ultimo consequendo convenientissimus deprehenditur ordo, qui ad Mundi perfectionem pertinet, ut unum alteri semper subordinatum sit.

§. MCLXV.

Et Deus simul finem & omnia Media ad illum tendentia unico actu ordinavit decrevitque.

Quando sæpissime de pluribus Decretis sermo fit, id non intelligendum est de actu decernendi, qui per demonstrata nonnisi unicus esse potest & aliter per Attributa divina fieri nequit; sed indicatur, quod in Mundo, qui nonnisi Ens unicum est, dentur variæ partes sibi invicem coordinatæ & subordinatæ, variæ rationes & fines speciales, qui debent resolvi in

finem aliquem ultimum ; ratione variorum illorum objectorum, quæ in Mundo occurrunt, pro nostro concipiendi modo etiam varia distinguimus Decreta, quo nihil aliud exprimitur, quam unicum Decretum varias res speciales comprehendere.

§. MCLXVI.

Deus nihil decernit nisi in relatione ad totum Universum (§. 432.) : E. etiam Decretum de hominis Salute factum est in relatione ad totum Universum.

§. MCLXVII.

Finis Generalis existentiæ hujus Mundi, in quem omnes rationes speciales resolvuntur (§. 405.) est manifestatio Gloriæ Dei, sive omnium suorum Attributorum (§. 491.) : Cum vero Decretum de Salute hominum factum sit in relatione ad totum Universum (§. 1166.) : E. etiam idem ejus finis est.

§. MCLXVIII.

Cum Deus nihil in particulari decernat (§. 420. 424.) : Sequitur in toto Universi hujus Systemate nihil à se invicem sejungendum, nec abstracte finem à mediis aut media à fine considerandâ esse, sed finem ultimum cum finibus specialibus eo tendentibus, cum omnibus Mediis & conditionibus, sub quibus omnia fiunt, simul sumtis & totum rerum nexum ad finem ultimum ducentem simul perpendere oportet : Cum Deus omnia voluerit simul & non unum sine altero.

§. MCLXIX.

Et cum Deus in Decreto de hominum Salute omnia simul ordinaverit (§. 1165.) : Hinc tota series rerum, quæ ratione hominis fiunt, etiam simul

mul consideranda est, nec in nexu Mediorum ad finem ducentium quicquam ab altero sejungendum est.

§. MCLXX.

Inutilis propterea Quæstio est, an homo in Decreto conferendæ Salutis obversatus fuerit ut creabilis & labilis? an vero ut creatus & lapsus? Tota enim rerum omnium series Deo in infinito suo Intellectu simul repræsentatur, & de omnibus etiam simul decernit; E. etiam unum non potest considerare sine altero.

Unde *Illust. WOLFIUS in Theol. Nat. Tom. I. ad* §. 712. qui agit de Potentia abutendi Libertate, in Scholio observat. „ Propter potentiam abutendi Libertate „ Theologi dicunt labilem : Unde patet, hominem „ non factum esse labilem per Decretum divinum, sed „ Deum eundem spectasse ut labilem, antequam „ ejus existentiam decerneret, seu antecedenter ad „ Decretum suum, neque ejus existentiam decrevisse „ propterea quod labilis erat. Aliæ igitur fuere ipsi „ rationes, cur decerneret existere, debere hominem, „ & cur Decretum non mutaret, etsi perpenderet „ eum posse labi.

§. MCLXXI.

Et hanc ob caussam inanis est tota lis ita dictorum Supralapsariorum, & Sublapsariorum, an Deus prius de fine quam de Mediis statuerit? & quæ de Decreti hujus objecto ab illis disputantur : Deus enim omnia unico actu intelligit & unico actu vult.

Legenda sunt, quæ Ven. atque Celeber. JOH. ROD. SALCHLINUS Prof. Theol. Catech. & Vet. Test. in Acad. Bern. habet de ita dictis Infralapsariis & Supralapsariis, in stricturis suis erudit. & solid. contra Reverendiss. PFAFFII Diss. de Formula Consensus Helv. ubi Celeb. SALCHLINUS ostendit, nullam plane inter supra- & sub-lapsarios esse differentiam.

§. MCLXXII.

Ratio Generalis, cur Deus hanc rerum ſeriem atque nexum & Mundum cum omnibus ejus partibus potius ſic quam aliter producere decreverit, hæc eſt, quod illum Fini ſuo ſic convenientiſſimum judicavit (§. 389.) : Cum vero omnes rationes ſpeciales reſolvantur in generalem (§. 387.) ; Hinc etiam in ſingulis Mundi partibus eædem rationes ſingulares obtinent, nempe major cum fine ultimo convenientia.

§. MCLXXIII.

Hinc ſi quæratur de hoc vel illo Individuo, de Petro, Paulo vel alio, cur Deus illos potius ad Gloriam, quam vero alios, deſtinaverit ? non aliter ac de univerſo Syſtemate reſponderi poteſt, nempe quia Fini divino convenientius fuit hoc vel illud Individuum eligi, quam reprobari.

§. MCLXXIV.

Ratio ergo objectiva Decreti eſt convenientia rei cum fine.

§. MCLXXV.

Cum teſtante S. Scriptura nihil, ratione bonorum ſpiritualium, hominem unum ab altero diſcernat, & nihil habeant quod non acceperint, neque propterea gloriandi cauſſam quisquam habet 1. Cor. IV. 7. neque quisquam præcellit, ſed omnes æque ſub peccato ſunt, & in eodem corruptionis luto hærent Rom. III. 9.23. XI. 32. Hinc nulla ratio particularis indicari poteſt, cur Deus hunc potius hominem ſalvare decreverit, quam vero alium : ſed in ratione generali (§. 1173. 1174.) ſubſiſtendum eſt.

Quo-

§. MCLXXVI.

Quoniam porro ipsa Fides & tota Sanctificatio Dei donum est, & ex ipso Decreto divino fluit, neque Salus tantum consummata, sed omnia in Filio donata sunt, tam bonorum impetratio, quam applicatio. Act. XIII. 48. Eph. I. 4. Eph. II. 8. Phil. I. 29. Rom. VIII. 32. Hinc Deus prævidere non potuit peccatorem creditum & bona operaturum, antequam hæc ipsi largiri decrevit.

§. MCLXXVII.

Et cum Deus omnia decernit simul (§. 1165.), etiam simul decrevit homini Gloriam & Media, nempe Fidem & Sanctimoniam vitæ, donare: Ut unum ab altero separari nequeat; sed unum involvat alterum.

§. MCLXXVIII.

Neque ergo dici potest, Deum decrevisse homini huic vel illi Salutem consummatam conferre, quia præviderit vel hunc hominem in his vel illis circumstantiis creditum, vel propter præviśa bona opera. Idem enim est ac si diceretur, Deum homini Salutem dare ideo decrevisse, quia præviderit, se illi Fidem & reliqua dona spiritualia daturum.

§. MCLXXIX.

Et cum Fides ipsa sit inchoatio æternæ Salutis Jes. LIII. 11. *coll. cum* Joh. XVII. 3. adeoque non aliquid ab illa distinctum, propterea etiam dici nequit, Deum homini consummatam Salutem decrevisse, quia decreverit ipsi conferre initium ejus; sive Deum homini ideo consummatam Salutem decrevisse, quia decreverit ipsi conferre initium ejus; sive Deum homini ideo consum-

matam Vitam dare decreviſſe, *quia* prævidit ſe illi daturum Vitæ illius initium, hoc eſt, Fidem.

§. MCLXXX.

Conſummata ſalus ſine fide non obtinetur Joh. III. 16. 18. 36. per illam autem obtinetur (l. c.): Sequitur Fidem Medium eſſe perveniendi ad conſummatam Salutem.

§. MCLXXXI.

Conditio dicitur actio aliqua, quam quis præſtare tenetur, ſi boni ab alio promiſſi vult compos fieri.

§. MCLXXXII.

Fides eſt talis actio, quam homo præſtare tenetur, ſi æternæ Salutis vult compos fieri Actor. XVI. 31. E. Fides eſt conditio ſub qua homini æterna Salus promittitur, & ſine qua illam obtinere nequit.

§. MCLXXXIII.

Ipſa Fides eſt Dei donum (§. 1176.), reſpectu hominis vero conditio: Sequitur hominem conditionem illam non propriis præſtare viribus.

§. MCLXXXIV.

Cum Deus decernat omnia unico actu (§. 436. 1165.), quicquid in tota rerum ſerie fit, Finem & omnia Media ſimul; Sequitur Decretum divinum à nulla pendere poſſe conditione extra Deum: Si enim res decreta à conditione ſuſpenſa eſt, conditio ſimul decreta eſt.

§. MCLXXXV.

Neque propterea illud diſtingui poſſe in antecedens & conſequens.

Fruſtra

§. MCLXXXVI.

Fruſtra quid fieri dicimus, quando nullo fine fit, aut quando Media ad finem, quem intendimus, non ducunt.

§. MCLXXXVII.

Quamobrem cum ſapiens agat propter finem, & Media eligat ad illum ducentia, Deus vero ſit ſapientiſſimus (§. 499.): Etiam nihil facit fruſtra.

§. MCLXXXVIII.

Cum Deus nihil faciat fruſtra, hinc etiam nulla in Decreto de hominis Salute poteſt ordinare Media, quæ non ducunt ad Finem illum quem intendit, nempe hominis Salutem.

§. MCLXXXIX.

Si vero Deus intenderet omnium & ſingulorum hominum Salutem, & propterea Media, nempe largitionem Gratiæ Univerſalis, ad finem illum obtinendum ordinaret, & tamen Finem ratione magnæ hominum partis non aſſequeretur, quem tamen univerſaliter intendit, ſequeretur Deum agere fruſtra: Quoniam talia ordinaret Media, quibus finem non obtinet: Cum vero prius falſum eſt, etiam poſterius falſum eſt.

§. MCXC.

Hinc etiam Medium Liberationis non latius patere poteſt, quam Salus hominum per illud parata & intenta.

§. MCXCI.

Hiſce nunc præmiſſis nobis veram præcipuorum Reformatæ Eccleſiæ Theologorum mentem circa Decretum particulare, reſpiciens hominis Salu-

Salutem, exponere licet, æque maxima, quantum fieri poteſt, claritate.

§. MCXCII.

Deus pro infinito ſuo Intellectu, Omniſapientia & Omnipotentia tale producere decrevit Mundi ſyſtema, quod Fini ſuo eſt convenientiſſimum:

§. MCXCIII.

Illud autem à Deo ut Ens unicum conſideratur, & omnia quæ in eo continentur Intellectui divino infinito ſimul repræſentantur:

§. MCXCIV.

Et ita comparatum eſt, ut omnes rationes particulares reſolvantur in Univerſalem; Nec quidquam in illo continetur, quod non fiat in relatione ad totum Univerſum & ad totam Dei Perfectionem, cujus manifeſtatio Finis productionis illius eſt.

§. MCXCV.

Et Deus nihil in particulari decernit, ſed in relatione ad totum Univerſum & omnia ſua Attributa: Unde non potuit non omnia ſimul decernere.

§. MCXCVI.

Cum non decrevit unum ſine altero, etiam non decernit finem ſine mediis, omnem ergo rerum ordinem, conditionem, nexum, ſeriem rerum coëxiſtentium & ſucceſſivarum, talem qualis exiſtit, ſimul ordinavit atque conſtituit.

§. MCXCVII.

Et cum omnia ſapientiſſimo modo ordinata ſunt, omnia Media etiam aſſequuntur Finem ſuum.

In

§. MCXCVIII.

In universo autem hoc omnium rerum Systemate, quod Intellectus divinus unico intuitu sibi repræsentat, & unico actu decernit, etiam continetur series eventuum omnium, qui hominem respiciunt.

§. MCXCIX.

Unde Deus etiam unico intuitu sibi repræsentavit simul cum toto Universo & omni nexu, homines in hoc terrarum orbe creabiles & labiles, creatos & lapsos ; Ex his quosdam redemtos, efficaciter vocatos, in Christum credentes, regeneratos, justificatos, sanctificatos, ad finem perseverantes & obsignatos & tandem glorificatos: Alios vero ex creabilibus illis & labilibus, creatis deinde & lapsis non redemtos, non in Christum credentes, non efficaciter vocatos, non regeneratos, non per fidem justificatos, non sanctificatos, non obsignatos, non glorificatos : Et uti totam hanc seriem unico intuitu sibi repræsentavit, sic etiam unico actu simul cum toto Universo eam producere decrevit.

§. MCC.

Unde simul dispositi de omnibus conditionibus, mediis & fine.

§. MCCI.

Cum Decretum divinum nec rerum contingentiam, nec actionum creaturarum rationalium Libertatem tollat (§. 440.) : Hinc quales Deus in hoc Mundi Systemate actiones creaturarum rationalium liberas sibi in infinito suo Intellectu repræsentavit, qui fons omnium Idearum est, tales, nempe liberas, etiam producere decrevit.

Unde

§. MCCII.

Unde homines nihilominus lubentes promtique faciunt quidquid faciunt, qua in re vera Libertatis notio conſiſtit (§. 730.): Neque in indifferentia vel ſtatu medio inter utrumque oppoſitorum (§. 730.), qualis revera cum immutabili Decreto conciliari non poſſet.

Falſus nimirum hic de Libertate conceptus magnis in materia de Prædeſtinatione erroribus anſam dedit, uti ſuo loco de Remonſtrantibus videbimus, ſi enim ſummus Libertatis gradus in ſtatu illo perfecti æquilibrii conſiſteret, tunc omnino poſt immutabile Decretum nullus amplius Libertati locus foret, id enim ſponaneitatem ad agendum requirit.

§. MCCIII.

Neceſſitas hypothetica talis eſt, vi cujus in Univerſo omnia ita contingunt, ut poſita cauſſa etiam ponatur effectus, & ad finem conſequendum neceſſaria ſunt media (§. 432.); Cum vero in ſerie negotii Salutis finis & media ex mente Reformatorum ſibi invicem ita ſint ſubordinata, ut unum non poſſit eſſe ſine altero, & per conſequens ad effectum producendum requiratur cauſſa (§. 1196 -- 1200.), & per Decretum non tollatur contingentia rerum & actionum libertas (§. 1201.): Hinc ſequitur ex mente Reformatorum, per Decretum non introduci neceſſitatem abſolutam & fatum ſtoicum, ſed omnia fieri neceſſitate hypothetica.

§. MCCIV.

Decretum Dei univerſale eſt immutabile (§. 429.), & quicquid decrevit certo futurum eſt (§. 436.), idem propterea etiam competit particulari

culari sub universali comprehenso: Firmum enim stat Dei fundamentum : 2. Tim. II. 19. Esaj. XLIX. 15. 16. Rom. IX. 11.

Cum nimirum Dei Intellectus & Sapientia infinita sit, ab æterno jam novit, quid de actionibus singulorum hominum futurum sit, neque opus est, ut expectet quid in tempore acturi sint.

§. MCCV.

Deus omnia ab æterno decrevit & nulla esse possunt Decreta temporaria (§. 425. 426.); unde male à nonnullis statuitur, Deum in tempore hominem eligere, quando credit.

§. MCCVI.

Absolutum est quicquid à nulla conditione pendet ; Cum vero Decretum divinum à nulla pendere possit conditione (§. 1184.): Hinc absolutum dicitur.

Quod tamen non ita intelligendum est, ac si in Decreto omnes conditiones excluderentur, contrarium enim (§. 1182.) & alibi probavimus ; Aliud enim est à conditione pendere, aliud conditiones & Media subordinare Fini ; prius Reformati in Decretis locum habere negant, posterius vero de iis asserunt : Unde male Ecclesiæ Reformatæ imputatur, illam tam absolutum credere Decretum, quod excluderet omnes conditiones & media, imo ipsam etiam contingentiam & creaturarum rationalium Libertatem, sed id solum statuunt, nihil fuisse extra Deum, à quo ceu conditione Decretum illius pendere potuerit.

§. MCCVII.

Cum Deus in Decreto rationem habere debeat omnium suorum Attributorum (§. 432.): Hinc etiam Justitiæ ejus vindicativæ demonstrandæ locus esse debuit : Unde Salutem non omnibus

bus conferre decrevit, sed illos statui moraliter imperfecto permittit, omnibusque inde fluentibus malis physicis, quibus homo propria culpa per libertatis abusum immergitur: quæ Decreti divini pars Reprobatio appellatur.

D. 119 159

Deum autem Malum potuisse permittere & permissionem ejus decernere, neque per Sapientiam id impedire debuisse, supra jam demonstravimus, ut & necessitatem absolutam Justitiæ vindicativæ. Quæ omnia ad difficultates circa hanc decreti divini partem orientes tollendas in animum revocanda sunt, neque putandum, Deum debuisse hominem talem creare, ut labi non potuisset: Egregie etiam verbis quidem brevissimis sed prudentissimis pronuntiat Vir Celeb. JOH. ALPH. TURRET. *in Dissert. de Variis Theol. capitibus* §. 80. 81. dicens: Non magis tenebatur Deus homines impeccabiles efficere, quam lapides omnes in animantia bruta, animantia bruta in homines, homines in angelos mutare. Bonitas Dei sejungenda non est ab ejus Sapientia cæterisque Virtutibus: Bonitas, inquis, non patiebatur hominem labilem creari; at ego regero, id voluit Sapientia. Quis ignorat vel optimum virum, si Sapientia postulet, certos bonitatis actus omittere.

§. MCCVIII.

Deus aliquid velle potest, cujus rationes nobis sunt incognitæ (§. 410.); Hinc mirum non est, si rationes particulares, cur Deus hoc vel illud decreverit, plurimum nos latent: Ad hoc enim sciendum opus est cognitione relationis cujuslibet rei ad totum Universum & omnia divina Attributa.

Sectio

Sectio XVIII.

De
Executione Decreti de Medio Salutis per Christum parando.

§. MCCIX.

Cum ab æterno à Deo Triuno constitutum fuerit, ut Christus ipse Deus & Dei Filius hominibus miseris Medium Liberationis, adeoque Salutem & Media eo ducentia compararet, compensationem Legis violatæ præstaret, & ita unica atque perfectissima Salutis caussa fieret; qui scopus totius Revelationis est: necessum fuit, tum ut ea possideat requisita, quæ Salvator Hominis habere debet, tum ut vice peccatoris ea præstaret, quæ Legis violatæ rigor ab ipso postulabat.

§. MCCX.

Homo esse debuit (§. 1093.), & humana ejus Natura cum divina arctissimo nexu conjuncta (§. 1095.); Hinc necessum fuit, ut humanam assumeret Naturam, quod magnum illud Pietatis & totius Religionis revelatæ Mysterium est: Deum nempe manifestatum esse in carne. 1. Tim. III. 16.

§. MCCXI.

Id tamen Scriptura non statim post lapsum factum fuisse asserit, sed demum sub finem quarti post Mundum conditum Millenarii.

§. MCCXII.

Neque dubitandum est, sapientissimas ob caussas peractionem operis Redemptionis & adventum Filii Dei in Carnem à Deo fuisse dilatum.

§. MCCXIII.

Non tantum enim decursu tam multi temporis necessitas ejus multo manifestior facta est, sed & fides ultimorum, hoc est nostrorum, temporum multo potest esse firmior.

Hæc quando assero, nolo dicere, veritatem revelatam successu temporis certitudinem suam pedetentim amittere, quemadmodum voluit JO. CRAIGIUS *in Theologia Christiana principiis Mathematicis*, dicens; *Ea qua propter testimonium credimus, sive illud sit divinum per revelationem, sive humanum, saltem esse probabilia; probabilitatem autem illam semper decrescere pro ratione temporis, quod effluxit inde ab ea ætate, qua vixerunt testes, quorum authoritate fides nostra nititur. Unde Religionis Christiana probabilitas non diutius duratura sit, quam ab initio sæculi hujus adhuc per 1454. annos, postea nullam amplius fore, nisi Christus adventu suo interveniret.* Sed hoc dicere volo, quod mihi quivis facile concedet, non tot nunc Irreligionariis tantaque posse esse dubia, quando non tantum memorabilis hic eventus multis modis fuit prædictus, & tot fuere testes fide digniſſimi, & tota Benigniſſimi Salvatoris historia in clariſſima luce fuit posita, quam si jam Caini tempore natus fuisset, quo tempore homines extiterunt pauciſſimi, neque etiam tunc temporis per miracula & Doctrinam occasionem habuisset totam Divinitatis suæ Majestatem revelandi, qualem postea habuit.

§. MCCXIV.

Et Deus hoc modo etiam multifariam suam in Ecclesiæ Gubernatione Sapientiam manifestare potuit. Eph. III. 10.

Et

§. MCCXV.

Et quoniam Christus Centrum est, ad quod tota Revelationis & Religionis Peccatoris peripheria tendit, ad quod omnia in Mundo spirituali sive Civitate Dei referuntur, & fons omnis in Mundo illo actuositatis est, & eundem quem Sol in hoc vortice nostro usum præstat, tum ratione lucis, tum ratione motus & activitatis reliquarum rerum ad illum pertinentium, & omnia in toto hoc Mundo spirituali ad illum tanquam communem Benefactorem & Fontem omnis Lucis & actuositatis, per consequens etiam Vitæ, respiciunt; Hinc etiam concinnum maxime fuit, ut etiam ratione temporis in Centro Mundi illius spiritualis appareret, ad quem omnes Civitatis illius consortes, alteri tantum debent retrospicere, quantum alteri prospiciunt. Quod etiam ad admirabilem Mundi Spiritualis sive Civitatis Dei Conformitatem, Harmoniam & Pulchritudinem mirum quantum confert.

Supra (§. 686.) indicavimus, Mundum universum in duas præcipue distinguendum esse partes, nempe in *aspectabilem* & *spiritualem*, qui etiam *Civitas Dei* appellatur. Inter hos duos Mundos autem sapientissima intercedit harmonia atque operum præcipuorum eventuumque conformitas; ut ea quæ in uno existunt Physice, in altero contingant Spiritualiter & Mystice; uti vero respectu nostri Sol corpus in Mundo maxime utile atque egregium, ad quod omnia religna vorticis nostri corpora specialem relationem habent, ab illo motum, lucem, calorem accipiunt; ita Christus in Mundo spirituali Solis vicem præstat, quoad omnem usum & necessitatem ejus: Et sicuti Sol Centrum Mundi hujus particularis sive vorticis nostri est; ita etiam Christus considerandus est ut Centrum Mundi spiritualis vel Civitatis Dei, præcipue in terra hac; Ideo dixi, concinnum fuisse ut etiam in Centro quasi

Mundi spiritualis in hac terra appareret ; probabile nimirum est, Civitatem Dei in hac terra tamdiu præter propter post Christi adventum duraturam ac ante illum duravit, ut adeo Christus in Centro illius Civitatis sive Mundi Mystici advenerit, ad quod Fideles ante ipsum viventes prospexerunt, illi vero qui post illum vivunt quasi retrospiciunt, quoties ea quæ olim in hac terra in Peccatoris bonum gesſit animo volvunt ; ut adeo oculi omnium fidelium omnium Temporum in Christum tanquam Centrum figantur, ita ut oculos (mentis scilicet) sibi invicem quasi obvertant, cum æque illorum oculi, qui ultra sive ante tempus apparitionis ejus vixerunt, ac illorum qui citra vel post illud vivunt eo respiciant & defixi sint : Maximam dicimus inde in Mundo spirituali oriri Harmoniam atque Conformitatem ; uti nimirum in Mundo Corporali sive visibili sapientissima observatur, tum dispositionis corporum, tum eventuum harmonia atque conformitas ; ita etiam inter Opera Mundi illius Physici & Mundi spiritualis summa reperitur harmonia, unde Theologiæ Emblematicæ fundamenta petenda sunt (§. 686.) ; sed eodem etiam modo Sapientia omnium rerum Conditoris requirit, ut etiam in ipso Mundo spirituali seorsim spectato maxima omnium operum atque eventuum perspiciatur conformitas : illa autem maxime in hoc consistit, quod Christus Centrum Mundi illius sit etiam ratione temporis adparitionis ejus ; Hinc Mundus spiritualis in duas quasi dividitur partes, quarum una ultra, altera vero citra hoc centrum exiſtit ; Hinc si adesse debet Harmonia, oportet similitudo inter partes has intercedat, ut sicuti in Mundo corporali symmetria quasi deprehenditur atque conformitas, ita etiam in Mundo spirituali sese habeat oportet : quæ conformitas, similitudo seu symmetria quasi, vel quocunque tandem nomine veniat, in hoc consistit, ut ea quæ ante Christum natum in Civitate Dei sive Mundo Creaturarum intelligentium contigerunt, similia sint illis quæ post ipsum accidunt ; adeo ut præcipua Ecclesiæ Dei fata, historiæ atque eventus similitudinem habuerint cum illis quæ post ipsum eveniunt, in Christo vero ut centro omnia quasi concurrant oportet : in ista operum

rum & eventuum Mundi spiritualis sapientissima conformitate quærendum est fundamentum totius Theologiæ typicæ, & ex Harmonia hac & similitudine tanquam fonte tota illa Doctrina derivanda est; quantum autem conformitas illa & admirabilis operum divinorum Harmonia in Mundo naturali summam Conditoris sapientiam prodit; ita non minus conformitas illa Mundi Mystici eandem quammaxime illustrat; Ex his nunc oritur divisio illa inter *Mundum Physicum* & *Mysticum*, Mysticus vero distinguitur in *Typicum* & *Antitypicum*: Si autem totum Mundum illum Mysticum in hac terra, sive totum ejus Systema & seriem unico quasi intuitu perspicere liceret propter conformitatem & Harmoniam ejus, indeque orientem admirabilem pulcritudinem, in admirationem stupendæ omnium rerum Conditoris Sapientiæ raperemur. Præjudiciis ergo imbuti sint oportet illi, qui aut totam de Typis sive de Mundi Typici & Antitypici conformitate Doctrinam rident, aut saltem tantum hanc vel illam Mundi Typici particulam Typum rerum in Mundo Antitypico gerendarum gessisse arbitrantur; sed hi nec intelligunt admirabilem totius Mundi spiritualis ad se invicem relationem, Harmoniam atque inde orientem pulcritudinem, nec divinam Sapientiam, nec quid sit rerum Nexus atque Systema! *Prius* cum plane nullam de structura atque constitutione Mundi spiritualis notionem habent, omniumque ejus partium, tum ad Centrum ejus, tum ad seinvicem harmonica relatione, alias facile deprehenderent pulcritudinem ejus sine hac consistere non posse: Si enim Civitas Dei bene ordinata harmonice est, si sic dicere fas est, regulariter constructa esse debet, requiritur ut non tantum Rex & Palatium ejus in Medio sit Apoc. XXII. 1, 2. sed ut etiam reliqua Urbis illius structura circumquaque ab hac & ab altera Palatii Regis parte Harmonica sit, ut maximus in Varietate sit consensus, ut mutua tum ad meditullium, tum ad seinvicem utriusque partis sit relatio, tum demum urbis pulcherrima prodit conformitas, quæ tamen cum grata Varietate debet esse conjuncta. Nec inquam tales *secundo* operum divinorum sapientissimam agnoscunt ordinationem & dispositionem, adeoque nec ex illa ipsam

sam Conditoris Sapientiam. Sed *tertio* malum illud præcipue inde est, quod ejusmodi homines non assueti sunt, ut integrum systema & partium ejus nexum sibi repræsentent, sed omnia abstracte tantum considerant, uti illi qui minutiis semper intenti relationem & nexum ad totum negligunt: hinc fit ut nonnulli, cum apertis Scriptorum N. Test. verbis contradicere nolunt, quidem unius vel alterius rei in Veteri Oeconomia gestæ rationem typicam admittunt, sed connexa mutilantes totum Mundi illius typici Systema tale fuisse inficiantur. Sed utrum Sapientia divina dignius sit, ut in universo Systemate admiranda sit conformitas atque totus ille Mundus spiritualis vel illa Mundi hujus mystici pars quæ fuit ante Christi adventum tota fuerit typica; An vero si statuatur tantum unam vel alteram universi systematis illius Mundi typici particulam typum gessisse, quivis nullis præjudiciis imbutus Lector judicet; posteriori enim modo totus nexus atque Harmonia operum Mundi spiritualis interrumpitur, quod Sapientiæ divinæ minime conveniens est. Sed plura hic addere instituti nostri ratio non permittit.

§. MCCXVI.

Ita per Christi adventum totus ille Mundus spiritualis in duas quasi dividitur partes, quæ licet inter se conveniant in multis, varie tamen differunt. Hujus autem differentiæ conjunctæ tamen cum eleganti conformitate consideratio ad Glorificationem Dei & multifariæ ejus Sapientiæ pertinet.

§. MCCXVII.

De ipsa autem Filii Dei in carne manifestatione ita loquitur tota S. Scriptura, ut de Veritate ejus plenissime certi esse possimus, & in certitudine illa animus noster conquiescere queat.

§. MCCXVIII.

Non tantum enim tota Scripturæ harmonia, sed

sed universus etiam Mundi spiritualis ordo id testatur.

§. MCCXIX.

Omnia enim quæ Christus, postquam in carne manifestatus est, dixit & fecit & passus est, per integrum seculorum antecedentium decursum cum ipso adventus illius modo, prædicta fuere atque hominum oculis subjecta, ut clariori modo id fieri vix potuisset.

§. MCCXX.

Primum fœcundissimumque Vaticinium continetur in promissione de Semine Mulieris Protoplastis statim post lapsum data, quæ extat. Gen. III. 15.

§. MCCXXI.

Sæpissime postea humana specie indutus in Præludium futuræ Incarnationis Patriarchis apparuit Filius Dei, cumque ipsis collocutus est:

§. MCCXXII.

Quod tum temporis necessum fuit, ut illorum temporum Spes & sequentium Fides confirmaretur.

§. MCCXXIII.

Totum deinde populum Israeliticum, modo maxime conspicuo, ex Ægypto eduxit in Terram Cananæam, per desertum Arabicum, cujus rei tam certa extant argumenta, ut dubitationi nullus locus superesse queat:

§. MCCXXIV.

Illi talem præscripsit Cultum, qui imago fuit ejus quod postea futurum erat; Quisquis enim Christum intuetur, is dubitare nequit, totum il-

lum Mosaicum cultum & rituum illorum apparatum Eum adumbrasse & sapientissimam adeo rationem habuisse.

Vix quidquam in omnibus V. Test. Libris occurrit, quod Irreligionariis tam offendiculo est, & quod magis rident, quam quod varia illa præcepta Legis Mosaicæ institutionis divinæ esse perhibeantur; sed mirum non est, absurdum illis id videri, qui nec finem omnium harum rerum, nec ergo veram illarum rationem cognoscunt, nec totum illud Systema perspectum habent, & omnium partium ad totum relationem ignorant; sed partes tantum à reliquis ad totum Systema pertinentibus & ad communem finem tendentibus abstractas considerant; mirum, inquam, inde non est, si in judiciis suis quammaxime errent & fallantur; idem nimirum ipsis accidit, quod illis, qui in hoc Universo casus & res extra nexum cum reliquis & abstracte à fine ad quem tendunt considerant, quæ propterea inutiles imo noxiæ ipsis videntur, quales ipsis non apparerent, si totum rerum ordinem atque nexum & ad finem relationem noscerent; Ita Sapientiæ carnali multa in Lege illa videntur à ratione aliena atque absurda si extra nexum suum considerentur & ad totum Systema atque finem non referantur.

§. MCCXXV.

Postquam omnia ea, quæ ad Salvatoris Personam, status & officia pertinent, per os omnium Prophetarum prædicta atque multis modis præfigurata fuerunt, ut non melius in tabula omnia ea pingi potuissent, tandem Jesus advenit & supra naturalis generationis ordinem, ne etiam peccato corrumperetur, à quo immunis esse debuit, natus est,

§. MCCXXVI.

Et simul, quod ad opus perfecti Liberatoris perficiendum maxime necessarium erat (§. 1095.)

duæ

duæ naturæ divina & humana arctiſſime conjunctæ fuere, unde Sermo Deus caro factus dicitur Joh. I. 14. & Filius Dei factus ex Muliere. Gal. IV. 4. Rom. IX. 5.

§. MCCXXVII.

Et propter Unionem illam non ſunt duo, ſed unus Salvator, unica Perſona, cui Attributa & opera utriusque naturæ adſcribuntur.

§. MCCXXVIII.

Quæ Unio conſiſtit in arctiſſima & conſtantiſſima relatione naturarum ad ſeinvicem:

§. MCCXXIX.

Qua fit, ut proprietates & operationes utriusque naturæ toti ſuppoſito, ab alterutra natura denominato, tribuantur, quod Communicatio Idiomatum appellatur:

§. MCCXXX.

Qua unione opus erat ad ea opera perficienda, in quibus ſimul divini quid & humani eſſe debebat.

§. MCCXXXI.

Se autem promiſſum Salvatorem eſſe Chriſtus exhibuit, tum tempore ſui adventus, tum genere, & loco, & modo nativitatis, & totius Vitæ curriculo, mortis, ſepulturæ & reſurrectionis circumſtantiis, & omnibus deinceps ſequentibus eventibus.

§. MCCXXXII.

Nec minus Doctrinæ ſuæ Sapientia atque Sanctitate divina, morum innocentia Regno per Doctrinam, quæ à ſapientibus hujus Mundi ſtulta

habebatur, erecto, & mirum in modum conservato; judiciis in hostes suos exercitis, quorum ipsi infensissimi Judæi ut tot veritatis hujus argumenta & monumenta hodie adhuc non interrupta serie superstant, populus plane singularis, cui anathema quasi fronti inscriptum est.

§. MCCXXXIII.

Ea autem, quæ Christus docuit de Deo ejusque virtutibus, de homine ejusque statu, & officiis erga Deum, homines, resque omnes alias, ita comparata sunt, ut conscientiæ hominis mirum in modum sese approbent; Et sermo ejus ex. gr. Joh. XIV - - - XVII. divinam plane præ se fert Majestatem, admirandam tamen simplicitatem.

§. MCCXXXIV.

Per ea autem, quæ fecit & passus est, tale Liberationis Medium præstitit, & talem compensationem dissensus per Legis violationem introducti, qualem à Peccatore requiri à priori demonstravimus (§. 1028.). Unde eum Servatorem illum divinum esse dubitari nequit.

§. MCCXXXV.

Verborum factorumque suorum innumeris etiam Miraculis Veritatem & Divinitatem probavit. Matth. XI. 5. Joh. XXI. 25.

§. MCCXXXVI.

Et postquam Doctrina Evangelica semel miraculis confirmata est, opus non est, ut ea ad finem seculorum usque semper repetantur.

Dicere nimirum solent illi, qui de Scepticismo Theologico professionem faciunt, Quare Deus nullum amplius miraculum patret? cum tamen hoc modo hominum

minum incredulitas modo multo faciliori debellaretur, quam si centum Eruditissimi Viri tot de Religionis Christianæ Veritate Libros conscribant. Sed hi non reputant α. falsum esse, quod hominum animi miraculorum patratione, nisi singularis gratia divina hominem convincat, ad fidem adducantur, quod etiam ex Miraculorum à Mose Christóque patratorum exemplo palam est; mille enim ab homine incredulo inveniuntur prætextus, quibus miraculi patrati falsitatem sibi ipsi persuadere potest: rem ipse Benignissimus Salvator in Parabola Luc. XVI. 31. ita explicat: describit nimirum ibi hominem, qui variis Voluptatibus deditus omnes, uti ejusmodi hominibus accidere solet, Fidei, Pietatis, Conscientiæque scintillas suffocaverat, qui inordinati vivendi generis communis fructus est: Sed fit, ut homo ille moriens pœnam Vitæ suæ debitam acceperit, recordatus Fratrum suorum, qui pari modo Vitam degebant & quibus ea quæ revelata extant parum certa videbantur; Unde Frater ipsorum optans, ne illis eadem quæ sibi sors contingeret, rogat Abrahamum, ut Miraculum fieret, ut nempe mortuus surgeret, ipsisque de fide revelata fidem faceret; scit nempe homo ille, quod Miraculo opus fuisset, si in vita sua converti debuisset, unde ad conversionem fratrum eodem opus esse medio concludit; sed Abrahamus ipsi demonstrat, id ut fiat impossibile simul & inutile esse: & ipsi asserit, quod illi qui nec Mosi nec Prophetis fidem habeant, adeoque quibus ordinaria Media non sufficientia sint, nec Miraculorum ope converti possint: Ita Christus, hominum profanorum animum intime perspiciens, hanc objectionem satis solvit. β. Si porro Miracula toties repeterentur ac hominis increduli convictio id requireret, illa tam communia forent, ut non tantum homines ad illa non amplius attenderent, sed tandem pro effectibus naturalibus haberent. γ. Omnis deinde fides historica evertenda est, si vetera Miracula fide digniſſima & certissima inficiari volumus. δ. Neque etiam fidei pretium suum constaret Hebr. XI. 1. si Miraculis omnia quæ credi debent confirmanda essent.

Et

§. MCCXXXVII.

Et omnium, quæ Christus fecit, testimonia adsunt fide digniſſima.

Illi, qui Veritatem Revelationis & Factorum Christi certitudinem à posteriori probare solent, utuntur argumentis à fide historica desumtis, dum argumentantur ex eo, quod multa ad rei Veritatem pertinentia ab ipsis etiam juratissimis Christi hostibus, Judæis, Gentilibus, Muhammedanis admittantur; Quod Testium ingens sit numerus, rebus de quibus testantur præsentium, & eodem loco ubi omnia patrata fuere de eis testati sunt, & eodem fere tempore quo omnia facta sunt; & testimonium suum dicere veriti non sunt, præsentibus etiam Veritatis hostibus & integris Synedriis. Ex testimoniis suis autem ne minimum temporale comodum percipere poterant, sed maximis malis propterea ipsi affligebantur; unde dubitandum non est, conscientiam ipsorum de Veritate rei fuisse convictisimam. Ex eo porro, quod ipsimet Judæi de resurrectione Christi certi erant; nec minus ex admirabili prædicationis Evangelii effectu &c. Sed omnibus his argumentis ego uti nolo, illud enim, quod ad divinitatem Revelationis & S. Scripturæ demonstrandam attuli, solum sufficere certissimus sum. Nolo tamen negare, argumentum illud, quod à Populo Judaico ad hunc usque diem superstite desumitur, omni probationis vi destitutum esse, quot enim Judæos video, tot monumenta Veritatis Historiæ Jesu Christi mihi videre videor; Populus enim est, qui sui parem in Universo terrarum orbe nec habet nec habuit unquam, Populus inter omnes gentes dispersus, nec tamen unquam cum illis mixtus; Qui Patria sua absque ulla illam recuperandi spe expulsus; Qui propterea nec in Regnum nec Rempublicam coalescere potest; Qui propriam Religionem habet, nec tamen illam secundum veram ejus rationem exercere & secundum ejus præcepta Deum colere potest; Cujus cultus ita comparatus est, qualem futurum in ipsis V. Test. Libris, quos divinos agnoscunt, prædictum est; & ipsa quoque judicia in illos talia futura, qualia erant & nunc adhucdum sunt, divina Oracula dudum indicarunt;

carunt; de modo autem, quo ſtupendum hoc in ipſos judicium exercitum eſt, dubitari nequit, cum certiſſima ejus extent documenta: ex illo autem modo, quo natio hæc exterminata quaſi fuit, collatis iis quæ in S. Script. de memorabili hoc eventu narrantur, colligere licet, non tantum graviſſimam tremendi hujus judicii fuiſſe rationem, ſed etiam fidem facit iis, quæ S. Paginæ de exterminatione populi hujus prædixere. Unicum adhuc addendum nobis eſt, homini nempe carnali nihil tam abſonum videri quam ipſam Chriſti crucem, quod nempe hoc liberationis medium ſit, quod Filius Dei Carne veſtitus ab hominibus ludibrio habitus & crucifixus ſit; Stulta hæc &, abſit blasphemia dicto, Sapientia Dei parum digna ſapientibus hujus Mundi videntur; Chriſtus ipſe hæc bene prævidit, unde beatos illos prædicat, qui non ſcandalizentur in ipſo Matth. XI. 6. & ipſe Apoſtolus Paulus paſim hæc valide inculcat, unde Chriſtum ex Libro prophetico appellans lapidem offenſionis & petram ſcandali Rom. IX. 32. 33. Et aſſerit Verbum Crucis Chriſti pereuntibus ſtultitiam eſſe, & per illam reprobari Sapientiam Sapientum, nec per Sapientiam Mundum Deum cognoſcere, & placuiſſe Deo per ſtultitiam prædicationis ſervare credentes, Chriſtum Crucifixum Judæis ſcandalum, græcis vero, ſapientiam quærentibus, ſtultitiam eſſe; neque etiam vult, ut Chriſtus evangelizetur in Sapientia verbi, ne evacuetur crux ejus 1. Cor. I. 17. 18. 19. 21. 24. Et hominem animalem non percipere ea quæ Spiritus Dei ſunt, ſtultitiam enim illi eſſe 1. Cor. II. 14. Mirum ergo non eſt, ſi hæc contingant, quæ ipſemet Chriſtus & Apoſtolus ipſe, litteris omnis generis Sapientiæ & Scientiæ verſatiſſimus, prædixit: Sed ad ejusmodi ſcrupulos animo eximendos reputanda ſunt, quæ ſupra jam ſæpius inculcavimus, nempe α. hoc eſſe Myſterium β. propterea in eo multa nobis eſſe incomprehenſibilia γ. in relatione ad omnia Dei Attributa & totum Univerſum conſiderandum eſſe δ. nec in toto Syſtemate unum ab altero eſſe ſeparandum: tandem etiam obſervandum eſt, hoc ipſum indicare, Doctrinam illam non humana Sapientia fuiſſe excogitatam, alias magis illi accommodata foret, neque tanta ſimpli-

simplicitate absque ullis phaleris atque ornatu conscripta esset.

§. MCCXXXVIII.

Cum Pœna peccati sit Mors per naturalem effectum (§. 824.), & Deus etiam Legis positivæ transgressoribus mortem omnis generis comminatus sit Gen. II. 17., & Compensatio exacte æquivalens absolute necessaria sit (§. 904. 908.): Hinc Christo etiam moriendum fuit, ut esset Salvator consummatissimus. Heb. II. 10.

§. MCCXXXIX.

Se autem talem esse demonstrare debuit Exaltatione Rom. I. 4. qua manifestavit, se Justitiæ divinæ satisfeciisse & compensationem Pœnæ æquivalentem exacte præstitisse, & sibi ut perfectissimo Salvatori regni Gratiæ & Gloriæ administrationem competere, & in hoc exaltationis statu etiam parta Beneficia applicare Eph. IV. 8. 10. 11. 12. & ad dilatationem & multiplicationem Regni sui Spiritum S. mittere potest. Joh. XVI. 7. 13. 14.

§. MCCXL.

Officium Salvatoris in hoc consistit, ut omnia ea faciat, quæ ad Peccatoris Liberationem & restitutionem in statum perfectionis necessaria sunt, sive ut Peccator cum propria Salute possit esse ad Dei Glorificationem.

§. MCCXLI.

Ad id requiritur α. ut homini Peccatori Medium Liberationis natura incognitum (§. 914.), unde vera Religionis Peccatoris ratio constat, patefaciat β. ut illud comparet, & γ. applicet.

Triplex

§. MCCXLII.

Triplex inde enascitur Munus, quatenus enim Christus Medium Liberationis revelat, vocatur PROPHETA; quatenus illud opere plenariæ Satisfactionis comparat, vocatur SACERDOS; quatenus vero illud Peccatori applicat & facit, ut ipse ad Gloriam suam vivat, REX vocatur.

§. MCCXLIII.

Apparet ex his, Sacerdotale reliquorum quasi fundamentum esse: Illo enim si nihil partum esset, per propheticum nihil potuisset annuntiari, & per regium non donari & consummari.

§. MCCXLIV.

Fundamentum Religionis peccatoris est omnimoda dependentia à Christo tanquam unica atque perfectissima caussa Salutis (§. 1052. 1054.), talis autem est per Trinum quod peragit officium (§. 1242.), hinc patet Peccatorem à Christo pendere tanquam à perfectissimo Propheta, consummatissimo Sacerdote, & Rege glorioſissimo.

§. MCCXLV.

Cum vero, per demonstrata, Revelatio unice propter Mysterium hocce necessaria fuerit, consequitur etiam Medium illud Salutis, quod revelatum est, unicum esse; cum vero Medium illud sit Christus per trinum munus suum (§. 1242.): Hinc etiam peccator à Christo unice tanquam à Propheta, Sacerdote & Rege dependet.

§. MCCXLVI.

Et quoniam dependentia est fundamentum Religionis revelatæ (§. 1052. 1054.): Hinc illi funda-

fundamentaliter errant, qui perhibent hominem ab alio præter Christum in Negotio Salutis tanquam infallibili Propheta, summo Sacerdote, & in Ecclesia Rege atque Domino dependere.

Sectio XIX.
De
Medii Liberationis Applicatione.

§. MCCXLVII.

Homini competit Libertas, quæ fluit ex ipsa animæ Essentia (§. 731.), imo illa ipsi adeo essentialis est, ut nisi homo liberam haberet Voluntatem humanam naturam exuisset; quæ Libertas etiam requiritur ad fundamentum omnis Religionis: Religio enim cum tota doctrina morali sine Libertate tota concideret, tam ratione cultus, quam præmiorum & pœnarum (§. 966. 972.); Cum vero Peccatum oriatur ex abusu Libertatis illius (§. 476.), sequitur per peccatum Libertatem non tolli, sed hominem illa abuti.

§. MCCXLVIII.

Per liberum Arbitrium intelligitur Vis actiones liberas suas determinandi conformiter Religioni Revelatæ & Naturali.

Liberum arbitrium proprie involvit duas Notiones, significat nempe α. facultatem illam liberam, qua anima semper sponte determinatur ad actiones suas β. Vires ad actiones spirituales sive cum Religione revelata conformes faciendas; sive habitum actiones suas dirigendi secundum Legem Evangelicam.

Cum

§. MCCXLIX.

Cum homo constitutus in statu moraliter imperfecto opus cum Attributis divinis & propria Salute conforme, adeoque vere bonum, edere non possit (§. 871.): Sequitur, quod, etsi homo post peccatum commissum retineat facultatem liberam, ipsi tamen desint vires liberi Arbitrii ad actionem Legi Evangelicæ conformem sese determinandi.

§. MCCL.

Hoc à priori ex ipsa rei natura demonstravimus, nunc demum autem S. Scripturam idem dicere ostendemus, ut nimirum patefiat, illam de hominis corruptione nihil dicere, quod non ex Principiis Rationis demonstrari potest, adeoque arbitrandum non esse, corruptionem hominis in S. Script. nimis exaggerari.

§. MCCLI.

Describit enim hominem ut Intellectu obtenebratum Eph. IV. 18. V. 8. qui ergo, dum Bonum non cognoscit, illud etiam appetere nequit: nec intelligit ea quæ sunt Spiritus Dei, sive quæ ille revelavit, 1. Cor. II. 14.

§. MCCLII.

Nec porro homo, quatenus sub peccato est, Attributa divina ut motiva actionum suarum considerare potest, quod tamen etiam ad Religionem Naturalem requiritur (§. 771.), nam Apostolus dicit τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, sive sapientiam Carnis, esse inimicam in Deum & Legi Dei non subjici, cum ne quidem possit Rom. VIII. 7.

§. MCCLIII.

Apparet ex hoc, hominem Religionem Natura-

turalem, quamdiu in ſtatu peccati verſatur, ſervare non poſſe.

§. MCCLIV.

Homo etiam dicitur Servus peccati Joh. VIII. 24. Rom. VI. 16. 17. 20. imo mortuus, hoc eſt, omni activitate ad opus ſpiritualiter bonum producendum privatus. Eph. II. 1 - 3.

§. MCCLV.

Cum ergo Peccator nec intelligit quæ Spiritus Dei revelat (§. 1251.), nec ea facere poteſt (§. 1254.): Sequitur illum etiam officia Religionis revelatæ ſervare non poſſe.

§. MCCLVI.

Hic nunc oſtendere licet, quænam ſit differentia inter Naturam & Gratiam; quæ patet ex differentia inter Virtutem Naturalem, Pietatem & Virtutem Chriſtianam.

§. MCCLVII.

Virtus Naturalis conſiſtit in actionis moralitate intrinſeca, quatenus noſtram aliorumque perfectionem, quoad Vitam temporalem, promovet & inde motiva deſumuntur.

§. MCCLVIII.

Syſtema, quod officia hæc complectitur, vocatur *Jus Naturæ.*

§. MCCLIX.

Cum in Virtute naturali, adeoque Jure Naturæ, nulla actionum motiva ab Attributis divinis deſumantur (§. 1257.); Hinc eſt quod JCti & Philoſophi dicant, Jus Naturæ etiam locum habere poſſe, etſi, abſit blasphemia dicto, nullus exiſteret Deus.

Jus

Jus Naturæ nimirum respicit solummodo ea officia, quæ homo vel sibi in statu temporali sive Vita corporali, aliisque in Societate Civili debet; ut illud Atheum etiam obliget, licet existentiam divinam neget, adeoque actionum suarum motiva à Dei Attributis desumere nequeat & irreligionarius sit.

§. MCCLX.

Ad Jus Naturæ observandum viribus nonnisi naturalibus opus est, unde à Philosophis demonstratur, ejus observationem cuivis homini possibilem esse.

§. MCCLXI.

Hinc etiam Apostolus de Gentilibus dicit, illos facere ea quæ legis sunt Rom. II. 14. hoc est ea quæ ipsum Jus Naturæ præscribit, dum Virtutes naturales sæpissime erga semetipsos & proximum exercebant, facientes ea quæ ad status temporalis sui & proximi perfectionem contribuebant.

§. MCCLXII.

In Pietate autem actionum motiva desumuntur non tantum à proprii Proximique status temporalis perfectione, sed etiam ab Attributis divinis ex lumine Naturæ notis, & in S. S. clarius revelatis.

§. MCCLXIII.

Officia autem hæc, sive hunc actiones suas dirigendi modum præscribit *Religio Naturalis*, (§. 771.).

§. MCCLXIV.

Patet ex his, quænam sit differentia inter Jus Naturæ & Religionem naturalem, illud scilicet respicit tantum statum perfectionis temporalis tum propriæ, tum Proximi & inde motiva desu-

mit ; Religio autem naturalis etiam Deum respicit & ab Attributis ejus motiva desumit.

§. MCCLXV.

In *Virtute* autem *Christiana* motiva actionum desumuntur ab opere Redemtionis & præcipue ab Attributis divinis per illud à Deo revelatis, (§. 1060.).

S. Scriptura Pietatem, hoc est, observationem Religionis Naturalis & Virtutem Christianam communi Pietatis nomine comprehendit.

§. MCCLXVI.

Patet ex his, cum differentia sit inter Jus Naturæ & Religionem Naturalem, quod, etsi demonstratur cuivis homini Juris Naturæ observationem possibilem esse, propterea possibilitas observandi Religionem Naturalem demonstrata non sit.

Distinctius hæc fuerunt evolvenda, ut illis, qui Religionis revelatæ necessitatem negant, eo melius obviam ire queamus ; quod ex eo etiam tueri conantur, quod homini non impossibile sit actiones suas secundum præcepta Juris Naturæ dirigere, & inde concludunt, confundentes Religionem Naturalem cum Jure Naturæ, observationem Religionis Naturalis post peccatum non esse impossibilem, adeoque Revelatam non esse necessariam.

§. MCCLXVII.

Apparet porro, id quod in Theologia & Philosophia morali ad exercitium Virtutis & evitationem Vitii pertinet, & internas animæ actiones respicit, multum à se differre.

§. MCCLXVIII.

Etsi ergo observatio Juris Naturæ sive Virtutum

tum naturalium non impossibilis sit (§. 1259.), tamen ad observandam Religionem Naturalem & Revelatam Vires naturales non sufficiunt (§. 1253. 1255.), unde Viribus supernaturalibus opus est.

Ad hæc quæ §§. præcedentibus dicta sunt qui attendit, facile percipere potest, statum internum Christiani plane aliter comparatum esse quam alius hominis, cui præter Vires naturales post lapsum superstites nihil supereſt ad exercitium Virtutis moralis sive civilis. Et quod Sola Pietas atque Virtus Christiana Deo placere potest, quam ipse in homine operatur. *Vide* WOLFII *Philosoph. moralem* §. *676. 677. & Nachrichten von seinen eigenen Schrifften. cap.* IX. §. *148.*

§. MCCLXIX.

Cum Viribus supernaturalibus opus sit ad officia Religionis Peccatoris præstanda (§. 1268.): Hinc Miraculo opus est, quo homo è statu moraliter imperfecto restituitur in statum moraliter perfectum (§. 650.): Miracula autem nemo nisi Deus potest patrare: E. Solus Deus Vires illas supernaturales homini conferre potest, quibus officia Religionis revelatæ implere & à statu imperfecto liberari potest.

§. MCCLXX.

Illa Virium Supernaturalium collatio vocatur Medii Salutis applicatio.

§. MCCLXXI.

Religio revelata ad certa obligat officia (§. 1063.), ad illa præstanda autem Libertate opus est (§. 966. 972.); Hinc sequitur, Gratiam divinam in collatione Virium Supernaturalium ita agere, ut tamen homo libere agat.

Hic divinus operandi modus cum hominis Libertate optime conciliari potest, cum essentia & summus Libertatis gradus in spontanea actionum determinatione consistat (§. 730.); hinc Deus ita agit, ut in homine spontaneitatem actionis producat. Cum vero Remonstrantes summam Libertatem in indifferentia perfecti æquilibrii, contra principia philosophica & experientiam, consistere existiment, mirum non est, si illam cum Gratiæ divinæ efficacia conciliare nequeant.

§. MCCLXXII.

Imperfectionem moralem Peccatoris variæ comitantur sequelæ (§. 879.); Hinc si homo à morali illa imperfectione & illius sequelis liberari debet, etiam talia adhibenda sunt remedia, quæ omnibus illis sequelis tollendis apta sunt.

§. MCCLXXIII.

Quoniam enim homo exclusus est per peccatum à Communione Dei (§. 820.), & Liberationis medium ipsi natura ignotum sit (§. 914.); Hinc opus est, ut homo Peccator iterum ad Communionem Dei invitetur & ipsi Salutis medium notificetur, quæ beneficia vocantur VOCATIO.

§. MCCLXXIV.

Et cum abalienatus sit à Vita Dei & spiritualiter mortuus, (§. 821 -- 823.), necesse est, ut ipsi reddatur actuositas spiritualis & communio cum Vita Dei, quod Beneficium REGENERATIONIS nomine venit.

§. MCCLXXV.

Cum porro homo salvandus obligatus sit ad officia illa præstanda, ad quæ per Religionem revelatam obstrictus est (§. 1063.), ut nempe assentiat testimonio Dei de Medio salutis parato & opti-

optimo atque perfectissimo unicoque Salvatori se salvandum cum abnegatione sui ipsius ex animo committat, Peccator vero ad hæc impotens sit (§. 871. 1255.), & Intellectu obtenebratus (§. 869.), & Voluntate perversus (§. 870.): Hinc alio opus est beneficio, quod appellatur FIDES.

§. MCCLXXVI.

Et quia Pœna cum peccato effectu naturali connexa est (§. 872 - - 877.), & homo transgressione Legis cui obstrictus est, Jus ad summi Boni possessionem amisit (§. 817. 819.): Sequitur necessum esse, ut à Pœna liberetur & ipsi Jus ad possessionem summi Boni iterum adjudicetur, quæ applicationis medii liberationis pars JUSTIFICATIO appellatur.

§. MCCLXXVII.

Et cum careat sanctitate per peccatum amissa (§. 878.), Voluntas autem ejus primitus sancta fuerit creata (§. 791. 792.): E. si pristino statui perfectionis restitui debet, etiam SANCTIFICATIONE opus habet.

§. MCCLXXVIII.

Modus liberationis homini ignotus est (§. 883.), Hinc opus est, ut ipsi notificetur, & ut per peccatum remotus à Communione Dei iterum ad illam invitetur (§. 1273.).

§. MCCLXXIX.

Hoc Beneficium vocatur VOCATIO, quæ consistit in notificatione Voluntatis divinæ de Medio Liberationis parato & imperio divino de illo amplectendo.

§. MCCLXXX.

Medium illud Liberationis, ad quod homo invitatur mandato divino, unicum tantum eſt; Hinc etiam *Vocatio* nonniſi unica eſt.

§. MCCLXXXI.

Quoniam homo ita reducendus eſt ad Deum ut tamen libere agat (§. 1271.); Hinc ita vocatur, ut ſuum ipſi maneat officium & ut ſponte determinari poſſit.

§. MCCLXXXII.

Ubi autem certa præſtanda ſunt officia & Libertas inconcuſſa in actionibus illis manere debet, ibi omnia unico momento fieri nequeunt, unde certis *Vocationis* illius opus eſt gradibus, quæ ſi ſummum attingit gradum vocatur *efficax*, ſi vero in inferioribus ſubſiſtit appellatur *communis*.

§. MCCLXXXIII.

Et cum gradus inferiores illius in Mediis tantum externis conſiſtant, inde gradus illi Vocationis huic beneficio nomen *externæ* dant; ſi vero ſummum attingit gradum, modo ſupernaturali ipſe facultatum Animæ uſus, Intellectus æque ac Voluntatis, mutatur, unde tunc vocatur *interna*.

§. MCCLXXXIV.

Terminus à quo homo vocatur eſt ſtatus miſeriæ & peccati & abalienationis à Communione Dei (§. 820. 1273.), Eph. II. 12.

§. MCCLXXXV.

Terminus vero, ad quem vocamur, eſt Chriſtus tanquam unicum atque perfectiſſimum Medium Salutis Jeſ. XLV. 22.

Ita

§. MCCLXXXVI.

Ita autem negotium hoc considerandum est, ut attendatur quid homo & quid Spiritus S. in illo agat? ut limites inter Naturam & Gratiam constituantur.

§. MCCLXXXVII.

Nunquam enim Gratiæ operatio vires naturæ sive usum virium naturalium tollit, sed potius emendat & supernaturales vires addit.

§. MCCLXXXVIII.

Per Vires autem supernaturales intelligo eas, quibus homo immediate à Spiritu S. instruitur, ut talia agere possit, quæ neque ex vi animæ naturali, neque ergo ex statu ejus antecedente fluunt.

§. MCCLXXXIX.

Deficit autem *primo* hominis Intellectus & ipsius Ratio, ut licet naturâ Revelationis Medii Liberationis possibilitatem noscere vel conjicere possit (§. 920 - - 925.); attamen veritatum revelatarum actualitatem sive existentiam ignorat Intellectus sibi relictus, cum modum nesciat quo id fieri potest (§. 910 - - 914.); Et licet Ratio Veritatis naturalis nexum perspiciat, tamen veritatum revelatarum nexum perspicere propriis viribus non valet.

§. MCCXC.

Unde per divinam Gratiam fit, ut defectus hic suppleatur, qui primus Vocationis gradus est, dum Deus peccatori Voluntatem suam de Medio Liberationis parato à peccatore amplectendo patefacit: & eoipso ad Communionem sui invitat.

§. MCCXCI.

Idque fit, dum ſingularis Dei circa ſalvandos cura rerum ordinem ita diſpoſuit, ut Liber ille, in quo Evangelium hoc continetur, ad illorum manus perveniat, qui ad Salutem perducendi ſunt.

§. MCCXCII.

Aut dum per Evangelii præcones Voluntas illa divina omni cum eloquentia, auctoritate & diligentia proponitur & inculcatur.

§. MCCXCIII.

Cum hoc Beneficio non omnes omnino homines fruantur, uti experientia conſtat, cum jam olim ſub Oeconomia Veteri Evangelium pauciſſimis patefactum fuerit, & hodie adhuc-dum multi exiſtant Populi, qui illud nunquam audiverunt; Hinc patet *Vocationem non eſſe Univerſalem.*

§. MCCXCIV.

Hominis autem officium eſt ut audiat Jeſ. LV. 3. Luc. VIII. 8. hoc eſt, ut debitam adferat attentionem tamquam rei ponderoſiſſimæ, de qua propria Salus pendet.

§. MCCXCV.

Tenetur ergo facultatibus naturalibus ita uti, ut Veritates revelatas attente legat, audiat, atque conſideret & in illis tum Dei Soſpitatoris Gloriam, tum propriam Salutem quærat.

§. MCCXCVI.

Neque dici poteſt, hominem Veritatum revelatarum plane nihil intelligere, ſi ipſi proponantur, etiam impii cognoſcere poſſunt quid ſibi velit illa propoſitio: Jeſus Chriſtus eſt unica atque per-

perfectissima caussa Salutis; noscunt etiam ex hac Veritate alteram fluere, nempe: Ipsum ut talem quærendum atque adorandum esse.

§. MCCXCVII.

Ipsa tamen illa attentio etiam donis Spiritus Sancti generalibus excitari, augeri & conservari potest. Act. XVI. 14. quod si fit, secundus Vocationis gradus est.

§. MCCXCVIII.

Si homo, quantum per vires naturales ipsi licet, debitam adhibet diligentiam, etiam interna conscientiæ tum de magnitudine miseriæ, tum de veritate testimonii divini oritur convictio; quæ excitari potest tum ex omnium operum manuum Creatoris contemplatione, quæ hominem ad Communionem Dei summi rerum Moderatoris quærendam quasi invitant, dum ipsi Cœli Gloriam Dei enarrant. Psal. XIX. 2-5:

§. MCCXCIX.

Tum per considerationem maximæ divinæ Benignitatis erga genus humanum, dum ostendit se bonorum omnium fontem, maximum simul atque optimum esse, dum non patitur se expertem esse testimonii bona tribuendo. Actor. XIV. 17.

§. MCCC.

Et per ipsam Dei longanimitatem, quæ homini non tantum Salutis spem suppeditat, sed quemvis ad resipiscentiam ducere debet Rom. II. 4.

§. MCCCI.

Plurimum etiam ad Peccatoris conscientiam con-

convincendam conferunt gravia Dei, tum in ipsum, tum in alios Judicia ; quibus fit, ut homo tum ad statum suum in præsenti vita, tum sequentem exitum & statum post hanc vitam attendat & solicitus fiat ; Unde non possunt non conscientiæ morsus oriri, præcipue si judiciorum divinorum gravis accedat inculcatio, illorumque meditatio Act. XXIV. 25.

§. MCCCII.

Magnum vero ad hoc efficiendum confert ipsa diligens Verbi divini lectio atque consideratio, mallei enim instar illud sese habet Jer. XXIII. 29.

§. MCCCIII.

Ea quæ hactenus diximus inde à §. 1294. ipsis etiam naturæ viribus præstari possunt.

§. MCCCIV.

Et si Spiritus Dei ipse quasi ad ostium cordis peccatoris stat & reiterata conscientiæ excitatione pulsat, & motus illos conservat, tertius Vocationis gradus oritur.

§. MCCCV.

Cum homo Natura in statu tenebrarum versetur ratione cognitionis circa Medium Liberationis & res divinas (§. 869.) ; hinc ut malo huic remedium adhibeatur, Intellectus illuminatione opus est.

§. MCCCVI.

Per *Illuminationem* autem intelligimus convictionem supernaturalem veritatum revelatarum & nexus illarum distinctam in mente repræsentationem.

Ex

§. MCCCVII.

Ex ſtatu tenebrarum & moraliter imperfecto per effectum naturalem illuminatio ſequi nequaquam poteſt, nulla enim illius indicari poteſt ratio ſufficiens, propterea miraculum, & immediatum Spiritus S. opus eſt : Et quartum Vocationis gradum conſtituit. 2. Cor. IV. 6.

§. MCCCVIII.

Quoniam operatio hæc fit per Miraculum, ab homine non dependet, an illam admittere, an non admittere velit. Nec magis illam avertere poteſt quam olim Chaos Mandatum divinum avertere potuit, dicens fiat Lux. Gen. I. 3.

§. MCCCIX.

Neque poſt eclypſin ſolarem factam homo impedire poteſt, quo minus obſtaculo ablato Lux ſolis redeat & objecta diſtincte repræſentet : ita etiam homo impedire nequit, ut in tenebris Intellectus Lux iterum ſplendeſcat.

§. MCCCX.

Nec etiam tali convictioni magis quam per demonſtrationem Geometricam factæ reſiſtit.

§. MCCCXI.

Ideo Gratia hæc efficax vocatur, & non poteſt non hominis mentem in aſſenſum trahere.

§. MCCCXII.

Neque magis hominis libertati obeſſe poteſt; ac illi aliquid derogatur, ſi ſole poſt tenebras redeunte objecta circumjacentia ipſi clare repræſentantur, aut ſi de Veritate Geometrica per illius

lius demonstrationem & nexus veritatum in illa propositione contentarum distinctam repræsentationem convincitur.

§. MCCCXIII.

Cum illuminatio non possit non esse efficax (§. 1308 - - 1311.), & sit pars Vocationis (§. 1307.), per experientiam tamen non sit universalis, cum tot homines in tenebris permaneant, neque unquam aut de Veritatibus revelatis convincantur, aut eas in admirabili suo nexu distincte percipiant; Sequitur Vocationem etiam quoad hanc partem non esse universalem.

§. MCCCXIV.

Cognitio viva vocatur, quæ motivum actiones suas secundum præcepta Religionis revelatæ dirigendi præbet.

§. MCCCXV.

Licet homo natura etiam multas veritates revelatas intelligere possit (§. 1296.); at cognitio illa tamen sterilis manet, destituta Virtutis fructu, quæ inde oriri debet.

§. MCCCXVI.

Unde, cum ex statu Voluntatis moraliter imperfecto, perfectus sequi nequeat, Spiritus S. Gratia defectus hic etiam supplendus est.

§. MCCCXVII.

Qui Intellectui Veritatem cœlestem cum animi convictione non tantum repræsentat, sed cognitionem illam vivam facit, ut Voluntas moveatur ad mentem suam totam propter Doctrinæ illius cœlestis evidentiam atque præstantiam ad studium pietatis componendam. Stu-

§. MCCCXVIII.

Studium hoc vocatur : Propositum consilia sua & actiones mutandi & in illo summus Vocationis gradus consistit.

§. MCCCXIX.

Ita vero Spiritus S. in hoc negotio operatur, ut homo non in ancipitis deliberationis bivio consistat, & in æquilibrio tantum statuatur : indignum enim foret ejus tum Sapientia tum Bonitate, si creaturam rationalem libertate præditam in deliberationis bivio consistentem Gratia sua ulteriori destitueret, ut homo in re maximi momenti, tamen imprudens aut invitus agere deberet & fatali quodam instinctu.

§. MCCCXX.

Porro ita agit, ut homo in determinatione sua liber maneat, neque obtorto quasi collo & invitus trahatur ; facit ut homo volens agat Phil. II. 13. Veritates tam clare mentibus ingerit, ut non possint non assentiri, & tanta motiva voluntati suggerit, ut non possit nolle : sed fateatur : *Pellexisti me Jehova, & pellectus sum, fortior fuisti me & prævaluisti.* Jer. XX. 7.

§. MCCCXXI.

Licet autem Peccator ab initio resistat, cum totus quantus est in partem contrariam ruat, tamen Gratia peccati tenebras dispellente non potest amplius resistere, dum agnoscit se, si hoc faceret, creaturam esse infelicissimam.

§. MCCCXXII.

Ex statu hominis moraliter imperfecto perfectus sequi nequit nisi per miraculum (§. 650.), quan-

quando autem Intellectus hominis modo supernaturali illuminatur & Voluntas flectitur ad actiones suas secundum Religionem revelatam instituendas, ex statu imperfecto transit in perfectum, in quo summus Vocationis Gradus consistit (§. 1307. 1318.); E. Vocatio illa, quæ summum attingit gradum, non potest fieri nisi per Miraculum & propterea Creaturæ vires excedit.

§. MCCCXXIII.

Sed hominis per peccatum à Dei commercio remoti Vocatio consiliique pristini mutatio (§. 1318.) ad statum ipsius miserum reformandum non sufficit, spiritualiter enim mortuus opus habet, ut ex morte illa suscitetur atque amissam cum vita Dei communionem recuperet.

§. MCCCXXIV.

Regenerationis nomine hoc beneficium venit, significatque operationem Dei hyperphysicam, qua homini spiritualiter mortuo divina Vita redditur, ope seminis incorruptibilis Verbi Dei virtute Spiritus S. fœcundati.

§. MCCCXXV.

In Adamo omnes mortui sumus 1. Cor. XV. 22. quæ mors in hoc consistit & præcipue modo sequenti sese exserit α. quod à Deo ejusque Spiritu, qui animæ nostræ anima & vitæ nostræ vita est, immensum quantum remoti sumus Eph. IV. 18.

§. MCCCXXVI.

β. A luce Dei remotissimi, Intellectus atra caligine cingitur, ut non possit comprehendere quæ Spiritus Dei sunt 1. Cor. II. 14. unde nec pec-

peccatorum veram rationem, neque miseriæ atque periculi magnitudinem distincte agnoscere potest.

§. MCCCXXVII.

Eandem ob caussam divinæ Gratiæ nullum habere potest Voluntas desiderium, cum non possit ferri in incognita, & ipsi omnia quæ Dei sunt plane sordent, & Sapientiam Dei pro stultitia habet 1. Cor. II. 14. Unde licet subinde actiones vitalibus similes prodat, ex intrinseco tamen Vitæ Principio illæ non procedunt.

§. MCCCXXVIII.

Regeneratione autem per Unionem cum Spiritu Dei homo vitam illam recipit, qua Vitam non animalem sed divinam vivit, & Anima ejus apta fit ad actiones spirituales Deo gratas exserendas, præceptis divinis & exemplo Christi convenientes.

§. MCCCXXIX.

Adeoque renovatio illa considerari potest, tum ut facultas quæ homini inditur, tum ut actio vel operatio facultatis illius.

§. MCCCXXX.

Facultatem dico Regenerationem, sive effectum illius in homine, dum per illam producitur Vita spiritualis, hoc est, actuositas ex intrinseco Vitæ Principio, ut sit intrinseca Animæ constitutio, dum recipit novam facultatem, quæ ipsi antea defuit, nempe vivendi vitam Dei, antea enim vivens mortua fuit. 1. Tim. V. 7.

§. MCCCXXXI.

Dum homo Spiritualem hanc actuositatem ac-

cepit, aut illa statim per operationes bonas sese exserit, aut illæ aliquandiu uti fructus in semine latent.

§. MCCCXXXII.

Priori sensu si Regeneratio sumatur, nullos habere potest gradus, aut enim homo, qui antea nil nisi mors fuit, vivere incepit, aut adhuc in offensis mortuus est. Ephes. II. 5. Inter vitam enim & mortem non dari potest status intermedius.

§. MCCCXXXIII.

Unde Beneficium hoc non tantum nomine Vivificationis venit in S. Sc. l. c., sed etiam ut Creatio rei non præexistentis consideratur Ephes. II. 10. qua nova plane Creatura spiritualis ex nihilo peccati producitur.

§. MCCCXXXIV.

In mortuo ad Vitam, in nihilo ad Creationem, nulla potest præexistere Præparatio: Ita nec in homine ad spiritualem Creationem aut ex morte peccati resuscitationem.

§. MCCCXXXV.

Uti nec actuositas aliqua Creaturæ Creationem, aut operatio boni Vivificationem præcedere potest, ita nec in homine nondum regenerato aliquid spiritualiter Boni aut occasio existere potest, quæ Deum moveat, ad majorem Gratiam homini conferendam, unde *FULGENTIUS Lib. I. de Verit. Prædest. pag. 62.* non utique quia volumus Gratiam accepimus, sed necdum volentibus nobis Gratia data est, & Esaj. LXV. 1. Deus dicitur inveniri ab iis, qui ipsum non quæsiverunt & de ipso non interrogant.

Ex

§. MCCCXXXVI.

Ex quibus apparet, fractionem naturalis contumaciæ atque malitiosæ resistentiæ, Voluntatis flexibilitatem, mortis suæ agnitionem, seriam Legis divinæ considerationem atque miseriæ deplorationem non considerandæ esse ut præparationem ad animæ vivificationem, sed potius ut ipsa regenerationis prima effecta atque fructus.

§. MCCCXXXVII.

Et quanquam mors spiritualis suos habet gradus, dum nonnulli crebris peccandi actibus habitum acquisiverint, id tamen quod in morte privativum est, nempe abalienatio à Vita Dei, in omnibus æquale est: Ut omnes versentur in statu mortis, actuositate illa ex intrinseco Vitæ Dei principio orta destituti, propterea que ad opus ullum spiritualiter bonum edendum plane inepti.

§. MCCCXXXVIII.

Cum tamen homo etiam in statu peccati Libertatem retineat, omnesque ejus actiones cum lubentia conjunctæ sint; Hinc status ipsius non ita concipiendus est, ut lapidis aut stipitis, quasi invitus rapiendus & trudendus sit; sed translitus ipsius ex statu mortis in statum vitæ summa cum Lubentia conjunctus est, propter gravissimas quæ iis in primo momento à Spiritu vivificante suggeruntur rationes.

§. MCCCXXXIX.

Et si quidam sint qui regenerandi etiam ante Regenerationis actum, præ illis qui nunquam regenerantur, habent dona aut externa privilegia, ut majorem Veritatis salutaris cognitionem

à nefandis sceleribus præservationem aliasque temporis, loci, affectuum, aliorumque similium circumstantias ; hæc tamen omnia hominem ad Regenerationem non aptum reddunt, nisi quantum in ipsa Providentia atque Consilio divino ita ordinata sunt atque dispositа, ut Regenerationi certo secuturæ suo tempore inserviant ; ut ergo ejusmodi Privilegia ipsius benigni Numinis dona sint atque beneficia, aliquando regenerandis concessa : neque hominis merito aut naturali præ aliis Bonitati adscribenda.

§. MCCCXL.

Cui rei illustrandæ inservit visio Ezechielis XXXVII. 7. 8. ubi primo ossa fuere collecta, carne deinde & venis tecta, nec non cute vestita fuerunt ; ut tamen hactenus deesset habitus, quem Spiritus veniens ab omnibus quatuor Mundi plagis inspiravit, ut vivere inciperent.

§. MCCCXLI.

Internum hoc Vitæ Spiritualis Principium cum homini inditum fuit, aut statim per exercitium bonorum operum actuosum sese ostendit, aut subinde ad instar hominis dormientis sese habet, qui quidem vivit, sed per tempus non actuosus est : ut opus Regenerationis distingui possit in actum primum & secundum (§. 1329.).

§. MCCCXLII.

Cum homo Natura ad actus vitales edendos non tantum plane iners sit (§. 1325.), sed sæpe repetitis malis actionibus peccandi habitum acquisiverit (1337.) : Inde est quod in partem regenerationi plane oppositam malitiose ruat, propterea-

que

que operationibus Spiritus vivificantis resistat, ut adeo Gratia convertens sive regenerans certo sensu resistibilis dici possit. Act. VII. 51.

Male Reformatis imputatur, quod statuant hominem operationibus Spiritus Sancti non resistere; Sed hoc statuunt: In regenerandis Omnipotentem Spiritus creantis & vivificantis vim, quæ vocat ea quæ non sunt ut sint, tam fortiter operari, ut homo resistere desinat, & Intellectus illius cœcitas cordisque durities superetur; Uti enim in prima Creatione ad tenebras discutiendas & lucem producendam sufficiebat vox Omnipotentis Fiat lux, ita in homine quantumcunque malitiose resistente & propter Intellectus tenebras in proprium exitium ruente sufficit Vox Imperans Fiat lux, & Fiet lux.

§. MCCCXLIII.

Regeneratio ex statu hominis antecedente (§. 1325 - - 1327.) per effectum naturalem sequi non potest, ei enim plane oppositus est: Inde vires animæ excedit; cum porro sit creatio & ex mortuis suscitatio (§. 1333.), adeoque etiam vires Universi excedit, talis autem effectus Miraculum dicitur: E. etiam Regeneratio Miraculum est.

§. MCCCXLIV.

Neque dici potest inter effectus in Regno Naturæ & in Regno Gratiæ distinguendum esse; Quicquid enim in Anima contingit, quod vires ejus excedit & in re creata oriri non potuit, id Miraculum est, cum vero regeneratio sit talis in anima effectus (§. 1343.): E. in illa Miraculum patratur, sive Animam consideres ut partem Regni Naturæ sive Gratiæ, effectus erit idem.

§. MCCCXLV.

Regeneratio est Miraculum; sequitur tantum

abeſſe, ut homo quicquam ad ejus vel initium vel finem conferre poſſit, quantum abeſt, ut v. g. quem Natura cœcum protruſerat, ad viſus ſui reſtitutionem facere nonnihil potuerit; conſideramus nimirum hic Regenerationem in primo actu.

Vide Judicioſiſſimi *CANZII Tractatum de Uſu Philoſ. Leibn. & Wolf. in Theol. cap. XIII. §. 364.*

§. MCCCXLVI.

Fidei neceſſitas patet ex §. 1275. Conſentiente S. Script. paſſim, abſolutam illius neceſſitatem ubique inculcans.

§. MCCCXLVII.

Finis Revelationis hic eſt, ut homini Peccatori modus oſtendatur, quo ex infinito malo emergere & cum propria Salute ad Dei Gloriam eſſe queat (§. 977.), & ſumma totius S. Scripturæ eſt, Jeſum Chriſtum eſſe unicam atque perfectiſſimam cauſſam Salutis (§. 1004.), ejusque cognitione ſola Peccator ſalvari poteſt, & obligatus eſt ad officia in Religione revelata præſcripta obſervanda (§. 1057 - - 1063.), quæ unice ad Gloriam Salvatoris cum propria Salute conjunctam tendunt: Sequitur Fidem etiam unice verſari circa Salvatoris cognitionem atque modum quo Peccator medii parati particeps fit.

§. MCCCXLVIII.

Unde Fides recte definitur: Quod ſit ille hominis regeniti actus, quo homo ex pio aſſenſu in teſtimonium Dei de Salute per Chriſtum parata ſeipſum abnegat, atque ei ſe ſalvandum ex animo committit.

Vide *MELCH. Fund. Theol. cap. II. §. 39.*

Crede-

§. MCCCXLIX.

Credere dicimur aliquid, quando teſtanti vel ore vel ſcripto aſſentimur, neque de Veritate teſtimonii illius ullo modo dubitamus, quo major autem & fide dignior teſtis aliquis eſt, eo certius etiam ipſi Fidem habere poſſumus.

§. MCCCL.

Ex definitione apparet, in Fide duo à ſeinvicem eſſe diſtinguenda, nempe objectum ſive teſtimonium quod creditur, & actionem mentis noſtræ, qua teſtimonio illi aſſentimur; prior dicitur Fides *quæ* creditur, poſterior vero *qua* creditur: Unde vel objective vel ſubjective ſumitur.

§. MCCCLI.

Ratione objecti ſive Fidei quæ creditur, illa reſpicit breviſſimis verbis modum liberationis hominisque erga Salvatorem officium (§. 1347.): Cum vero hic articulus plures alios in ſe contineat, omnes nempe qui cum Fundamento hoc Religionis revelatæ ſunt connexi & ad ipſum Fundamentum pertinent, hic nondum nobis definire licet quam late articuli illi pateant, dum principia ad hæc oſtendenda nobis adhucdum deſint, capite ſequente de hac re acturi. pag. 513 seq.

§. MCCCLII.

Requiritur autem veritatum illarum, tum cognitio, tum convictio, tum ſtudium Bona ibi promiſſa acquirendi.

§. MCCCLIII.

Cognitionem illam Peccatori abſolute neceſſariam eſſe jam ſupra à priori demonſtratum de-

dimus, ex Natura Religionis qua homo obstringitur ad quædam officia præstanda, quæ faciunt ad promotionem propriæ perfectionis & Glorificationem Creatoris & Salvatoris (§. 958. 959. 981. &c.): Sed & ipsum Fidei vocabulum id requirit, dum ignoto nemo fidem habere potest, dum enim sit assensus veritati à Deo revelatæ præstitus, cognitionem rei revelatæ necessario præsupponit. (§. 1349.).

§. MCCCLIV.

Sed & ipsa S. Script. id variis in locis & multis modis testatur; Fidem enim in Electis produci dicit externe per Verbum Dei & præconium Evangelii Rom. X. 17. Præconium autem illud fieri debet cum demonstratione Veritatis ad omnem conscientiam 2. Cor. IV. 2. & nemo venit ad Christum nisi qui interne à Patre edoctus fuit: Scriptum enim in Prophetis: omnes erunt docti à Deo; omnis igitur audiens à Patre & discens venit ad me, inquit Salvator Joh. VI. 45. Cognitio etiam expressis verbit requiritur Esaj. LIII. 11. Joh. XVII. 3. Imo tandem ipsa Fidei suæ confessio, quæ requiritur, cognitionem præsupponit. Rom. X. 9. 10. 1. Pet. III. 15.

§. MCCCLV.

Sed ut Veritatem aliquam credamus mera ejus cognitio non sufficit, multa enim tantum ut possibilia cognoscimus, de quorum actualitate tamen dubitamus, unde porro in Fide etiam convictio adsit oportet.

§. MCCCLVI.

In nullis rebus homines minus extra dubitationis

tionis aleam positi sunt, quam in iis quæ ope sensationis non percipiuntur, sed plane invisibiles sunt, imo omnem humanam Sapientiam superant, ut modum quo id fieri potuit non plane perspiciant.

§. MCCCLVII.

Unde in ejusmodi rebus τὸ Φρόνημα τῆς σαρκὸς multa habet quæ objiciat, multa contra hæc sunt Pseudo-Philosophorum & contentiosæ falsi nominis Sapientiæ murmura; præcipue si omnibus objectionibus solvendis humana Ratio impar sit, unde omnem Fidem è Religione eliminatam volunt, soli Scientiæ in illa locum dandum esse putantes.

§. MCCCLVIII.

Sed hac ratione Fidei non tantum nullus amplius in Religione esset locus, nullum prærogativum, sed soli Philosophi methodi scientificæ gnari de Religionis dogmatibus certi essent, misero vulgo, imo maxima hominum parte à vera cognitione plane excluſa.

§. MCCCLIX.

Vel certitudo cognitionis, quam Plebs haberet, tandem resolveretur in Autoritatem Philosophorum, dum enim Vulgus evidentiam demonstrationis perspicere capax non sit, ideo aliquid crederet in Religione, quia Philosophi dicerent id ita se habere; nunc vero certitudo cognitionis non dependet ab hominum sed fallere nescientis Dei testimonio atque Autoritate.

§. MCCCLX.

Cum autem Fides sit ὑπόστασις rerum sperandarum & ἔλεγχος non conspectarum Heb. XI. 1.

ad tantam rerum illarum certitudinem atque convictionem anniti debemus, quaſi illas oculis noſtris videremus, atque immediate à Deo audiremus, ut nullis unquam ſophismatibus vel objectionibus à veritate nos abduci patiamur.

§. MCCCLXI.

Ὑπόϛασις nimirum ſignificat certam rei exſiſtentiam, dum res nondum exſiſtentes, vel quidem exſiſtentes ſed non præſentes, nobis per fidem ut præſentes ſiſtuntur. Vox hæc etiam notat firmitatem atque conſtantiam, dum credens nullis objectionibus aut tentationibus ab aſſenſu cognitæ ſemel veritatis dimoveri poteſt.

§. MCCCLXII.

Ἔλεγχος autem denotat tum certam demonſtrationem, tum animi convictionem per Veritatis demonſtrationem (cap. 1. §. 2. 4.), dum animus non tantum perſuaſus eſt veritatem niti teſtimonio fallere neſcientis Dei, qui ipſe Veritas eſt, licet illam nec oculis videat, nec mente eam plane aſſequi poſſit; ſed & ipſam Veritatum illarum egregiam θεοπρεπείαν atque ſapientiſſimum nexum perſpicit.

§. MCCCLXIII.

Qua autem certitudine vel quo fundamento Religio revelata & veritates, quas illa comprehendit, nitantur, ſupra ex inſtituto demonſtravimus.

§. MCCCLXIV.

Sed pauciſſimi ſunt ex illis, qui Scepticiſmo laborant Theologico, qui artificioſa demonſtratione eo adduci poſſunt, ut nullum amplius de neceſ-

neceſſitate ac Veritate Religionis revelatæ ipſius remaneat dubium, ſed ut plane convicti ſint, niſi in ipſis naſcatur deſiderium Veritatum cœleſtium.

§. MCCCLXV.

Quod ſit quando ſentiunt conſcientiæ morſus, atque perpendunt ſe & omnes homines eſſe Peccatores, & ſtatum ſuum nullum aliud ipſis præbere ſolatium, quam factum infectum fieri non poſſe, neque in Religione Naturali ullum ſolidum inveniri ſolamen atque medicinam, qua morſus illi Conſcientiæ ſanari imo plane tolli poſſint.

§. MCCCLXVI.

Quando autem conſiderant in Libro illo, qui à potiſſima generis humani parte pro divina Revelatione habitus fuit, atque adhucdum habetur, tale inveniri remedium, quo conſcientiæ morſibus obviam ire, quodque Deum admodum decens, atque in quo ſolo vera mentis tranquillitas obtineri poſſit, tum fit ut ejusmodi homines certitudinis veritatum illarum deſiderium in ſe ſentire incipiant, remque ipſimet perſcrutari inchoent, num inveniant quo tuto pedem figere poſſint.

§. MCCCLXVII.

Unde optima hauddubie methodus eſt, ſi ejusmodi homines nobis convincendi ſunt, ut ſi poſſibile tale prius in ipſis excitemus deſiderium antequam ad ipſam Veritatis Revelationis demonſtrationem progredimur, antequam enim quisquam de ejus neceſſitate abſoluta intime convictus eſt, de ejus Veritate difficile convinci poterit.

Qui

§. MCCCLXVIII.

Qui vero morsus Conscientiæ sentit, qui veram animi tranquillitatem amat, qui illam nullibi nisi in Religione revelata vere inveniri perpendit, is simul illam veram esse desiderabit, & eam talem esse eo facilius convinci poterit.

§. MCCCLXIX.

Solus autem Spiritus S. Gratia sua illuminante atque convincente omnes Intellectus nebulas dispellere, omnes objectiones fugare potest, ut homo Veritates illas clarissime & distinctissime videat in admirabili nexu suo atque θεοπρεπέια, ut eas certissimas esse atque divinas non amplius dubitet.

§. MCCCLXX.

Postquam mens tam distincte præcipuam illam revelatam Veritatem, Jesum Christum esse unicam atque perfectissimam causam salutis, ope Spiritus Sancti cognovit, non potest non illius Amor atque desiderium, operante Spiritu Sancto, totum occupare animum.

§. MCCCLXXI.

Non enim potest non optare anima, ut ea, quæ vera esse certissime novit, etiam in bonum suum vera sint, & juxta & per veritates illas salvetur, sanctificetur & beetur, quo per gratiosam in Christo Justificationem atque Sanctificationem iterum ad Gloriam Dei Creatoris & Salvatoris sui vivere, & in amissam communionem ejus recipi possit.

§. MCCCLXXII.

Actus hic, qui veræ fidei essentiam efficit, in S.

Sc.

Sc. Famis & Sitis nomine venit, Matth. V. 6. alibique, ex sensu indigentiæ suæ ortæ; quando peccator persuasissimus est, se longe miserrimum esse, neque quenquam aut in cœlo aut in terra existere, qui misero sibi succurrere posset, in Christo autem omnis Salutis maximam plenitudinem esse.

§. MCCCLXXIII.

Cum autem S. Script. ipsissimis Christi verbis omnibus profundam miseriam suam agnoscentibus, onere peccatorum suorum defatigatis, meritum Christi desiderantibus, pio desiderio esurientibus, perfectam in Christo Salutem promittat, Christusque omnibus hisce plena Gratia sese offerat, Peccator hunc Syllogismum facere potest: Jesus Christus meritum cum Gratia sua offert omnibus miseriam suam agnoscentibus, summo desiderio ipsum quærentibus, cum sui abnegatione & totius creaturæ ad ipsum solum confugientibus; Atqui ego ex his sum, E. Christus etiam meus est, E. etiam pro me satisfecit.

§. MCCCLXXIV.

Sequitur deinde animi tranquillitas, acquiescentia atque Pax interna, cum plena in Christo Fiducia conjuncta, atque sincerus erga Christum Amor cum magno ad Gloriam ejus vivendi studio.

§. MCCCLXXV.

Peccator Pœnæ subjectus atque Jure possessionis summi Boni per peccatum privatus est (§. 1276.); Hinc opus habet beneficio Gratiæ, quo tum à Pœna absolvatur, tum ipsi Jus ad Vitam Dei iterum adjudicetur, quod JUSTIFICATIO appellatur. Quo-

§. MCCCLXXVI.

Quoniam homo justificatur per Fidem in Christum, adeo ut Justificatio fidei effectus sit Rom. III. 28. illa Fidem immediate sequitur.

§. MCCCLXXVII.

Doctrina autem de Justificatione Peccatoris per solam Fidem in Jesum Christum unicam Salutis caussam præclarissimum Veræ Religionis Palladium est, quod si sartum tectumque manet, etiam de Religione bene agitur, & articulo hoc stante etiam stat Ecclesia.

§. MCCCLXXVIII.

Diffundit enim se, inquit HERMANNUS WITSIUS, Justificationis Doctrina per totum Theologiæ Corpus, & prout Fundamenta hic vel bene, vel male jacta sunt, eo universum ædificium vel solidius augustiusque ascendit, vel male statuminatum fœdam minitatur ruinam.

§. MCCCLXXIX.

Vox Justificationis condemnationi opposita in S. Script. sumitur de actu forensi, quo homo accusatus à Judice non quidem Justus fit, sed talis declaratur atque probatur Deut. XXV. 1. Prov. XVII. 15.

§. MCCCLXXX.

Unde definitur: Quod sit Actio Dei Judicis, qua homo reus propter solam Redemtionem Jesu Christi per veram Fidem apprehensam, excluso omni operum merito, Justus declaratur, hoc est, ab omni culpa & Pœna liberatur & illi amissum Jus Vitæ æternæ adjudicatur. Rom. III. 24. 25.

Omnis

§. MCCCLXXXI.

Omnis ergo hujus Doctrinæ cardo in hoc versatur: An, excluso omni operum merito atque dignitate, Jesus Christus & Satisfactio ejus per Fidem apprehensa sit unica atque perfectissima remissionis peccatorum atque totius Salutis caussa?

§. MCCCLXXXII.

Id quod lex Jure ab homine postulat, & si id præstiterit ipsi vitam addicit, & ipsum illud Jus sive justa prætensio vocatur Justitia, illiusque adjudicatio Justificatio.

§. MCCCLXXXIII.

Justitia autem illa aut proprio merito acquiritur, aut alieno: in negotio autem gratiosæ Justificationis peccatoris nullum hominis meritum atque Justitiam locum habere posse, sed solum Jus illud quod Christus nobis acquisivit, nunc tum ex ipsa rei Natura & statu hominis, tum ex S. Script. nobis demonstrandum est.

§. MCCCLXXXIV.

Mereri is dicitur, qui id quod non perfecte debet in alios confert, ita ut vires suas in alium potuisset convertere usum.

§. MCCCLXXXV.

Jus autem illud, quod homo opere suo acquisivit, ex lege compensationem postulandi, vocatur *Meritum.*

§. MCCCLXXXVI.

Merces vero est compensatio illa, quæ debetur operi, quo meremur.

Vide

Vide Celeb. *CANZIUM de Usu Philos. Leibn. & Wolf. in Theol. cap. X. §. 309.*

§. MCCCLXXXVII.

Unde vulgari hominum usu duo in Merito requisita adsint oportet 1.) Ut præstentur ea ab homine, quæ non antea perfecte debebat. 2.) Ut vires agendi habeat non illi debitas, à quo remunerationem exspectat.

Vide *BILF. Dilucid. §. 446.*

§. MCCCLXXXVIII.

Ex hisce nunc apparet Meritum sumi 1.) sensu strictissimo, quando alteri boni quid facimus remuneratione dignum, ipsa lege compensationem postulante, uti mercenario merces debetur.

§. MCCCLXXXIX.

Sed cum homo vi dependentiæ suæ à Deo Creatore & Conservatore obstrictus sit ad actiones suas secundum Voluntatem ad Gloriam ejus dirigendas, neque ergo vires suas alio convertere possit, sed propter Beneficia jam accepta omnia debeat: sequitur, quod homo, qui omnes vires suas jam perfecte debet, hoc sensu Bona futura à Deo nequaquam mereri possit.

§. MCCCXC.

2.) Alio sensu meritum dicitur, quando beneficia in alios conferimus, & officia illis præstamus, quæ non ex lege, sed propter convenientiam quandam compensantur; quia operam nostram alii rei potuissemus impendere: ita quis de Patria, de Amicis bene meritus dicitur, quando egregia illis præstitit officia; ex lege autem nullam exspectare potest remunerationem, sed conveniens

veniens tamen est, ut compensatio aliqua sequatur.

§. MCCCXCI.

Sed quis quæso Deo officium aut beneficium tale præstare potest, quod non perfecte ipsi debeat: Ἢ τι προεδωκεν αὐτῷ, και ἀνταποδοθησεται αὐτῷ. Rom. XI. 35.

§. MCCCXCII.

3.) Sensu tandem improprio Meritum appellatur, quando quis talia præstat officia quæ alteri perfecte debet, adeoque non in ipsius potestate est illa facere vel omittere, quæ remunerantur non quidem ex lege, sed per munificentiam remunerantis.

§. MCCCXCIII.

Ita si Deus Legem perfecte servantibus majorem felicitatem id est Vitam æternam promittit, illa compensatio non est ex lege, sed solum ex singulari favore divino.

§. MCCCXCIV.

Ex lege enim non est; cum non sit Meritum proprie sic dictum, cum homo officium illud perfecte debebat, nec vires suas alio convertere poterat (§. 1389.).

§. MCCCXCV.

Sed hac ratione Deus approbare vult opus clementia sua, non æquare vult, nulla enim inter opus finitum & præmium infinitum datur proportio.

§. MCCCXCVI.

Hoc quidem sensu Adamus in statu integritatis majorem & perennem felicitatem mereri potuerat;

tuerat; sed in statu peccati id fieri nequaquam potest, cum opera nostra multa infecta labe ea quam lex postulat rectitudine destituta sint. Jes. LXIV. 6. 1. Joh. I. 8. 9.

§. MCCCXCVII.

Hinc facile patet hominem, quocunque sensu vox Meriti accipiatur, in statu peccati Deum demereri non posse, adeoque nec Justificationem ex proprio fieri merito.

§. MCCCXCVIII.

Id quod S. Script. tam sæpe & tam valide inculcat; omnes enim homines justitia quæ, ex lege est, natura carere, asserit Apostolus Rom. III. 20. 23. & quisquis eam persequitur non assequitur. Rom. IX. 31. 32. X. 3. & homo justificatur absque merito Rom. III. 24. sine legis opere III. 28. imo non justum, scil. propria justitia, sed improbum justificat. Rom. IV. 5.

§. MCCCXCIX.

Neque hic Patrum Ecclesiæ primitivæ dicta in præsidium vocari possunt, qui vocibus merere & merito sæpius utuntur; cum non uno significatu veniant, vide *Dissert. Historico - Theol. JOCHII Tremoniæ editam* 1716. *& DALLÆUM de Usu Patrum L. I. cap. 5. p.* 149. ubi asserit, Patres certis in stilo suo idiotismis uti, vide in specie de vocibus merere & mercedem reportare *CASAUBONUM in Notis ad ÆLII SPARTIANI Adrianum Cæsarem pag.* 40. Ad illustrandam hanc rem præcipue etiam loca quædam ex TACITI Annalibus faciunt, ubi merere milites dicuntur, cum stipendia faciunt, wann sie Kriegs-Dienste thun.

Ita

Ita merere equo **zu Pferde dienen** & *Annal. II.* 10. 4. dicit, *qui in castris ductor meruit*, **er hat als Officier gedienet**, & *Annal. I.* 36.4. Stipendia meritos dixit milites. Merere ergo simpliciter factum notat, non jus, observante *GROTIO, ad Matth.* VI. 1. Adeo ut merere operibus significet opera facere, operibus alicui servire; alias significationes nunc prætereo

§. MCD.

Dici autem nequit, Deum non velle nobiscum summo Jure agere, dum aliquas actiones nostro dominio atque arbitrio subjiciat, quas cum fecerimus nos aliquid mereri, ut congruum sit, Deum illas remunerari; infuso etiam per Baptismum habitu novo, hominem habitu isto bene utentem per liberum arbitrium bona opera præstare posse & per illa acquirere Jus Vitæ æternæ, adeoque justificari.

§. MCDI.

Hoc enim modo Deus committeret actiones seinvicem tollentes, sive sibi invicem repugnantes, quod summæ Dei Sapientiæ maxime contrarium imo, absit Blasphemia dicto, indignum foret.

§. MCDII.

Hominem nimirum ita creavit, ut obligatus sit ad actiones suas non secundum proprium arbitrium, sed secundum Voluntatem Creatoris & Conservatoris dirigendas (§. 767.), ut obtemperandi necessitas ab ipsa hominis Natura proficiscatur (§. 766.); Et Jus Deo competit id postulare ab omnibus creaturis (§. 765.), & Deus vult, ut homo actiones suas dirigat ad manifesta-

tionem Gloriæ suæ (§. 754.), proptereaque homo ad id obligatus est (§. 768.); Si autem Deus certas actiones arbitrio & dominio nostro permitteret, non tantum jure cederet exigendi obedientiam Natura debitam, sed ab una parte hominem obligaret, ut omnes actiones suas secundum ipsius voluntatem ad manifestationem Gloriæ ejus dirigeret, ab altera vero parte actiones illas hominis arbitrio permitteret, ut aliquid vel facere vel omittere in ipsius potestate positum esset, quæ sunt contraria rerum convenientiæ, adeoque Deo indigna.

§. MCDIII.

Eodem modo hæc Dei actio sese haberet, ac si Pater infanti concederet, ut in posterum obedientiam Patri natura debitam in sua haberet potestate, actionesque suas non secundum Patris sed propriam Voluntatem dirigeret, hac cum promissione, ut aliquid mereretur, si actiones illius cum Patris Voluntate convenirent.

§. MCDIV.

Neque si homo post conversionem suam bona edit opera, illa talia possunt habere requisita, quæ merita habeant oportet (§. 1387.): Unde etiam nullum ex ipsis jus ad Vitam æternam consequendam enasci potest (§. 1388. 1394.).

§. MCDV.

Etsi autem concederem, hominis opera post conversionem ope Spiritus S edita, sensu (§. 1392.) allato mereri; nequaquam tamen inde sequeretur, Justificationem per hominis opera fieri posse; In illa enim respectus habetur non tantum præsentium, sed omnium etiam præteritorum peccatorum. Si

§. MCDVI.

Si nunc justo largior essem & concederem, hominem Gratia Spiritus vivificantis conversum opera non tantum vere bona, sed etiam in omnibus legi conformia, ut ne minimus adsit defectus, edere posse, per illa tamen homo in justo Dei judicio absolvi non posset, cum fieri possint tantum pro tempore præsente, non autem pro præterito.

§. MCDVII.

Cum enim homo semper obligatus sit ad actiones suas secundum Voluntatem Dei dirigendas (§. 782. 783.), ille, quamcunque exacte Legem observet, pro tempore præterito illam nunquam servare potest. Quia autem omni tempore præterito peccavit, in Justificatione remedium adsit oportet, quo peccata etiam præteri tatolli & salvis Dei Attributis condonari queant.

§. MCDVIII.

Aut ergo oportet peccata illa actu physico tollantur; aut Deus illa impunita dimittat; aut oportet homo pro iis satisfaciat; aut oportet alia interveniat satisfactio, propter quam Justus Deus Judex hominem absolvere & ipsi Jus ad Vitam æternam addicere potest.

§. MCDIX.

Actu physico tolli nequeunt, cum factum infectum fieri nequeat.

§. MCDX.

Neque peccata à Deo impunita dimitti aut non commissa censeri possunt, Deus enim id per Justitiam suam & reliqua Attributa facere nequit

(§. 553. seqq.), & satisfactio indispensabilis est (§. 907.), nec Deus ullo modo per Attributa sua connivere potest (§. 893 - - 904.).

§. MCDXI.

Homo ipse pro iis satisfacere nequit, cum ipsi impossibile sit, ut ad satisfaciendum divinæ Justitiæ compensationem æquivalentem substituat (§. 914. 915.).

§. MCDXII.

Ad alienam ergo Justitiam, quæ Christi est, confugiendum, quod S. Script. passim verbis clarissimis asserit dicens, id quod Legi per carnem infirmatæ impossibile fuerit, id Deum fecisse, mittendo Filium in similitudine carnis peccati, & condemnasse peccatum in carne per sacrificium pro peccato, ut τὸ δικαίωμα sive justum legis postulatum in nobis impleretur. Rom. VIII. 3. 4.

§. MCDXIII.

Unde Christus sua unius obedientia multos justos constituere potest Rom. V. 18. 19, Et per Redemtionem ipsius justificamur Rom. III. 24. Deus enim non cognoscentem peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2. Cor. V, 21.

§. MCDXIV.

Propterea Deus ipsum proposuit propitiationem per fidem in ipsius sanguine, ad ostensionem Justitiæ suæ, per remissionem præfactorum delictorum. Rom. III. 25.

§. MCDXV.

Modus, quo homo hujus alienæ Justitiæ particeps

ceps fit, vocatur Imputatio per Fidem, cum id quod Christus loco electorum fidelium fecit & perpessus est in ipsorum rationes refertur, quemadmodum in solutum refertur creditori, quod ejus loco solvit vel Expromissor vel Fidejussor.

§. MCDXVI.

In communionem hujus Justitiæ Christi venitur per fidem. Unde illi soli, distincte à reliquis hominis actibus, Justificatio attribui solet. Rom. III. 25. 28. V. 1. Gal. II. 16. Unde non amplius pro injusto potest haberi, qui est in Christo Jesu, cui fides nos inserit. Rom. III. 1. Eph. III. 17.

§. MCDXVII.

Si ergo ipsi electi id in propria Persona fecissent, quod Christus pro iis fecit, dubitandum non est quin id haberent, propter quod à Deo justificari possent, vel saltem ex pacto deberent.

§. MCDXVIII.

Pie autem, sobrie & recte tota hæc de Christi Merito, Redemtionis pretio, Satisfactione, pro fidelibus substitutione atque passione, nec non Justitiæ ejus Imputatione Doctrina explicanda & intelligenda est, ne ridiculis comparationibus verum hujus Dogmatis sensum contorqueamus & profanis hominibus invisum reddamus.

Hoc non observavit Autor Epistolarum *sur la Religion Essentielle*, quando Parte I. Epist. XIX. Doctrinam hanc inter alia sequentibus proponit verbis: „ Encore un coup, de quoi se payera le Souverain Etre? „ Entendons la dessus nos Theologiens. Ils nous di„ sent, que l'Etre infini n'a pu se payer que par des „ souffrances d'un prix infini. Arrêtons-nous ici un „ moment. Le payer par des souffrances! c'est ce

„ que l'on a peine à concevoir. Les hommes eux-
„ mêmes ne se payent gueres de telle monnoie, ex-
„ cepté ceux qu'un esprit de cruauté ou de venge-
„ ance anime. Hors de la les Hommes mediocrement
„ humains n'infligent des peines à d'autres, qu'en
„ vue d'en retirer quelqu' avantage, soit pour eux
„ mêmes, soit pour le public. De quelque façon
„ que je l'envisage, je ne puis concevoir comment
„ la divinité peut être payée, satisfaite par des souf-
„ frances; je ne puis assées m'etonner, que durant
„ tant de Siecles on ait admis cette supposition. Sup-
„ position qui seroit mêmes injurieuse à un homme,
„ & qui detruit necessairement l'Idée de la souve-
„ raine Perfection, *& paucis paginis intermissis 174.*
„ *addit*: Mais j'oublios un point qui fait partie de
„ ce Systeme, & qui ne doit pas être supprimé. Ce
„ n'est pas uniquement par des souffrances que Jesus
„ Christ à satisfait la divinité. C'est, dit on encore,
„ par une Vie toute remplie de bonnes Oeuvres, ceci
„ fait partie de la justice imputée. Les hommes qui
„ se l'apliquent par la Foi, sont reputés, non seule-
„ ment avoir souffert, ce que J. C. a souffert, mais
„ encore avoir fait tout ce qu'il a fait.

„ Oserons nous encore examiner de près ce qu'em-
„ porte cette supposition? On a de la peine à s'y re-
„ soudre: On est obligé pour cela d'entrer dans des
„ precisions qui repugnent, à tout esprit qui respe-
„ cte la divinité, qui la connoit sous l'idée de l'Etre
„ simple, cela est evident: il faudroit supposer la
„ Divinité capable d'imaginer ce qui n'est pas, & de
„ se satisfaire par cet Acte imaginaire.

§. MCDXIX.

Res nimirum ita concipienda est, quod finis pœnarum sit compensatio dissensus per legis violationem introducti (§. 901.); compensationem autem illam vocari Satisfactionem (§. 902.): Neque per infinitam Dei Sapientiam reliquaque Attributa fieri posse, ut per peccatum exortus dissen-

sus

sus & harmonia turbata non compensetur, adeoque Deus rerum ordini à se stabilito non convenienter agat (§. 903. 904.); Homini vero ipsi impossibile esse, ut ordinem & harmoniam illam turbatam restituat (§. 909.), & impossibile esse, ut homo compensationem æquivalentem substituat (§. 914.); Unde si homo ab infinito malo liberandus est, alius ipsius loco compensationem illam æquivalentem Sapientiæ divinæ conformem præstet oportet; Per misericordiam autem Dei ipsi perinde est, an compensatio illa per ipsum hominem, si possibile esset; an vero per alium à Deo ad hoc munus peragendum ordinatum fiat, modo fiat!

§. MCDXX.

Ex quibus patet, Deum nec vendere æternam felicitatem, nec hominem illam emere; ut Deus neque tanquam mercator, nec Christus tanquam emtor considerandus sit: Ut autor Epistolarum illarum Gallicarum impie ridet.

§. MCDXXI.

Apparet etiam Justitiæ divinæ passionibus non aliter satisfieri, quam quatenus illis ordo per peccatum turbatus compensatur, quod maxime divina Sapientia requirit.

§. MCDXXII.

Sed ex assertis etiam voces Substitutionis & Imputationis intelligi possunt, quæ nihil aliud significant, quam per Misericordiam Dei licuisse, ut æquivalens illa compensatio per alium præstetur, eandemque eodem loco à Deo haberi, ac si ab ipso homine præstita fuisset.

Hinc non video quid opus sit, uti Autor Epistolarum citatarum censet, ut Divinitas id sibi imaginetur quod non est, & quod ipsi hoc modo satisfiat per actum aliquem imaginarium ; Non enim opus est, ut Deus aliud sibi repræsentet, quam Compensationem illam æquivalentem loco hominis præstitam esse ; Neque opus est, ut Deus sibi imaginetur ipsum hominem id præstitisse. Nihil magis insulsum est quam si illi, qui forsan nullum Theologiæ revelatæ caput recte intelligunt, & de terminis sive phrasibus Biblicis atque Theologicis nihil minus quam distinctas notiones habent, sed propterea nescio quas Chimæras sibi imaginantur, ex falso suo conceptu sanctissima Dogmata profanorum hominum risui exponere volunt, atque ibi difficultates quærunt ubi res, si modo recte intelligatur, planissima est.

§. MCDXXIII.

Homo per peccatum non tantum Reatum sed & maculam sibi contraxit, sanctitatemque originariam amisit (§. 878.) : Cum vero absque sanctificatione nemo Dominum videre atque cum illo commercium habere possit Heb. XII. 14. Deus enim ipse sanctissimus est (§. 550.), & homo per opus liberationis pristino felici statui restituendus sit ; Sequitur hominem etiam *Sanctificatione* opus habere, ut macula & impuritas peccato contracta ab ipso aufferatur.

§. MCDXXIV.

Ex quibus patet, pro duplici malo etiam duplici remedio opus esse, uno, quo peccati culpa atque pœna, altero, quo ejus impuritas aufferatur ; Neque ergo Justificationem & Sanctificationem diversa Gratiæ divinæ beneficia confundenda esse, alias in opere restitutionis hominis committeretur saltus.

Sancti-

§. MCDXXV.

Sanctitas est habitus faciendi nonnisi quod rectum est.

§. MCDXXVI.

Etsi homo sanctus creatus fuit (§. 791.), tamen per peccatum non tantum sanctitatem originariam amisit (§. 878.), sed & habitum contraxit actiones suas in contrarium dirigendi (§. 847.); Quia autem homo per Negotium Gratiæ in statum perfectum, in quo conditus erat, reducendus, qui Liberationis finis est; Hinc per influxum hyperphysicum hominis status quoad qualitatem tam habituum quam actionum mutandus est.

§. MCDXXVII.

Mutatio hæc *Sanctificatio* appellatur: Quæ est actio Spiritus Sancti realis, qua interne vocati, credentes, regeniti & justificati quoad actiones suas & habitus ita mutantur, ut in ipsis perpetuum studium oriatur faciendi nonnisi quod rectum est, hujus mutationis initium Regeneratio vocatur.

§. MCDXXVIII.

Cum Sanctificatio Peccatoris aliquando universum opus Gratiæ Dei denotet, quod in hac vita in ipso peragitur & omnia Gratiæ beneficia Ezech. XX. 12. Eph. V. 26. aliquando vero tantum illud à Justificatione distinctum opus, quo homo ad imaginem Dei amissam renovatur, atque ad sanctum Veritatis amorem reducitur. 1. Cor. I. 30. VI. 11. Eph. IV. 24. Hinc ad hujus locutionis distinctionem probe attendendum est.

§. MCDXXIX.

Quoniam in locis illis citatis, *ad Corinthios*, sancti-

Sanctificatio aperte à reliquis Gratiæ beneficiis & in specie à Justificatione distinguitur, hinc iterum patet veritas ejus quod jam (§. 1424.) à priori eruimus, nempe Justificationem & Sanctificationem esse duo beneficia à seinvicem distincta.

§. MCDXXX.

Ad actiones bonas edendas requiritur Vita sive actuositas spiritualis, illa autem homini per Regenerationem inditur (§. 1330.); Sequitur E. Regenerationem Sanctificationis initium esse.

§. MCDXXXI.

Cum Regeneratio sit actio supernaturalis adeoque miraculum (§. 1343.), & Sanctificatio etiam immediate proficiscatur ab ipso Deo 1. Thess. V. 23. Patet negotium hoc tam quoad initium, quam quoad progressum esse actionem hyperphysicam.

§. MCDXXXII.

Sanctificatio est mutatio status hominis (§. 1426.); Hinc duabus illa absolvitur partibus, nempe *Aversione* à statu peccati, quæ phrasi Biblica vocatur Crucifixio veteris hominis Rom. VI. 6. ut non amplius serviatur peccato, sed dominium ejus tollitur; & *Progressu* in vitæ sanctimonia, quando homo non tantum sanctiora de Salute sua consilia suscipit, sed magis ac magis ad imaginem Dei, ad quam creatus fuit, formatur, ut in studio Sanctitatis atque sincero Veritatis amore semper proficiat.

§. MCDXXXIII.

Sanctitas illa, ad quam homo reformatur, est habitus (§. 1425.), ad habitum vero consequendum

dum opus est sæpe iteratis actionibus: Unde nec Sanctificatio uno actu perficitur, sed Gratia divina sapientissime opus hoc dispensante successive & paulatim absolvitur. 2. Cor. VII. 1.

§. MCDXXXIV.

Deus agit cum homine tanquam cum Creatura libera (§. 964.), unde Spiritus S. operationes suas ita connectit, ut cum liberis hominis actionibus conjunctæ sint, propterea in homine studium adsit oportet (§. 1427.): E. ab homine otiose exspectandum non est, ut à spiritu agatur, sed donum quod in ipso excitandum est.

§. MCDXXXV.

In Sanctificatione producitur studium faciendi nonnisi quod rectum est (§. 1427.); Rectum autem est illud quod nulli Attributorum divinorum contrariatur (§. 625.); Unde in omnibus actionibus tam in Religione Naturali (§. 771.), quam Revelata (§. 1061.) motiva ab Attributis divinis sunt desumenda, & per Religionem homo obligatus est ad ea officia præstanda, quæ à Deo præcipiuntur (§. 949.); E. norma Sanctificationis sunt Attributa & Lex divina.

§. MCDXXXVI.

Attributa divina sunt immutabilia, cum vero actionis rectitudo in hoc consistat, ut nulli Attributorum divinorum contrarietur (§. 625.); Hinc etiam rectitudo actionum nostrarum immutabilis est, & semper eodem modo sese habet, & per consequens etiam Lex divina ceu norma Sanctificationis immutabilis est, quæ nec augeri nec minui potest, nempe Manifestatio Gloriæ Dei Creatoris & Salvatoris.

Quo-

§. MCDXXXVII.

Quoniam Peccatoris officia semper sunt eadem (§. 1436.): Hinc patet, Christum non novam attulisse Legem, sed novo motivo tantum arctius illam adstrinxisse; quod motivum inde desumtum est, ut fideles juxta exemplum Christi ceu perfectissimam regulam seinvicem diligant, eo modo quo Christus illos dilexit.

§. MCDXXXVIII.

Neque etiam Legi accedere potuerunt nova Consilia, cum Præcepta divina non possint esse nuda Consilia (§. 831.), & contradicat Sapientiæ divinæ, ut actionem aliquam mero hominis arbitrio atque beneplacito committat (§. 1402.).

§. MCDXXXIX.

De hoc Gratiæ divinæ beneficio plura non addimus, sed Sapientiam divinam admiramur, quæ paratæ Salutis applicationem ita dispositit, ut variis miseriæ partibus per peccatum contractis (§. 879.) modo convenientissimo medela afferretur, ut nullum ex malis illis in homine residuum manere possit, quod non radicitus eruatur & tollatur.

§. MCDXL.

Quod ita fit, ut licet fidelibus in hac terra multum corruptionis ad finem vitæ usque adhæreat, certissime tamen ad consummationem perventuri sint; alias totum Salutis negotium fuisset frustraneum, quod Sapientiam divinam minime deceret, omnia in rerum nexu ita subordinat, ut unus Finis semper sit medium alterius, & ut omnia media & Fines particulares tandem tendant ad obtinendum Finem universalem, nempe Gloriæ suæ manifestationem.

Deus

§. MCDXLI.

Deus Finem, propter quem totum hoc Universum condidit, assequi non potuisset, nisi in illo etiam creaturas rationales constituisset (§. 685.), per illas ergo in genere & per hominem in specie Finem suum obtinere debet; manifestatio autem Gloriæ divinæ totum omnium Attributorum divinorum complexum comprehendit. Unde ad finem hunc consequendum homo Salvatus in talem statum perveniat oportet, in quo aptus fit ad omnia divina Attributa illustranda & celebranda, qui status consummationis est; E. necesse est, ut homo ad statum consummationis certissime perveniat.

§. MCDXLII.

Hoc enim si non fieret, Deus non tantum finem suum non obtineret, sed totum Salutis Negotium nil nisi conatus irritus & frustraneus esset, quod de Deo cogitare illius tum Sapientiæ tum Omnipotentiæ quammaxime contradicit, quæ nil frustra nec velle nec efficere potest.

§. MCDXLIII.

Cui rei S. Script. assensum præbet, dum dicit, omnes Gratiæ salutiferæ partes ita inter se esse connexas, ut ad consummationem tandem tendant. Rom. VIII. 29. 30.

§. MCDXLIV.

Unde homines, qui semel per Vocationem efficacem sanctiora de Salute sua inierunt consilia, & vias suas mutare firmiter atque constanter sibi proposuerunt, ad novam porro vitam fuere regeniti & ex morte spirituali resuscitati, qui vivæ fidei

fidei desiderio Christum ceu unicam atque perfectissimam salutis caussam assumserunt; qui propterea à Deo Judice propter Christi Justitiam fuere justificati, & per Sanctificationem veræ fidei fructus exhibent, non possunt non ad ultimum horum beneficiorum finem tandem pervenire.

§. MCDXLV.

Ipsa etiam Electio Dei ab initio fuit ad Salutem in Sanctificatione Spiritus & Fide veritatis 2. Thess. II. 13. & Deum Vocationis cum omnibus donis nunquam pœnitet, ut consilium suum mutet. Rom. XI. 29. & qui in Christum credit perire non potest. Joh. III. 16. sed jam habet vitam æternam. Joh. VI. 47. Et nulla amplius condemnatio potest esse in illis, qui sunt in Christo Jesu, ut jus quod Justificatio addicit sit irrevocabile. Rom. VIII. 1. & præsidium Gratiæ, quod in Omnipotente Dei Virtute consistit, insuperabile est. 1. Pet. I. 5.

§. MCDXLVI.

Perducitur autem homo ad consummatam Salutem suam demum per mortem corporis, bono enim certamine certato & cursu consummato in illa die justus Judex perfectæ justitiæ coronam dabit. 2. Tim. IV. 7. 8.

§. MCDXLVII.

Morti ut homo succumbat fit sapientissimo Dei consilio, propter peccati inhabitantis reliquias plane extinguendas. Rom. VIII. 10.

§. MCDXLVIII.

Neque illa amplius Pœnæ rationem habet, sed bene-

beneficii potius 1. Cor. XV. 55. Unde Fideles, nisi aliquid aliud obstiterit, illam tanquam liberationem anhelant. Luc. II. 29. Phil. I. 23.

Mors etiam inservit depositioni certarum qualitatum naturalium corporis, præprimis illarum quæ illud corruptibile faciunt, quod Apostolus Paulus prolixe explicat, inculcat atque probat 1. Cor. XV. Sed aliæ adhuc possunt esse rationes mortis Corporis, multa nimirum Deus hominibus in hoc seculo sapientissime voluit esse occulta, ut Fidei hoc modo semper aliquid reservaretur, & ipsi dignitas sua maneret; si enim sensibus perciperemus homines vivos à nobis in alium transferri locum, Fides non amplius esset ἐλπιζομένων ὑπόστασις & firma persuasio rerum non conspectarum Hebr. XI. 1. neque quidquam esset, quo Sapientes hujus Mundi in Sapientia sua vani fierent; nec stulti & contemti secundum carnem ullam prærogativam haberent, magnum enim mysterium est Corporis Resuscitatio & nova cum anima post mortem superstite communio atque unio, non Sapientiæ carnalis sed Fidei objectum. Et tandem quia Deus solenni aliquo die omnes vias suas justificaturus est, modo Majestati atque Omnipotentiæ suæ convenientissimo, universalis illa per vocem Omnipotentis, *redite Filii hominum!* renovatio maxime huic rei congrua est.

§. MCDXLIX.

Animæ autem post hanc vitam felicitas maxima in hoc præcipue consistet, quod ad finem manifestationis Gloriæ Dei, ad quem non illa tantum, sed totum Universum creatum est, aptissima fiet, alias Deus scopum suum non obtineret propter quem omnia condidit.

§. MCDL.

Ad hoc requiritur, Fini divino convenienter, ut omnes ignorantiæ tenebræ atque corruptionis maculæ penitus dispellantur & abstergantur:

Hoc enim maximum malum eſt peccato contractum, quod impedit quo minus anima in hac vita officio ſuo perfungi, Deumque ex operibus ſuis debito modo agnoſcere atque celebrare poſſit.

§. MCDLI.

Et ita omnia Dei opera tam Naturæ quam Gratiæ in omni admirabili ſuo nexu intime atque perfectiſſime cognoſcet cum omnibus Dei viis. Hic tantum particulas quasdam ſtupendi divini operis cognoſcimus, & plerumque extra rerum nexum, ut in plurimis plane cœcutiamus; tunc autem elegantem omnium operum ſapientiſſimi Creatoris atque Salvatoris Harmoniam atque mirandam conformitatem pleniſſime cognoſcemus, ad id enim anima creatura rationalis condita eſt. (§. 685.).

§. MCDLII.

Et cum totum Univerſum, cum omni quod illud complectitur ſive in Regno Naturæ ſive Gratiæ, ſit Speculum Attributorum divinorum & Deus per opera ſua hominibus cognoſcendum ſeſe præbet, ut ex creaturarum conſideratione tanquam per ſcalam ad Deum aſcendamus, quod ſupra de Attributis divinis in hoc Mundo manifeſtatis agentes probatum dedimus; Hinc ex diſtincta & perfecta Univerſi cognitione etiam fluit diſtincta atque perfecta, (non quidem adæquata, cujus creatura finita capax non eſt) ipſius benigniſſimi Creatoris, Conſervatoris atque Salvatoris cognitio; ut anima agnoſcat totam Dei Gloriam, ſive complexum omnium divinorum Attributorum in variis generis operibus manifeſtatorum; ut ergo tum demum univerſalem Finem crea-

creatione Universi intentum, nempe Gloriæ suæ manifestationem Deus obtineat, quando Anima luce illa cœlesti perfusa erit.

§. MCDLIII.

Ita Anima ipsum perfecte cognoscet, sive videbit uti revera est, & cognoscemus sicuti nos cogniti sumus. 1. Joh. III. 2. 1. Cor. XIII. 12.

§. MCDLIV.

Et non potest non Deum ita cognitum, ut Ens intensissimo Amore dignum, etiam intensissime & constantissime amare, unde solidissima resultabit Lætitia.

§. MCDLV.

Eumque profundissima Adoratione atque Veneratione dignissimum, maxima cum voluptate summis prædicabit laudibus, in quarum materiam adhibebit, non tantum quæ in hac vita Anima experta est, sed ea etiam quæ unquam in toto hoc Universo contigerunt.

§. MCDLVI.

Et hoc modo futuræ vitæ Beatitudinem summamque Animæ post mortem felicitatem, ex ipso, propter quem condita est, fine deduximus atque expositimus, quod etiam nexui atque relationi, quam Anima ad totius Universi Systema habet, in quo omnes rationes particulares tendunt ad universalem, quam maxime consentaneum est. Æternum fore statum huncce S. Sc. asserit 2. Cor. V. 1. Matth. XXV. 46.

§. MCDLVII.

Ubi locus Beatitudinis tum corporis cum ani-

mæ futurus ſit, incertum eſt : Chriſtus dicit, in Domo Patris ſui multas eſſe habitationes, ut multa in toto rerum Univerſo poſſint eſſe loca, quæ Paradiſum illum cœleſtem conſtituunt, ubi creaturæ rationales ab omni peccato ejusque ſequelis, maxima rerum & propterea ipſius Dei cognitione præditæ, maxima lætitia perfrui & in ſumma felicitate degere poſſunt.

§. MCDLVIII.

Bene de hac re differit Illuſtris ille Philoſophus LEIBNITIUS in cauſſa Dei §. 58. Nempe, inquit, Tellus noſtra non eſt, niſi ſatelles unius ſolis, & tot ſunt ſoles, quot ſtellæ fixæ, & credibile eſt, maximum eſſe ſpatium trans omnes fixas. Itaque nihil prohibet, vel maxime Regionem trans ſoles, habitari felicibus Creaturis. Quanquam & Planetæ eſſe poſſint, aut fieri, ad inſtar Paradiſi, felices. In domo Patris noſtri multas eſſe manſiones, de cœlo beatorum proprie dixit Chriſtus, quod Empyreum vocant Theologi quidam, & trans ſidera, ſeu ſoles, collocant ; etſi nihil certi de loco beatorum adfirmari poſſit : interim & in ſpectabili Mundo multas creaturarum rationalium habitationes eſſe, veriſimile judicari poteſt, alias aliis feliciores.

§. MCDLIX.

Hæc omnia fabulas, lenes cantiones atque præjudicia plebis eſſe arbitrantur homines profani, quæ ne probabili quidem nitantur certitudine.

§. MCDLX.

Ad has autem criminationes retundendas omnia faciunt argumenta, quæ ad Juſtitiam Dei demon-

monſtrandam, ad Animæ immortalitatem probandam, ad Revelationis neceſſitatem & veritatem evincendam, omnia denique quæ de fine hujus Univerſi atque Creationis animæ attulimus.

§. MCDLXI.

Si Cœlum fingeremus Turcicum variis voluptatibus corporalibus refectum; ſi ea quæ carnem titillant, aut ſenſus ſolum delectant pro futura animæ felicitate venditaremus; ſi talia aſſereremus, quæ nullum nec cum hac vita nec cum animæ natura atque fine, propter quem condita eſt, nexum haberent; tunc omnino Juvenilia, tunc Fabuloſa forent, quæ de Animæ poſt hanc vitam ſtatu adſtruximus.

§. MCDLXII.

Sed ex animæ Natura atque tum ipſius tum totius Univerſi Fine ipſam beatæ Vitæ naturam atque veritatem derivavimus, ut nihil naturæ Animæ atque Attributis divinis convenientius, nihil dignius, eſſe poſſit.

§. MCDLXIII.

Creatura nimirum rationalis, quamprimum ad ſemetipſam attendit, ſtatim deprehendet, ſe *ad cognoſcendum* in hoc mundo poſitam eſſe, absque hoc enim tota immenſi Univerſi moles fruſtra foret, neque alio, quam ſemetipſa, indiget teſte Anima, ſe non aliam ob cauſſam cognitione ſive facultate cognoſcitiva præditam eſſe, quam ut ex conſideratione hujus Mundi intelligat inviſibilia Dei, ipſamque ſempiternam ejus Virtutem Divinitatemque, & hoc modo Potentiſſimum & Sapientiſſimum non minus ac Benigniſſimum hujus Mundi artificem atque Conditorem magni faciat.

§. MCDLXIV.

Animadvertit autem porro, ſe in hac vita tantis ſub tenebris jacere ſepultam, ut fini huic ſatisfacere minime poſſit, dum nec ſtupendam hujus Univerſi magnitudinem, ut inde Dei Omnipotentiam atque Infinitatem, nec ingentem creaturarum viventium numerum, ut inde Creatoris Bonitatem, nec admirabilem ejus ſtructuram, univerſalem omnium rerum nexum atque harmoniam, ut inde ejus Sapientiam, neque in Regno Gratiæ admiranda illius opera, ut inde ejus Clementiam, Omniſufficientiam, Sapientiam, Juſtitiam, debito modo cognoſcere atque celebrare queat.

§. MCDLXV.

Propterea æterna anhelat, officio & fini ſuo ſatisfacere cupit, ut Deum ex Operibus ſuis cognoſcere, ut illum propterea amare, ut adorare, ut Gloriam ejus laudare & celebrare poſſit.

§. MCDLXVI.

Dum enim, ſunt verba Philoſophi illuſtris, in hoc Mundo verſamur, non ſumus in vero Centro. Conſideramus miranda Dei opera & creaturas non aliter ac ſi inter Scenas Theatri cujusdam ſecundum regulas optices pictas conſtituti eſſemus, ubi nihil niſi rudera, figuras inconditas & male cohærentes reperimus, & artem Magiſtri admiramur quidem, ſed pulcherrimo proſpectu Univerſi frui non poſſumus. Si quando ad πᾶ beatorum perveniemus, totum univerſum tanquam in vero Centro nobis erit aſpectabile, miraculum voluptate intuentium.

Ipſa

§. MCDLXVII.

Ipsa porro Anima sibi conscia est, se ita conditam esse, ut actuosa sit, & quidem ita ut principiis Rationis atque Religionis conformiter agat, hoc est, ut omnes actiones ita sint connexæ, ut una alteri non contradicat, sed ad communem aliquem finem tendant, adeoque propriam perfectionem Deique Gloriam semper respiciant, quod si fit inter omnes actiones sapientissima Harmonia reperitur.

§. MCDLXVIII.

Sed facile deprehendimus, actiones nostras maxime esse inordinatas, ut ad propriam potius destructionem quam perfectionem tendant, & ab universali Gloriæ Dei fine multum declinent; & sic Nexus harmonicus, quem divina Sapientia constituit, destruitur.

§. MCDLXIX.

Et licet munificentissimus Deus pro inexhausta libertate sua revelaverit, quomodo huic malo medela adhiberi possit, pauciſſimi tamen sunt qui hoc remedio utuntur, & qui utuntur, ordinem per peccatum vastatum in hac vita perfecte restituere nequeunt, sed actiones adhuc quammaxime inordinatæ sunt, ut fini in quem conditi sunt hi homines nondum perfecte inservire possint.

§. MCDLXX.

Unde vel ipsa Ratio ex propriis principiis certissime concludit, dari alteram Vitam, ubi in omnibus actionibus sapientissima erit harmonia atque perpetuus ordo ad debitum finem serie non interrupta tendens, Sapientiæ Creatoris atque illius Fini maxime congruus.

§. MCDLXXI.

Ita Sapientia divina tum perturbationi huic ſcite remedium afferet, atque corriget, quæ in hac vita moraliter inordinata fuere.

§. MCDLXXII.

Et cum hiſce omnibus, quæ hactenus ex Rationis principiis de futuro Animæ fidelium felice ſtatu adſtruximus, ipſa Revelatio, quæ indubitatis divinis characteribus ſeſe cujusvis conſcientiæ commendat, ubique conſpirat, ut dubitationi nullus amplius locus ſupereſſe poſſit.

§. MCDLXXIII.

Imo ſi nulla poſt hanc Vita ſupereſſet, nihil optabilius foret, quam talem futuram.

Sectio XX.

De

Civitate Dei.

§. MCDLXXIV.

Societas eſt certus Perſonarum numerus, quæ pacto unitæ ſunt ad commune bonum unitis viribus promovendum.

§. MCDLXXV.

Civitas Dei eſt Societas vocatorum fidelium ſub Rectore Deo ſacram communionem inter ſe colentium, ad promotionem propriæ Salutis atque Gloriæ divinæ, publicæ omnium pacis atque tranquillitatis ut & harmoniæ, decoris, pulchritudinis impetrabilis cujuslibet.

Cum

§. MCDLXXVI.

Cum Civitas hæc constet ex evocatis Fidelibus, etiam vocatur Ecclesia. Matth. XVI. 18. Eph. V. 25. Sæpius tamen in S. Litteris Vox Civitatis Dei adhibetur, quæ ab AUGUSTINO etiam retenta fuit, & nobis voce Ecclesiæ hic commodior visa ad sequentia demonstranda, unde cum AUGUSTINO ex S. Litteris eam retinemus.

§. MCDLXXVII.

Quodlibet hujus Civitatis Membrum vel seorsim potest considerari, quidque ejus officium sit, ut Gratiæ divinæ particeps fieri, propriamque Salutem cum Glorificatione Dei promovere possit; vel omnes Civitatis consortes considerantur, quatenus unam constituunt Societatem, sub Rectore aliquo constitutam, quodque tum universorum in Societate hac conjunctorum, tum singulorum cum respectu ad Societatem illam officium sit.

§. MCDLXXVIII.

Prius in præcedentibus ex principiis suis evolvimus, nunc de tota hac Societate simul spectata pauca addenda sunt.

§. MCDLXXIX.

Cum in Societate id intendatur, ut commune bonum promoveatur (§. 1474.), necessum est, ut cura illa, qua finis initæ Societatis quæritur & obtinetur, Personis vel uni vel pluribus deferatur, vel propter relationem quandam per se competat.

§. MCDLXXX.

Illa Persona, cui cura hæc vel demandata est,

vel natura competit, vocatur Princeps, Rector vel Caput.

§. MCDLXXXI.

Illi qui ſe obligarunt, vel natura obligati ſunt, propter commune bonum ſecundum Principis Voluntatem actiones ſuas dirigere, vocantur Subditi.

§. MCDLXXXII.

Unde inter Principem & Subditos oritur obligatio mutua, quæ habet rationem Fœderis.

§. MCDLXXXIII.

Ad finem per Societatem quæſitum obtinendum, Perſona illa, quæ Boni communis curam gerit, ita comparata ſit oportet, ut omnia ſapienter ad propoſitum finem dirigere ſciat & poſſit, ſive ipſa id exſequatur, ſive per alios tanquam Media id fiat, alias finis obtineri non poſſet atque Societas irrita foret.

§. MCDLXXXIV.

Cum Civitas Dei ſive Eccleſia ſit talis Societas (§. 1475.) quæ certa bona quærit, nempe propriam atque æternam Salutem, promotionem Glorificationis divinæ, tranquillitatem, Harmoniam atque pulchritudinem univerſalem (§. cit.); hinc etiam ejus Rector vel Princeps ita comparatus ſit oportet, ut omnia ad finem hunc dirigere ſciat & poſſit, cuique Jus hoc vel demandatum eſt à ſubdito, vel naturali erga ſubditos relatione competit.

§. MCDLXXXV.

Unde nullum inter Chriſtianos dubium eſt, Chriſtum eſſe hunc Principem, ſupremum Dominum

num ac Regem, cui in Civitate Dei regimen hoc competat; unde Petrus ipsum appellat Principem & Salvatorem, quem Deus ad dextram suam exaltavit Act. V. 31. & vocatur Rex Regum & Dominus Dominantium Apoc. XIX. 16. & Caput Ecclesiæ Eph. I. 21. 22.

§. MCDLXXXVI.

Omnia enim ipsi competunt Attributa, quæ ad Regimen hoc administrandum necessaria sunt. α. Ipsi hæc potestas delegata est à Patre omnium rerum summo Domino, qui ipsi dedit omnem Potestatem in Cœlo & in Terra Matth. XXVIII. 18. & omnia subjecit pedibus ejus & ipsum dedit Caput super omnia Ecclesiæ, Eph. I. 22. Phil. II. 9. 10. 11.

§. MCDLXXXVII.

β. Ipsi Jus hoc competit propter relationem, quæ inter ipsum & Ecclesiam intercedit, illam enim redemit proprio sanguine Act. XX. 28. ut ejus peculium esset. 1. Pet. II. 9.

§. MCDLXXXVIII.

γ. Et tota Ecclesia ipsum agnoscit Dominum Esaj. XXXIII. 22. Phil. II. 10. 11. Ps. VIII. 10.

§. MCDLXXXIX.

δ. Nihil porro ipsi deest quod ipsum hoc munere dignum facit, summa enim gaudet Scientia, qua reconditissima tum suorum tum hostium opera novit & ipsa corda scrutatur. Rom. II. 16. Apoc. II. 23.

§. MCDXC.

Summam habet Sapientiam, qua omnia sapientissime in Ecclesia sua administrat & dirigit, ut

ut etiam adversa in Salutem subditorum suorum cedant; imo Civitatem suam pro cujusque membri constitutione & circumstantiis temporum prudentissime regit; unde ipsi Spiritus Sapientiæ & Consilii Esaj. XI. 2. & thesauri Sapientiæ adscribuntur. Col. II. 3.

§. MCDXCI.

Præterea summa ipsi competit Potentia, qua Salutem æternam acquisivit, eam subditis suis applicat, illamque adeo promovere, membra Civitatis suæ Glorificationi divinæ aptos reddere, qua illam adversus omnes inimicos defendere, ab omni malo liberare, publicam pacem & tranquillitatem conservare & restaurare, subditos omnibus donis necessariis instruere, Harmoniam, decus, pulchritudinem Civitatis ad summum gradum provehere, è morte tandem suscitare & Vita æterna donare potest: Qui ergo commune Bonum Societatis illius spiritualis optime promovere & scit & id facere potens est.

§. MCDXCII.

Et tandem Justissimus Judex est, qui unicuique absque prosopolepsia secundum opera rependet. 2. Cor, V. 10.

§. MCDXCIII.

Christus igitur Potestatem Principis Ecclesiæ possidet, tum quia ipsi legitime demandata fuit (§. 1486. 1488.), tum propter relationem quæ inter ipsum & subditos suos intercedit (§. 1487.), tum quia omnia summi Principis Attributa possidet (§. 1489 -- 1492.); E. legitimus Civitatis Dei Rex atque Dominus est (§. 1480. 1483.). Q. E. D.

Talis

§. MCDXCIV.

Talis potestas mero homini, quisquis sit, nec competit nec competere potest.

§. MCDXCV.

α. Nulli enim unquam hominum Universalis atque Monarchica Potestas in totam Ecclesiam à supremo omnium rerum Domino delegata est, de hac re altum silentium in S. Script. & veneranda antiquitate, quæ certe in re tanti momenti non sileret.

§. MCDXCVI.

Hoc enim Apostolo Petro non contigisse ex sequentibus patet 1.) quia autoritate hac nusquam usus legitur, si enim eadem ipsi quæ Christo Potestas fuisset, Apostolos ordinare potuisset, quod ipse non fecit, sed communis Apostolorum consessus duos elegit, de quibus sors jacta est, & eventus ejus à Domino exspectatus Act. I.

§. MCDXCVII.

Sed 2.) nec, ipse præsens, septem ordinavit Diaconos, sed id ab Ecclesia factum, & à communi Apostolorum Concilio manuum impositione inaugurati fuere. Act. VI. 2-6.

§. MCDXCVIII.

3.) Neque superior ab inferioribus mittitur, Petrus autem cum Johanne à reliquis Apostolis Samariam missus fuit. Act. VIII. 14.

§. MCDXCIX.

4.) Nec etiam infallibilitatem suam allegat vel summam autoritatem, increpatus cur Gentilibus Evangelium annuntiaret. Act. XXI.

5.) Tres

§. MD.

5.) Tres in prima Ecclesia Columnæ fuere visi & quidem Petrus non primo sed secundo loco, nam Jacobus illi præponitur Gal. II. 9. ut & Act. XV. 13. ubi Jacobus, non Petrus, vota Apostolorum in primo Concilio Hierosolymitano collegit, & decretum communi Apostolorum nomine exaratum fuit: Ut adeo Petrus nec hic ulla supra reliquos dignitate & autoritate usus sit.

§. MDI.

6.) Acriter à Paulo increpatus fuit, præsentibus omnibus, quod non recto pede incederet, Gal. II. 14. Quod Paulo, Petro inferiori, erga infallibili autoritate præditum facere non competivisset.

§. MDII.

7.) Neque Paulus à Petro ordinatus ut Gentibus Evangelium annunciaret; uti nec Jacobus & Johannes, ut cum Petro Judæis prædicarent, sed data invicem manu Societatis, communi horum quatuor consensu, prior gentibus, posteriores Judæis evangelizarunt. Gal. II. 7 - 9.

§. MDIII.

8.) Nec ulla tandem in Epistolis ejus deprehenduntur vestigia, quod aliquam, nedum summam, in Ecclesia Autoritatem & Potestatem supra omnes reliquos Ecclesiæ Ministros atque Episcopos sibi tribuat, uti id à Pontificibus Romanis in omnibus Rescriptis suis fieri solet, sed potius se reliquorum Compresbyterum vocat, ipsosque dehortatur, ne dominentur Clericis, sed potius gregis exemplaria fiant. 1. Pet. V. 1. 3.

9.) Et

§. MDIV.

9.) Et Christus in genere omnes Apostolos acriter increpat, quod Primatum vel Dominatum aliquem in Regno suo ambirent, ipsosque passim valide refutat. Matth. XVIII. XX. Luc. XXII.

§. MDV.

β. Sed munus hoc etiam nec ab Apostolis aut Ecclesia cuiquam concessum legitur, licet pedetentim dolo atque variis artibus usurpatum fuerit, neque quisquam est, qui litteras credentiales exhibere possit.

§. MDVI.

γ. Nulla etiam relatio naturalis inter Petrum vel alium hominem & Ecclesiam intercedit, quæ illi Jus tribueret, summo in illam utendi Dominio, uti inter Creatorem & creaturas, inter Salvatorem & salvatos intercedit, quæ creaturas & lytro pretiosissimo redemtos obligat ad non pro suo arbitrio, sed secundum Voluntatem supremi sui Domini atque benefactoris vivendum.

§. MDVII.

δ. Omnia porro homini mero desunt requisita, quæ muneri huic fungendo necessaria sunt, neque enim tali præditus est Scientia, ut quid in Regno plane spirituali ubique Terrarum geratur noscat, & discernere possit, num subditi officio suo satisfaciant, ubi leges fundamentales sunt Fides, vera Resipiscentia & sincerum Cor.

§. MDVIII.

Et uti de interna magis quam externa obedientia agitur, homo leges præscribere nequit; nec nisi ille, qui cordium inspector est, in conscientiæ

entiæ foro coactiva potestate uti potest ; Nec maximis tormentis conscientia adigi potest, ut actionem, quam hactenus approbavit, nunc damnet , nisi vis vorticordia interveniat.

§. MDIX.

Quis porro mortalium tam Sapiens est, qui in Regno plane spirituali omnia maxima cum prudentia administrare possit, ut in æternam subditorum Salutem cedant.

§. MDX.

Et quis tam Potens, ut subditos Glorificationi divinæ & perpetuæ felicitati, Societatis hujus ultimo fini, aptos reddere, qui imminentia pericula avertere, qui hostes Ecclesiæ debellare, Ecclesiæ tranquillitatem aut conservare aut restaurare, Civitatem Dei omni decore exornare & ad summum pulchritudinis gradum perducere queat?

§. MDXI.

Cui ergo nec Jus (§. 1480.), nec qualitas (§. 1483.) Principis vel Regis Civitatis alicujus competit, illi etiam nec Dominium in talem Rempublicam exercere competit, sed merus Usurpator est ; atqui mero homini nec Jus (§. 1494 -- 1506.) competit, nec requisita adsunt, quæ ad Civitatem Dei gubernandam ita necessaria sunt, ut absque illis Societatis hujus finis obtineri nequaquam possit (1507 -- 1510.) ; E. Dominium supremum in Regno illo spirituali Civitatis Dei nulli mortalium competit, sed qui illud sibi attribuit nil nisi Usurpator est.

§. MCXII.

Et cum Jesus Christus ipsemet ubique præ-

sens

sens ad consummationem seculi usque Matth. XXVIII. 20. & regimen illud spirituale corda subditorum respiciens ipsemet administrare, & perOmnipotentiam suam quæcunque vult in cœlo & terra efficere possit, & Legem suam scriptam dederit, secundum quam judicat, ne quidem Monarchia visibili opus est.

§. MDXIII.

Membra Civitatis Dei sacram inter se communionem colunt (§. 1475.): Cum vero Societas plane spiritualis sit, cujus finis Bona spiritualia respicit; Hinc communio illa etiam spiritualis est, & quidem 1. *Interna*, quæ consistit in una eademque fide & charitate mutua, colligante omnes spiritu eodem, qui ex capite Christo in omnia corporis Mystici membra fluit. Eph. IV. 15. 16.

§. MDXIV.

Actiones autem illæ, quæ ad communem finem nempe propriam Salutem & Dei Glorificationem tendunt, etiam externæ sunt, Deus enim colendus est non anima tantum, sed & corpore 1. Cor. VI. 20. & cum homines aliorum corda nosse nequeant, hinc Communio illa etiam *Externa* esse debet, quæ alia esse non potest quam fini Societatis obtinendo accommodata, quæ propterea consistit in veræ fidei professione, cultus publici exercitiis, & charitatis ministeriis. Heb. X. 24. 25.

§. MDXV.

Hinc illi qui hæc præstant, adeoque externe fideles se mentiuntur, & Hypocritæ sunt, dum interna communionis vincula desunt, tamen in

communione externa versari possunt, reliquis Societatis membris qua tales non noti.

§. MDXVI.

Illi propterea, qui ad communionem externam tantum pertinent, semper distinguendi sunt ab iis, qui simul internam habent, non enim omnes sunt Israel qui sunt ex Israel Rom. IX. 7. & in magna domo dantur vasa ad decus & ad dedecus 2. Tim. II. 20.

§. MDXVII.

Et licet communi fidelium Societati multo conducibilius nec minus optabilius esset, ut tota Civitas ab omnibus civibus communi bono promovendo minus utilibus pura esset, cui rei ipsis etiam invigilandum, ne ejusmodi homines Glorificationi divinæ atque pulchritudini Civitatis officiant; tamen Sapientiæ divinæ placuit ita gubernare civitatem suam ut mali mixti bonis in illa omni tempore reperiantur, eas præcipue ob caussas, ut carnis impotentia eo magis patefiat, ut fideles eo cautius sibi caveant ne ex hypocritarum numero sint, ut tandem impii reddantur ἀναπολόγητοι.

§. MDXVIII.

Civitas Dei est mixta malis (§. præced.), hinc crescente illorum numero Ecclesia externa tum ratione professionis fidei, tum cultus divini externi, tum morum ita potest corrumpi, ut hæc corruptio in maximum Gloriæ divinæ atque Salutis animarum æternæ, nec non decoris Civitatis Dei detrimentum cedat, adeoque finis hujus Societatis non obtineatur.

Quo-

§. MDXIX.

Quoniam Societas est propter Finem aliquem per illam quæsitum (§. 1474.), illa etiam amplius subsistere nequit, si impossibile sit, ut Finis, propter quem initur, obtineri queat. Si ergo Civitas Dei, quæ est talis societas (§. 1475.), quoad communionem externam ita corrupta sit, ut finis illius amplius obtineri nequeat (§. 1518.), tunc nec Societas illa, quæ communionem illam externam hactenus constituit, amplius subsistere potest.

§. MDXX.

Propterea si talis corruptio universalis in Ecclesia externa accidat, veri illius cives nec possunt nec tenentur porro in societate illa manere, sed jubentur ab illa sese separare Esaj. LII. 11. 2. Cor. VI. 17. Apoc. XVIII. 4.

§. MDXXI.

Nota dicitur id, ex quo res cognoscitur & à reliquis distinguitur.

§. MDXXII.

Per Notas res cognoscitur, E. Nota prius quam res ipsa cognita sit oportet.

§. MDXXIII.

Cum porro nostri officii sit, nos ab illa Ecclesia, quæ propter corruptionem universalem falso se Civitatem Dei jactat, separare (§. 1520.); hinc Notæ adsint oportet, per quas vera Ecclesia cognoscitur & à falsa distinguitur.

§. MDXXIV.

Vera Ecclesia nonnisi ex communione exter-

na cognosci potest (§. 1515.), id autem ex quo aliquid cognoscitur vocatur Nota (§. 1521.): E. veræ Ecclesiæ Notæ in hoc consistunt, quod communionem illam externam efficit.

§. MDXXV.

Communio externa consistit in veræ fidei professione, cultus divini exercitiis atque charitatis ministeriis (§. 1514.), quæ ita comparata sint oportet, ut Fini Societatis conveniant, adeoque tendant ad propriam Salutem, Dei Gloriam & Civitatis pulcritudinem (§. 1475.): E. veræ Ecclesiæ Nota est talis Fidei professio, cultus divinus atque Charitatis opera, quæ ad Finem Societatis hujus spiritualis tendunt.

§. MDXXVI.

Nota prius quam res ipsa cognita sit oportet (§. 1522.): E. etiam Notæ veræ Ecclesiæ prius notæ esse debent, quam quænam sit vera Ecclesia.

§. MDXXVII.

Notæ autem illæ sunt veræ Fidei professio, rectus Dei cultus atque opera Charitatis tendentia ad Societatis hujus spiritualis finem: E. aliquis prius nosse debet Veritatem, antequam cognoscere potest, quænam sit vera Ecclesia.

§. MDXXVIII.

Ex Natura ergo & definitione Notæ evidens est, non tales Ecclesiæ posse dari Notas, per quas in hunc finem ad Ecclesiæ veræ cognitionem pervenire aliquis potest, ut deinceps per Ecclesiam Veritatis salutaris cognitionem acquirere possit; sed qui veræ Ecclesiæ communioni se adjungere vult

vult, prius noscat oportet Veritatem salutarem, per cujus professionem vera Ecclesia visibilis cognoscitur & à reliquis distinguitur.

Ita infidelis, sive sit Ethnicus, sive Muhammedanus, sive Judæus ante cognitam Veritatem salutarem scire non potest, quænam sit Ecclesia vera, alias res notificanda ipsi nota esset ante illud, per quod cognosci potest, quod absurdum.

§. MDXXIX.

Ex genuina hac Notæ Significatione nunc nullo negotio falsi nominis Notæ Ecclesiæ à veris distingui possunt; nam vera Nota est notior re notificanda, per illam res cognoscitur & ab omnibus aliis distinguitur.

§. MDXXX.

Id quod primum in re concipitur sive cognoscitur & per quod res ab aliis distinguitur, est rei Essentia, ex qua ratio reddi potest reliquorum, quæ ei insunt aut inesse possunt (§. 297.); Nota autem alicujus rei est id quod primum de re cognoscitur & per quod ab aliis rebus distinguitur (§. 1521.): E. Nota Characteristica constituit rei Essentiam. Veritatis salutaris professio, verus cultus & charitatis officia efficiunt Notam Characteristicam veræ Ecclesiæ visibilis (§. 1525.): E. illius Essentiam constituunt.

§. MDXXXI.

Essentia rei semper, omni loco & omni tempore competit: E. etiam Nota Characteristica rei semper, omni loco & tempore competit.

§. MDXXXII.

Cum nomina sint signa arbitraria rerum, &

quisque sibi etiam falsum nomen tribuere possit, & sæpissime fiat, ut in rebus mutabilibus re mutata nomen tamen idem maneat, & viceversa re manente novum ipsi nomen imponatur, & etiam idem nomen, si prædicatum efficiat, eidem rei non omni tempore competat, adeoque nomen à prædicato aliquo desumtum quod mutationi obnoxium est, rem non omni tempore ab omnibus aliis rebus distinguere possit: E. Nomen à prædicato aliquo mutabili desumtum non potest esse Nota Characteristica rei.

§. MDXXXIII.

Nomen Ecclesiæ Catholicæ quælibet sibi tribuit, & Ecclesia quoad statum externum est mutabilis (§. 1518.), ut idem ipsi prædicatum non semper, omni loco & omni tempore competat, nec ab ejus incunabulis ipsi competere potuerit: E. nomen hoc sive prædicatum non est illius Nota.

Urbs, quæ nonnisi initia sua habet, non potest vocari Magna, donec maximum incrementum cœperit, & si omni decore exornata fuit pulchra nominari potest, non idem Epitheton tamen Jure ipsi competit, postquam aut iniuria temporum, aut hostium vastatione aut alio casu diruta fuit atque vastata; ita vera Ecclesia sive Civitas Dei statim ab ejus initio nondum vocari potuit Magna aut Catholica, & si nomen hoc Ecclesiæ, quæ Romana dicitur, olim ut veræ Ecclesiæ Epitheton tributum fuit, non sequitur, quod ipsi etiam in statu corruptissimo omni tempore Jure competat.

§. MDXXXIV.

Antiquitas tam Religioni Ethnicæ quam Judaicæ competit, ambæ Christiana antiquiores, & prior etiam se sua antiquitate defendere solita est, adeoque Religio sive Ecclesia vera antiquitate à falsis

falsis distingui nequit, & Error Revelatione Religionis peccatoris antiquior est ; E. nec hæc vera Ecclesiæ Nota esse potest.

§. MDXXXV.

Inde ab initio non interrupta duratio æque Religioni Ethnicorum, Judæorum, Muhammedanorum, aliorumque cœtibus competit, adeoque nec hæc Nota Characteristica est, ex qua vera Ecclesia cognoscitur & ab aliis distinguitur, (§. 1521.).

§. MDXXXVI.

Et si Membrorum Ecclesiæ multitudinem spectamus, nec illi vera Notæ significatio competit, olim enim totus fere orbis Arianus factus, mox Muhammedanus, quis enim nescit, quanta terrarum spatia hujus Religionis Pesti infecta sint ? E. Nec numerus veræ Ecclesiæ Nota est.

§. MDXXXVII.

Neque etiam continua Episcoporum successio veræ Ecclesiæ externæ essentiam efficere potest, alias illa Ecclesia Judaica, quæ olim optimum Salvatorem interfecit, vera fuisset, & nostris temporibus, si hæc vera Ecclesiæ Nota esset, nesciremus, an nos potius ad Græcos, an ad Armenios aut Abyssinos, an vero potius ad Ecclesiam Romanam convertere deberemus, qui omnes de hoc gloriantur, & olim Ariani etiam hoc jactarunt.

§. MDXXXVIII.

Et aliæ falsæ Religiones ut Muhammedana, Judaica, aliæque non minus inter se unitæ sunt ac Romana ; in Pontificia Ecclesia etiam non pauciores dissensiones sunt quam in aliis ; Unde nec

unio membrorum inter se & cum Capite ut veræ Ecclesiæ externæ Nota allegari potest.

§. MDXXXIX.

Doctrinæ efficacia & celer ejus progressus ad probandum divinam ejus autoritatem atque originem quidem multum ponderis habet, sed quæritur 1.) qualis sit Doctrina, an cum Sapientia atque voluptatibus carnis conveniat, an vero illi contrarietur? 2.) quo modo illa efficax sit, an vi, dolo, armis, suppliciis, an Mundi illecebris, promissionibus; num vero convictione animi propter evidentissimam veritatis demonstrationem progrediatur & se hominibus commendet; Ariana olim & aliæ hæreses, quia Doctrina illorum cum Sapientia carnis faciebat, celeriter fuerunt propagatæ; Ita Muhammedana tum armis tum Doctrinæ illecebris, nec minus Pontificia dilatatur, vi, suppliciis, honoribus, divitiis, minis & promissionibus; si Doctrinæ ipsius efficacia id fieri potest, quare violentis hujusmodi Mediis utuntur? Cum ergo hic Doctrinam propagandi Modus Pontificiis cum multis aliis communis sit, & aliquis extra Ecclesiam constitutus nescire possit, nisi prius Veritatem salutarem cognoverit, an evidentiæ Veritatis Doctrinæ, an vero cuidam ex caussis allatis adscribendus sit celer Doctrinæ progressus: Hinc nec hæc genuina Ecclesiæ Nota esse potest.

§. MDXL.

Et cuinam hominum de Ecclesiæ Doctorum sanctitate infallibiliter constat? Cum sinceritas cordis soli Deo nota sit, sed ex judicio Charitatis de externis actionibus judicandum, ubi enim

opera

opera ad veram Dei Glorificationem, ad promotionem Salutis æternæ tum propriæ tum proximi, ad exornandam Civitatem Dei faciunt, ibi etiam vera in Christum fides, ibi etiam vera Doctrina adsit oportet ; confitemur, ubi talia in Ecclesia aliqua existunt opera, ibi etiam veram Ecclesiam esse. Sed quid tum de tali Ecclesia judicabimus, in qua ipsimet illorum scriptores de vita scelerata & prophana tum Capitis tum Doctorum conqueruntur ? Et quis extra Ecclesiam constitutus scire potest, qualem quisque Doctorum vitam degat, ut inde de Doctrinæ illius Veritate judicare possit.

§. MDXLI.

Aliam Ecclesiæ Notam, quam afferunt, nempe gloriam Miraculorum, quod attinet, illa olim à Christo & Apostolis fuere patrata ad missionem suam & Doctrinam divinam confirmandam, quæ Miracula sine dubio magnam & Personis & Doctrinæ conciliaverunt autoritatem. Si vero Doctrina in Ecclesia aliqua cum illa, quæ olim miraculis confirmata fuit, non consentiat, ipsi, etiamsi Miracula fierent & Angelus ex cœlo illam annunciaret, Fides haberi non potest nec debet. Gal. I. 8. Et ipse Christus monet, ne ejusmodi Doctoribus, licet magna signa & prodigia facerent, fides habeatur ; hodie ergo Doctrina Christi & Apostolorum lapis lydius est, ad quem cujuslibet Ecclesiæ Doctrina explorari debet ; non suspectæ prorsus fidei Miracula ; E. Veritas Doctrinæ, non Miracula, Ecclesiæ veræ Nota habenda est.

§. MDXLII.

Eadem plane ratione cum dono Prophetiæ

res ſeſe habet; Cum enim dentur falſi Prophetæ, illis fides haberi non poteſt, niſi in quantum etiam Doctrinam ſuam ex ſcriptis Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum probant, Doctrinæ enim in libris illis contentæ nec quidquam addi, nec demi debet Apoc. XXII. 18. 19. Ergo non Doctrinæ illius, qui Prophetam ſeſe venditat, ſed Chriſti & Apoſtolorum fides adhibenda eſt: Unde ſequitur, Doctrinam divinam eſſe Notam Eccleſiæ, non vero Doctorem illius.

§. MDXLIII.

Laudem vero vel vituperium hominum non poſſe eſſe veræ vel falſæ Eccleſiæ Notam Characteriſticam, inde patet, quia & vera Eccleſia malignos poteſt habere calumniatores, quod Chriſto ipſi & Apoſtolis ſuis accidit, & in falſa Eccleſia poſſunt exiſtere privati Doctores, qui propter egregias aliquas qualitates, quas poſſident, laude digni ſunt; E. hæc Nota quam maxime fallax, per quam Eccleſia vera ab omnibus aliis diſtingui nequaquam poteſt & per conſequens Notæ proprietates non habet.

§. MDXLIV.

Felix vel infelix Eccleſiæ alicujus ſtatus Veritatis vel falſitatis illius Nota eſſe nequit; Cum ſtatus proſper veræ Eccleſiæ nec ſoli nec ſemper competat; quis enim neſcit, vel Ethnicos olim hoc gloriatos eſſe, nec Eccleſiæ defenſores ſemper triumphaſſe, & piis in multis Scripturæ locis Crucem prædictam eſſe, & Muhammendanos magnam Chriſtiani orbis partem deviciſſe, & Regnum ipſorum multis ſeculis florentiſſimum fuiſſe.

Cum

§. MDXLV.

Cum Ecclesiæ communio sit vel interna (§. 1513.), vel externa (§. 1514.), neque omnes, qui ad communionem externam, etiam ad internam pertinent (§. 1516.), neque illi omnes, qui ad internam communionem pertinent, infallibiliter cognosci possunt, propterea Ecclesia quoad communionem internam vocatur invisibilis, quoad externam visibilis.

§. MDXLVI.

Invisibilis est illorum Societas sive communio, qui non tantum externe veram fidem profitentur & externa Cultus divini & Charitatis opera peragunt, sed sincere in Christum credunt, & corde sincere Deo serviunt, quod nullius hominis oculis conspicuum est.

§. MDXLVII.

Visibilis vocatur, quatenus salutaris Veritatis professione, Cultus exercitiis & Charitatis ministeriis in visibilem coalescit Societatem, externa enim hoc modo homines dant documenta, oculis hominum apparentia, se semetipsos illi adjungere Societati, quæ Civitas Dei est.

§. MDXLVIII.

Ex quibus apparet, distinctionem hanc non esse totius in partes, sed tantum subjecti per adjuncta, quatenus Ecclesia visibilis invisibilem comprehendens tantum diverso respectu vel visibilis vel invisibilis est, quatenus iidem homines vel ad visibilem & invisibilem simul, vel tantum ad visibilem pertinent.

Unde

§. MDXLIX.

Unde hæc divisio nihil aliud significat, quam internum cujusque membri Ecclesiæ statum atque communionem oculis hominum non esse conspicua, sed solum Deum vera Ecclesiæ membra infallibiliter nosse.

§. MDL.

Aliquando vero factum fuit & fieri potest, ut etiam externa Ecclesiæ pars aut corruptione Doctrinæ, cultus & morum omnia fere inundante, aut cogente hostium & persecutorum vi per aliquod tempus lateat, neque externam communionem libere exercere possit, unde in hisce circumstantiis vera Ecclesia oculis Mundi non semper est observabilis.

Sectio XXI.

De
Officiis Civium
sive
Cultu publico.

§. MDLI.

Officia certa quodlibet Civitatis divinæ Membrum pro se & abstracte à reliqua Societate consideratum præstare tenetur, ad quæ obligatur vel per Religionem Naturalem vel Revelatam; ad alia vero obstringitur, quatenus Societatis illius spiritualis membrum & pars est.

§. MDLII.

Cujuslibet civis officium est cum aliis commune

mune Societatis bonum unitis viribus promovere (§. 1474. 1475.), id autem fit, quando communionem ſuam cum reliquis teſtatur, dum ea obſervat officia, quæ ad finem Societatis obtinendum tendunt.

§. MDLIII.

Communio illa nonniſi publice reliquis Societatis membris indicari poteſt, & cum Bonum publicum etiam conjunctis viribus promovendum ſit (§. cit.), etiam id fieri debet in Societate reliquorum, hoc eſt *Publice.*

§. MDLIV.

Sed præterea Bonum publicum quodvis Societatis Membrum etiam *privatim* promovere poteſt.

§. MDLV.

Prius fit per Exercitium Cultus Publici, poſterius per officia Charitatis.

§. MDLVI.

Actiones, quas conjunctim cum reliquis Civitatis Dei membris ex intuitu finis Societatis ad promotionem communis æternæ Salutis, Glorificationis divinæ, decoris Civitatis & tranquillitatis publicæ in cœtu Eccleſiæ ſuſcipimus, vocantur CULTUS PUBLICUS.

§. MDLVII.

Motiva ergo harum Actionum à Fine Reipublicæ illius ſpiritualis deſumuntur.

§. MDLVIII.

Ad promovendam communem animarum Salutem publicamque fidei profeſſionem opus eſt Verbi

Verbi divini inculcatione, precibus, & certis ritibus; ad publicam Dei Glorificationem faciunt preces, cantus & beneficiorum maximorum teſtificatio; ad tranquillitatem conſervandam in Civitate Dei opus eſt deprecatione culpæ, petitione omnium bonorum ſpiritualium, &, quantum ad Gloriam Dei facit, temporalium, interceſſione pro iis qui extra & intra Eccleſiæ Societatem verſantur & gratiarum actione; ad decus externum Civitatis non minimum facit ordo.

§. MDLIX.

Ex hiſce patet, quibus partibus Cultus publicus abſolvatur, ad quas recte peragendas publicis opus eſt ſanctæ Societatis illius Miniſtris:

§. MDLX.

Hi ergo ſunt Perſonæ publicæ, quibus competit adminiſtratio omnium, quæ ad Cultum Dei publicum pertinent.

§. MDLXI.

Miniſtri hi vel Extraordinarii ſunt immediate à Deo inſtituti, vel ordinarii, quibus ab Eccleſia Munus hoc defertur; de prioribus mentio fit. Eph. IV. 11.

§. MDLXII.

Inſtitutionem Miniſterii ordinarii Originis divinæ eſſe, ex ſequentibus S. Script. dictis demonſtramus. Ipſi nimirum Apoſtoli per ſingulas Eccleſias Ordinarios Miniſtros conſtituerunt, uti Paulus & Barnabas Act. XIV. 23. & id in Creta facere jubetur Titus, Tit. I. 5. & illis Eccleſiæ curam inculcant Act. XX. 28, 1. Pet. V. 2. & Apoſtolus Paulus regulas præſcribit, quomodo illi

illi comparati esse debeant, qui ad Munus hoc eliguntur. 1. Tim. III. & Tit. I. 5 - 8.

Hæc adstruere, propter continuam Ecclesiæ praxin inde ab Apostolorum temporibus, non opus fuisset, nisi tales inter Christianos existerent, qui omne Ministerium rejiciunt & cuicunque docendi Munus in Ecclesiæ cœtu concedunt; de quibus suo loco.

§. MDLXII.

Ordinarii Ministri vocantur Episcopi, Presbyteri, Doctores, Pastores & Diaconi.

§. MDLXIV.

Episcoporum & Presbyterorum tum in S. Sc. tum apud Patres sæpissime mentio fit, ubi vox Episcopi Inspectorem significat à munere 1. Tim. III. 1. Ita Presbyter ab ætatis dignitate nomen habet, quia illi, qui seniores erant, ad id obeundum vulgo eligebantur.

§. MDLXV.

Non magna tamen, aut temporibus Apostolicis plane nulla, inter Episcopum & Presbyterum fuit differentia, cum nomina hæc inter se commutentur. Ita Apostolus Paulus jussit Titum Presbyteros constituere, requisita autem illorum indicans Episcopum describit Tit. I. Sic Act. XX. 17. & 28. iisdem nomen Presbyterorum & Episcoporum datur. Similiter Apostolus Petrus id facit. 1. Ep. V. 1. 2.

§. MDLXVI.

Cum Ecclesia sit sancta Societas sive Civitas; Cujuslibet autem Reipublicæ sive Civitatis sit eligere Personas idoneas, quibus munera publica deferat; Patet ad legitimam Ministri vocationem

hoc

hoc requiri ; Ut aliquis Ecclesiæ cœtus aliquem ex medio sui secundum præscriptum Apostolicum de vita, moribus & doctrina exploret, illique Ministri munus deferat, potestatemque concedat, omnia quæ administrationem Cultus publici Ecclesiæque communem ædificationem spectant peragendi, isque se muneri huic aptum conscientia sua convictus sit.

§. MDLXVII.

Quæ vocatio sive missio divina est, dum fit secundum illum ordinem, qui, ut perpetuo in Ecclesia observetur, à Deo institutus est 1. Tim. III. Tit. I.

§. MDLXVIII.

Ministri Ecclesiæ munus est, facere ea quæ ad Cultum Ecclesiæ publicum (§. 1560.) pertinent, nec minus, quod ex ipsa rei Natura sequitur, omnia quibus Finis Societatis, cujus Ministri sunt, obtinetur.

§. MDLXIX.

α. Nimirum Verbum Dei prædicandum & inculcandum est (§. 1558.), & quidem ita, ut tota ad promotionem Salutis æternæ animarum, Pietatis atque Glorificationis Dei tendat Doctrina (§. 1556. 1557.) ; Nihil ergo reticendum quod huc tendit Act. XX. 26. 27. sed nihil etiam addendum, quod huc non facit & quo Intellectus tantum inanibus afficitur speculationibus.

§. MDLXX.

Propterea etiam Errores illi, qui Fini huic obsunt, fortiter refutari debent.

Quo-

§. MDLXXI.

Quoniam fides per Evangelii prædicationem ceu externum Medium excitanda est Ἔλεγχος sive convictio ex evidenti demonstratione orta (§. 2. 4.), Heb. XI. 1. Et verbum Dei inculcandum est per manifestationem veritatis ad omnem conscientiam hominum. 2. Cor. IV. 2. Patet nullam Doctrinam ulli hominum vi & verbo imperii obtrudendam, sed sola veritatis convictione utendum esse.

§. MDLXXII.

Deus solus potest Salutem hominibus dare, solus propterea etiam Leges & modum præscribere potest, quomodo illa obtineri possit, solus præterea est Rex, Princeps, & Dominus in Civitate sua (§. 1485 - - 1512.): Unde nonnisi illius Voluntas atque Verbum in Ecclesia audiendum est. Es. VIII. 19. 20. Jer. XXIII. 28. 29. 1. Petr. IV. 11.

§. MDLXXIII.

Unde contra Mandatum summi Principis illi Civitatis hujus Ministri agunt, qui Legi illius quædam, ut fidei & vitæ regulam, superaddunt.

§. MDLXXIV.

Ergo falsi Doctoris infallibile hoc criterium est; Quod non docet ea, quæ Reipublicæ Spiritualis summus Dominus, tum ipse, tum per Apostolos suos docere præcepit tanquam ad Salutem æternam & Regis Gloriam necessaria, sed aliquid superaddit aut demit.

§. MDLXXV.

Alterum Ministri officium est, ut omni stu-

dio invigilet, ne aliquid fiat quod Civitati detrimento eſſe poteſt, ſed ut omnia quantum pote impedimenta tollat, quæ harmoniæ atque pulcritudini Civitatis hujus obſunt, contra vero bonum ejus atque decus promoveat, & totus in eo ſit, ut Charitas atque Concordia Societatis hujus ad propriam perfectionem & Regis Gloriam creſcat.

§. MDLXXVI.

Tertio, ut ipſe aliis bono exemplo præeat, monentibus Apoſtolis Paulo 1. Tim. IV. 12. Tit. II. 7. & Petro 1. Ep. V. 3. & ſumma cum Prudentia atque longanimitate omni tempore apud quodvis Eccleſiæ Membrum hortando, reprehendendo & obſecrando inſtet. 2. Tim. IV. 2.

§. MDLXXVII.

Sed hæc omnia, quarto, ita fieri debent, ut nullum Magiſterium aut Dominatum Eccleſiæ Miniſter in reliquos Civitatis conſortes ſibi arroget. Quod Petrus vetat 1. Ep. V. 3. totum enim illius officium Miniſterium eſt.

§. MDLXXVIII.

Dominatum vero aliquis exercet, aut quando in Jus Principis Civitatis hujus Benigni Salvatoris noſtri involat, pro cujus nutu omnia in Eccleſia geri debent; & aliquid aut credendum aut faciendum proponit, quod Dominus ipſe non præcepit, contra (§. 1572.).

§. MDLXXIX.

Aut ſi Poteſtatem judicialem in Membris Sanctæ Civitatis hujus exercet, neque omni cum ſuavitate atque longanimitate illa tractat; vel plane

plane rebus politicis sese immiscet, quæ cum fine Societatis spiritualis nullum nexum habent, sed ad forum Magistratus Politici pertinent.

§. MDLXXX.

Officia autem, reliquorum Civitatis Membrorum sive fidelium, quatenus, respectu habito ad communionem cum Civitate Dei, ut partes illam constituentes considerantur, quoad Cultum externum hæc sunt, α. ut ibi, ubi tota Societas ad promotionem boni communis & ad Dei Gloriam convenit, etiam adsint, ut cum reliquis communionem & fidei suæ professionem testentur; Deus enim non corde, hoc est, spiritu tantum, sed & ore & opere glorificandus est, 1. Cor. VI. 21. & professio oris requiritur Rom. X. 10.

§. MDLXXXI.

β. Ut preces, fine Societatis id postulante (§. 1558.), ad Deum fundantur, quæ majori cum efficacia fiunt, si plures unanimiter unitis Votis, ardenti pietate flagrantes Deum invocant, & vires suas ad auxilium divinum, pro integræ Civitatis bono, obtinendum conjungunt.

§. MDLXXXII.

γ. Ad communionem denique cum Capite Christo & mutuam inter singula Societatis Membra testandam, & ad maxima Beneficia, toti Civitati exhibita, illustranda, pio animo recolenda, & publicam pro iis gratiarum actionem agendam, & ad mutuam erga seinvicem Charitatem demonstrandam, etiam solenniter Sacri Ritus in hunc finem instituti celebrandi sunt.

§. MDLXXXIII.

Sed licet cultus hic publicus externus ſit, & corpore etiam peragatur, tamen requiritur ut Animus actioni præſens ſit. Non tantum enim in Republica civili magna actionum pars ex animi intentione æſtimatur, ſed Deus ubique in S. Sc. Cor, Animam & Spiritum requirit, & ipſe Finis, propter quem homo conditus eſt, id poſtulat, qui eſt Gloria Dei: Illa autem conſiſtit in Perfectionum ſuarum manifeſtatione: Quæ manifeſtatio vero fieri non poteſt niſi in repræſentatione ab Entibus cogitantibus; Unde res inanimatæ Dei Gloriæ non inſerviunt, niſi in quantum ex iis Attributa divina à ſpiritibus finitis agnoſuntur & celebrantur (§. 685.): Propterea homo ad cogitandum creatus eſt; cum vero obligatus ſit ad omnes actiones ſuas in Gloriam Dei Creatoris, Conſervatoris & Salvatoris dirigendas, (uti in ſectionibus de Rel. Nat. & Rev. à nobis demonſtratum fuit), id autem aliter fieri nequit quam per cogitationes: Sequitur in omnibus actionibus Cultum Dei reſpicientibus Animum actionibus illis præſentem eſſe debere.

§. MDLXXXIV.

Homo obligatus eſt, tam Religione Naturali (§. 768.771.), quam Revelata (§. 1057. 1063.), ad omnes actiones ſuas in Gloriam Dei impendendas. Deus autem nonniſi unus eſt (§. 664.), atteſtante id etiam S. Script. Jer. XLV. 5. 6. 7. E. Solus Deus etiam glorificandus atque colendus eſt.

§. MDLXXXV.

Per Cultum nimirum Dei in genere intelligimus

mus illas actiones, quas intuitu Dei, motivis ab ejus Attributis desumtis, suscipimus, quasque omissuri essemus, si forte nesciremus Deum existere.

§. MDLXXXVI.

Homo tenetur omnes actiones suas in Gloriam Dei impendere (§. 1584.), & fieri debent ex intuitu Dei, motivis ab ejus Attributis desumtis (§. præced.): E. Nulla Creatura honore divino affici sive coli potest, nec debet, nisi cultui divino tantum derogare velimus, quantum in cultum creaturarum impendimus.

§. MDLXXXVII.

Inter præcipua Cultus divini motiva sunt Perfectiones soli Deo propriæ, nempe Scientia omnium rerum, omni loco & omni tempore, nec non infinita Potentia, qua cuicunque Creaturæ tribuere potest quidquid vult; Atqui talia Attributa nulli Creaturarum competunt: E. nec motiva Cultus ab illis desumi & per consequens nec coli possunt, nec debent.

Ex omnibus Creaturis à magna Christianorum parte perfectissima & cultu dignissima habetur B. Maria; Sed quis nescit, quot hominum myriades singulis momentis è locis distantissimis vota infinite variantia ad illam dirigant! ut diu noctuque nulla intermissio fiat; Quomodo ergo quæso illa omnia hæc ordine cogitare, quomodo omnium cogitationes mente assequi spiritus finitus posset, quanquam illi vota præstita Numinis Clementia revelari possent.

§. MDLXXXVIII.

Per Cultum imaginum intelliguntur illæ actiones, quæ suscipiuntur intuitu imaginis vel dire-

cte in illius Gloriam, vel indirecte in honorem prototypi.

§. MDLXXXIX.

Cultus imaginum Gloriæ divinæ quam maxime obest.

§. MDXC.

Ad quod probandum duo in honore imaginibus exhibito à seinvicem distinguenda sunt, aut enim ille refertur directe ad imaginem, aut indirecte, in præsentia imaginis, ad prototypum.

§. MDXCI.

Prius est contra §. 1584., ubi demonstravimus, Deum solum colendum esse, & propterea Gloriæ divinæ tantum derogatur, quantum actionis in honorem imaginis impenditur (§. 1586.).

§. MDXCII.

Porro si rei honorem exhibemus, oportet in illa reperiatur perfectio quædam, quæ illam cultu hoc dignam faciat; ad honorem autem divinum etiam requiruntur Perfectiones divinæ, nempe Omniscientia, summa Potentia atque Benignitas, à quibus Attributis motiva in illius honorem susceptæ actionis desumuntur (§. 1585.); Atqui imagini nullum tale Attributum competit: E. nec colenda est.

§. MDXCIII.

Si vero Cultus non directe ad imaginem defertur, sed ad ejus Prototypum, Prototypus ille est aut Deus, aut Creatura.

§. MDXCIV.

Si prius, Deus aut ita per Simulachrum repræsentatur uti revera est, aut solum ficta & falsa est

est illa repræsentatio : Prius est absolute impossibile (§. 309.), & nullum plane ex infinitis illius Attributis in imagine illa ceu speculo exprimi potest.

§. MDXCV.

Si posterius, homini imprimitur falsus & Deo valde indignus conceptus ; imagines enim, alienis utor verbis, infigunt menti humanitatem ut Deitatem non cogitet, abducuntque à vero Dei conceptu, & quod hinc sequitur, ejus amore. Intueri imagines inter precandum periculosum est, & à ratione alienum, quia abducunt mentem à profundioribus cogitatis ad corporales imagines.

§. MDXCVI.

Cum igitur Deus sub specie humana repræsentatur, simul Error in hominis adorantis cogitatione excitatur & attentio ejus turbatur, ut infinita Dei Majestas ipsi obversari nequeat : adeoque Attributorum divinorum splendor in mente illius perit, & idcirco tantum divinæ Gloriæ, quæ omnium actionum nostrarum motivum esse debet, derogatur.

§. MDXCVII.

Quantum vero actionis nostræ motivo per falsam repræsentationem decedit, tantum etiam & operis dignitati, & vero illius studio, & recto scopo derogatur : Quod cuivis in omnibus humanis actionibus per experientiam optime notum est.

§. MDXCVIII.

Hæ sunt præcipue rationes, cur Deus omnem imaginum, non tantum cultum, sed ipsam etiam in hunc finem fabricationem tam expresse, ut ipsis

sis etiam exceptionibus contra mandatum suum occurrat, variis Scripturæ locis prohibeat. Deut. IV. 15. 16. Jes. XL. 18 - 26. Rom. I. 23. Act. XVII. 29.

Ad exceptiones suo loco respondebimus.

§. MDXCIX.

Si vero Prototypus simulachri sit Creatura, tunc Cultus iisdem refutatur Argumentis, quæ (§. 1584 - - 1587.) contra omnem Creaturarum cultum adhibuimus.

Sectio XXII.

De

Ritibus sive Cærimoniis Sacris in Cultu publico adhibendis in genere.

§. MDC.

Ad Cultum publicum recte peragendum certis opus est Cerimoniis (§. 1582.), quibus per sensus externos eæ in mente cogitationes excitantur, quæ ad ultimum Societatis spiritualis finem obtinendum idoneæ & necessariæ sunt.

De iis, quæ in hac Sectione dicturi sumus, omnino legendus est *Illustris WOLFIUS Moral. Cap. III.* §. 175 - 179. & *Celeb. CANZIUS de Usu Philos. in Theol. Cap. XII. de Lege Ceremoniali.*

§. MDC.

Definiuntur propterea Cerimoniæ, quod sint signa à Deo eum in finem instituta, ut certorum

rum beneficiorum Civitati Dei vel exhibendorum vel exhibitorum memoria animum subeat, illorumque certitudo confirmetur, ad communem animarum Salutem Deique Glorificationem promovendam.

§. MDCII.

Ex hac definitione tota Cerimoniarum ratio atque vis explicari potest: α. Patet an Cerimonia aliqua ad rationalem Dei cultum pertineat nec ne? ad illam enim requiritur, ut mediante ea aliqua cogitatio excitetur, quæ ad verum Dei Cultum pertinet.

§. MDCIII.

Cerimoniæ ergo illæ rejiciendæ sunt, quæ in memoriam non revocant quæ revocare deberent, sed contra animi attentionem turbant, & varias cogitationes exoticas producunt, quæ à vero & rationali Dei cultu abesse debent.

§. MDCIV.

β. Apparet in Cerimoniis non ipsum Dei Cultum consistere, sed illas cultus veri adminicula tantum esse. Cum enim actiones illæ sint Cultus Dei, quas intuitu Dei suscipimus, motivis ab Attributis ejus desumtis, quasque omissuri essemus si forte Deum existere nos lateret (§. 1585.); quatenus vero conjunctim cum reliquis Civitatis Dei Membris ad finem Societatis spiritualis obtinendum actiones illas suscipimus constituunt Cultum publicum (§. 1556.), ad motivum vero actionis, hoc est, ad considerationem Rationis objectivæ & intuitum finis alicujus generalis, mentis cognitio atque voluntas requiritur; si igitur Cerimonia externa sive Corporis Motus à Cultu

tu interno ſejunctus fuit, tunc non amplius eſt Cultus, nec ullo enim divinarum Perfectionum impulſu fit, nec Attributorum divinorum motivo producitur, nec finis aliquis generalis intenditur; E. Cerimoniæ illæ per ſe Cultum Dei non conſtituunt.

§. MDCV.

Cerimoniæ debito modo comparatæ inſignem in cultu divino præſtant uſum (§. 1601. 1602.),; E. indiſcriminatim illæ rejiciendæ non ſunt.

Cum res nunc quidem ſenſibus obſervatæ recordationem alicujus rei excitant atque modo ſingulari illuſtrant: Sequitur Cærimonias ſenſibus ſubjectas inſignem habere uſum, dum illis ad Cultum divinum neceſſaria cogitatio excitatur, unde illæ ad animæ Salutem & Dei Glorificationem promovendam ſuum conferunt.

§. MDCVI.

γ. Cerimoniæ ſunt tantummodo ſigna quibus cogitatio in mente producitur (§. 1601.), & in iis verus Dei Cultus, ſi ab internis animæ actionibus ſeparentur, non conſiſtit (§. 1604.): E. per ſe obſervatæ neminem pium & Deo gratum facere poſſunt. Hebr. X. 1. ſeqq.

§. MDCVII.

Et quia Sanctitas eſt habitus faciendi nonniſi quod rectum eſt (§. 1425.), rectum vero eſt illud, quod nulli Attributorum divinorum contradicit (§. 625.); Hinc in actionibus, quæ hominem ſanctificare debent, ratio habenda eſt omnium Attributorum divinorum, adeoque ad illas requiritur Intellectus & Voluntas (§. 1604,): Sequitur E. nullam Cerimoniam per ſe conſideratam hominem ſanctificare poſſe. Fal-

Falsam hanc opinionem de Cerimoniarum vi sanctificante atque hominem justificante primariam Judæorum hypothesin atque præcipuum Errorem esse, ex quo reliqui omnes ceu ex fonte impuro originem suam ducunt, suo loco videbimus; Ac hac propterea propositione tota Hæresis Judaicæ refutatio pendet, quæ idcirco maximi in Theologia polemica usus est.

§. MDCVIII.

Unde nullius usus sunt Cerimoniæ, quæ sine debita cogitatione peraguntur, & errant quicunque illis ut operi operato nimium tribuunt.

§. MDCIX.

δ. Quia Cerimoniæ sacræ sunt signa certorum beneficiorum vel præstandorum vel acceptorum, quorum recordatio animum subire debet, hinc efficitur, signa illa non naturalia sed arbitraria esse; Unde ab instituto quodam pendent (§. 1601.), uti voces sunt signa arbitraria rerum in mente repræsentatarum: Quidquid vero arbitrarium est, id etiam potest aliter esse:

§. MDCX.

Quidquid vero aliter esse potest, illud nec absolute necessarium, nec in ipsius rei natura fundatum est; Unde Cerimoniæ possent esse aliæ: E. nec hæ, quas in Cultu divino observamus Cerimoniæ, sunt absolute necessariæ & in ipso Dei Cultu fundatæ.

Cerimonias hic consideramus in se spectatas, non quatenus à Deo præcipiuntur, quidquid enim Deus præcepit ad id homo obligatus est, si per circumstantias externas possibile sit, ad impossibile enim nemo cogitur.

Cerimo-

§. MDCXI.

Cerimoniæ sunt tantum signa arbitraria (§. 1609.), nec in ipso Dei Cultu fundatæ (§. 1610.); Hinc uti res potest esse sine signo arbitrario, ita etiam Cultus esse potest sine cerimonia, (hic iterum Cerimonias considero, non quatenus à Deo præceptæ sunt, sed absolute & in natura sua spectatas), quidquid autem absolute & in se ad verum Dei Cultum non pertinet, illud nec absolute & in se ad necessitatem Salutis pertinet.

§. MDCXII.

Ex quibus conficitur, Cerimonias licet per se magnopere utiles (§. 1605.), non in se, sed præcepto divino obligare; ut, si per circumstantias externas illas observare impossibile sit, neque propterea divinum præceptum ad illas obliget (§. 1610.), illæ absque salutis dispendio negligi possint.

§. MDCXIII.

Valde ergo errent oportet, qui ritus illos sub Vitæ æternæ periculo obtrudunt.

§. MDCXIV.

ε. Per Cerimonias tales in mente produci debent cogitationes, quæ ad verum Dei Cultum pertinent (§. 1602.), & tendere debent ad finem actionum nostrarum universalem (§. 1600.), scilicet animarum Salutem & divinam Glorificationem (§. 1601.): E. ex Instituto divino nunquam potuerunt, nec hodie possunt, tales in Ecclesia adhiberi ritus, qui ex errore orti, ex gentilismo desumti, ad superstitionem & idololatriam ducunt, nec propterea salutares producere cogitationes & veri Cultus divini adminicula esse possunt. Et

§. MDCXV.

Et Deo, abſit Blasphemia dicto, valde indignum eſſet tales in Eccleſia ſua præſcribere Cerimonias, quarum ſignificatio valde eſſet ambigua, ut non minus aptæ eſſent ad cultum ſuperſtitioſum & idololatricum recolendum, ac ad cogitationes vero Dei cultu dignas excitandas.

§. MDCXVI.

Unde nec Cerimoniæ veteri Populo Iſraelitico à Deo præſcriptæ ex ſuperſtitioſo Gentilium cultu potuerunt eſſe deſumtæ, nec hodiedum ritus ex Gentiliſmo deſumti Deo placere poſſunt.

§. MDCXVII.

In Cærimoniis in ſe ſpectatis quatenus ab interna mentis operatione diſtinguuntur & actionibus corporis tantum peraguntur, verus Dei cultus non conſiſtit (§. 1604.); Unde Cultus V. T. cerimonialis in ſe ſpectatus non conſtituit verum Dei Cultum: E. ſignificatione non potuit eſſe vacuus, teſtante id Apoſtolo Paulo paſſim in ſuis Epiſtolis, & præcipue Col. II. 17. Heb. VIII. 5.

§. MDCXVIII.

5. Beneficia, quæ ope Cerimoniarum in memoriam revocantur atque illuſtrantur, ut grata illorum recordatio celebretur, ſunt vel futura, vel jam præſentia & illorum exhibitio præterita (§. 1601.); Inde etiam rituum illorum oritur differentia, ut alii ex inſtituto divino fuerint adhibiti ad ſignificanda Bona futura, alii vero ad pio & grato animo recolenda jam præſtita Beneficia: Propterea ritus non amplius ſunt iidem, qui fuerunt ſub V. T. ante Chriſtum exhibitum.

Et

§. MDCXIX.

Et quia ritus illi sunt arbitrarii (§. 1609.); Hinc fieri potuit, ut veteres, ex ipsius rei convenientia (§. 1618.), abrogarentur & alii illorum loco substituerentur.

§. MDCXX.

§. Sequitur tandem Ritus illos in Ecclesia tolerandos non esse, qui Cærimoniarum scopo (§. 1600. 1601.) contrarii sunt, & de Deo, rebus divinis, illiusque Beneficiis sinistre sentiendi occasionem dant, vel animi intentioni & attentioni ad promovendam animæ Salutem & Dei Gloriam obsunt. Totus enim Dei Cultus rationalis esse debet Rom. XII. 1. Et in Spiritu & Veritate peragi jubetur. Joh. IV. 23. 24.

Sectio XXIII.

De
Præcipuis Ecclesiæ Ritibus
sive Sacramentis
Baptismo & Sacra Cœna.

§. MDCXXI.

Ritus illi, qui, quatenus ad Cultum Dei publicum pertinent (§. 1558.), facere debent ad testandam cum reliquis Ecclesiæ Membris communionem (§. 1552.), atque publicam fidei professionem (§. 1558.), & maximorum Dei Beneficiorum recordationem (§. cit. & 1601.), illorumque à parte Dei confirmationem (§. cit.), vocantur vulgo, vocabulo quidem nimis lato, *Sacramenta:* Quæ

§. MDCXXII.

Quæ definiri possunt, quod sint signa externa visibilia, quorum usu testamur nostram cum Ecclesia communionem, publicamque damus fidei nostræ professionem, atque Beneficia divina grata mente recolimus, quæ nobis illustrantur, obsignantur & confirmantur.

Ea, quæ S. Scriptura de Sacramentis tradit, perpauca sunt, ut paucis paginis includi possint, quæ simul tam facilia sunt intellectu, ut à quolibet intelligi queant; nihilominus tot centum magna volumina ab hominibus in hanc materiam sunt conscripta, quæ sententiarum divortio tantum à seinvicem differunt, quantum Cœlum à Terra nostra distat, ut Doctrina hæc plane obtenebrata fuerit; vide TURRETINI *Cogit. de Variis Theol. capp.* §. 107.

§. MDCXXIII.

Materia Sacramentorum sunt signa visibilia; Beneficia enim, quæ ope illorum repræsentantur & obsignantur & quorum pia recordatio in mente excitari debet, sunt res invisibiles : ea autem est hominum natura, ut pauca mentibus illorum insinuentur, nisi interventu sensuum, unde Deus per signa visibilia atque in sensus incurrentia, memoriam rerum invisibilium excitare & confirmare voluit.

§. MDCXXIV.

Signa sunt vel naturalia, vel arbitraria, Cærimoniæ vero sacræ posterioris generis sunt (§. 1609.); Quidquid autem arbitrarium signum est, illud est ex instituto tale : E. etiam Sacramenta ex instituto talia signa sunt.

§. MDCXXV.

Inter signum vero arbitrarium & rem signatam

tam poteſt eſſe convenientia vel ſimilitudo, quæ facit, ut hoc ſignum præ alio eligatur: quo aptius nempe ſignum eſt ad certas cogitationes excitandas & rem ſignatam repræſentandam, eo melius etiam eſt; Unde illuſtratio rei inviſibilis pendet à ſimilitudine ſigni & rei ſpiritualis in mente repræſentandæ.

§. MDCXXVI.

Quidquid arbitrarium eſt, illud etiam aliter eſſe poteſt; Unde res viſibiles in Sacramentis adhibitæ nullam ante inſtitutionem potuerunt habere ſignificationem, licet vaga quædam & indeterminata ſimilitudo interceſſerit; alias multa in rerum natura eſſent, quæ cum re in Sacramentis ſignificata ſimilitudinem quandam haberent & propterea in hunc uſum adhibenda forent. E. Sacramenta per divinam inſtitutionem fiunt talia & vim ſuam ſignificativam accipiunt.

§. MDCXXVII.

Eſſentia alicujus rei in hoc conſiſtit quod primum in re concipitur, & quod rationem in ſe continet, cur cetera ei inſunt & per quod ab omnibus aliis rebus diſtinguitur; Atqui Sacramenta per inſtitutionem divinam talia fiunt, & vim ſuam ſignificativam accipiunt (§. 1626.), quæ ergo rationem illorum omnium in ſe continet, quæ Sacramentis inſunt, & per quæ ab omnibus aliis rebus diſtinguuntur; & cum præterea Sacramenta non tantum ſignificent, ſed etiam certitudinem rei ſignificatæ confirment, quod non minus ac ſignificatio ab inſtituto divino pendet: Sequitur, Sacramentorum Eſſentiam conſiſtere in vi ſignificativa & confirmativa ab inſtitutio-

tutione divina pendente, sive quod sint divinæ Gratiæ Signa & Sigilla.

§. MDCXXVIII.

Ex hac vi significativa & confirmativa est, quod nomen signorum & rerum significatarum, non tantum stilo orientali, sed usu etiam in omnibus linguis recepto, soleant inter se commutari, ut hic loquendi usus substantialem mutationem propterea non inferat.

§. MDCXXIX.

Confirmatio in usu Sacramentorum fit, tam à parte Dei, quam à parte hominis, uti enim Deus in iis certa bona addicit (§. 1627.), ita fideles vicissim edunt suam ὁμολογίαν (§. 1621. 1622.), & Deo gratias agunt (§. §. cit.).

§. MDCXXX.

Cærimoniæ absolute & in se ad verum Dei cultum non pertinent, nec absolute ad Salutem consequendam necessariæ sunt (§. 1611.), & si per circumstantias illarum usus impossibilis est, absque Salutis dispendio negligi possunt (§. 1612.), Sacramenta autem sunt tales ritus (§. 1612.); E. Sacramenta, si illorum usus per circumstantias impossibilis, absque Salutis dispendio intermitti possunt.

§. MDCXXXI.

Nulla Cærimonia per se considerata hominem sanctificare potest (§. 1607.), neque illis ut operi operato quidquam tribuendum (§. 1608.), sed obligant non in se, sed præcepto divino (§. 1610.): Unde si observatio illius præcepti impossibilis sit, ad id etiam homo non est obligatus,

nec propterea damnabilis : Hinc etiam nec Sacramenta in ſe hominem ſanctificant atque ad illorum uſum obligant, ſed tantummodo præcepto divino : E. Omnes illi, qui nulla ſua culpa illis carent, ut infantes absque baptiſmo morientes, aut adulti, qui inter infideles degentes uſu Sacramentorum deſtituti ſunt, propterea etiam nec ſanctificatione fruſtrantur, nec damnabiles ſunt.

§. MDCXXXII.

Cærimoniæ per ſe Cultum divinum non conſtituunt, ſed oportet conjunctus ſit illarum uſus cum debita mentis cogitatione (§. 1604.), ſi animarum Salus & Dei Glorificatio illis promoveri debeat ; Ex quo patet, Sacramentorum uſum, in ſe & abſtracte ab interna mentis diſpoſitione conſideratum, nullam habere efficaciam, ſed illam ab interna animæ operatione atque ſtatu dependere, unde illa in S. Sc. fidei adſcribitur. Act. VIII. 37.

§. MDCXXXIII.

Eccleſiæ Miniſtri ad id ſunt conſtituti, ut omnia adminiſtrent, quæ ad Cultum publicum pertinent (§. 1560.) ; Et in tota Chriſtiana Eccleſia illi ſoli Verbi divini publice proponendi poteſtatem habent, Sacramenta vero ſunt pars cultus publici (§. 1621.) : Hinc patet etiam illorum adminiſtrationem non ad privatos, ſed ad Miniſtros publicos pertinere.

§. MDCXXXIV.

Quoniam Cultus divinus cogitationibus magis quam corporis actionibus peragendus eſt (§. 1604.), & in Spiritu & Veritate conſiſtit (§. 1620.):

1620.): Sacramenta non tantum numero pauca, sed rituum etiam solennitate admodum simplicia sint, ne corpus magis quam spiritum occupent; unde duo tantum à Christo & Apostolis tradita leguntur, Baptismus & S. Cœna.

Ea sufficientia esse ad totum Sacramentorum finem obtinendum, infra demonstrabimus.

§. MDCXXXV.

Per Baptismum intelligimus eum Ecclesiæ N. T. Ritum à Christo præceptum, quo fideles immersione in aquam suam cum Ecclesia communionem testantur, atque illa tanquam tessera sacra confirmantur de communione cum Christi morte atque resurrectione bonisque inde redundantibus, nempe novæ vitæ initio, peccatorum remissione & vita æterna; seque ad ea obligant officia, quæ communis Civitatis Dei finis, cujus albo inscribi cupiunt, requirit, quæ sunt operatio Salutis animæ atque Glorificationis Dei.

§. MDCXXXVI.

Qui Baptismus aquæ à Christo expresse præceptus fuit. Matth. XXVIII. 19. neque Baptizare ibi absque tautologia significare potest in Doctrina initiare & Salutis Mysteria docere, alias Christus inutili repetitione bis idem dixisset, nempe docete omnes gentes, & baptizate, hoc est, initiate in Doctrina & docete Mysteria salutis, & tandem versu seq. docete eos servare omnia, quæ mandavi vobis.

§. MDCXXXVII.

Sensus contra Sapientiæ Christi maxime conformis atque facilis, si verba hæc ita explicentur,

tur, ut Dominus primo ſuis Diſcipulis voce generali præcipiat, ut omnes gentes ſibi diſcipulos faciant, & deinde diſtinctius explicet, qua ratione id fieri debeat, nempe Baptizando & præcepta ſua docendo. Unde diſcipulos facere & baptizare expreſſe à ſeinvicem diſtinguuntur, Joh. IV. 1. Et Chriſtus nunquam baptizaſſe dicitur, licet diſcipulos myſteria Salutis docuerit, Joh. IV. 2.

§. MDCXXXVIII.

Eam vero Baptiſmi eſſe ſignificationem atque beneficiorum confirmationem, quam (§. 1635.), indicavimus, inde patet, quia Dominus Jeſus illum conſiderat ut nominis ſui profeſſionem, hoc eſt, Doctrinæ à ſe prædicatæ receptionem: Unde in nomine Dei triunius baptizare jubentur Apoſtoli Matth. XXVIII. 19. Et Apoſtolus Sacramentum hoc explicat per communionem cum Chriſti morte atque reſurrectione Rom. VI. 3. 4. Coloſſ. II. 12. Et lavacrum Regenerationis etiam vocatur. Tit. III. 5.

§. MDCXXXIX.

Bonorum ſignificatorum confirmatio nititur Chriſti promiſſione, Marc. XVI. 16. & Phraſibus, quibus Apoſtolus Paulus Sacramentum hoc deſcribit (locis cit.): Unde fideles per illud Jus acquirunt Deum interrogandi & bona promiſſa petendi. 1. Pet. III. 21.

§. MDCXL.

Baptiſmum vero non in Eccleſia tantum plantanda, ſed etiam plantata adhibendum eſſe, ex ipſo illius uſu atque fine patet; Non minus enim nunc ac primis Chriſtianiſmi temporibus, cum Eccle-

Ecclesia communionis testatio, publica fidei professio, atque ad Cultum veri Dei obligatio, mortis & resurrectionis Christi participatio, & bonorum inde redundantium confirmatio necessaria est: Cum vero hic sit finis Baptismi (§. 1635. 1638. 1639.); Sequitur illius usum in Ecclesia nunquam cessare.

§. MDCXLI.

Sacramenta, si usus illorum propter externas circumstantias sit impossibilis, absque Salutis dispendio possunt intermitti (§. 1630.), neque illa per se rem significatam conferunt, hominemque sanctificant, nec etiam homo propter illorum carentiam damnabilis est. (§. 1631.): E. nec Baptismus tam necessarius est, ut homo absque Salutis jactura illo carere non possit. Matth. XVI. 16.

Uti enim cum Cærimoniis in genere & Sacramentis in specie comparatum est, ita etiam cum Baptismo sese habet, ut actus externus non sanctificet; Unde nec Baptismus ita considerandus est, ac si per se ad Salutem duceret, sed propter reverentiam præcepti divini recipiendus est, non enim Baptismi carentia, quæ sit absque nostra culpa, sed illius contemtus damnabiles nos reddit. Dolet interim non baptizatus adultus si invisibilis Gratiæ visibile signum in se administrari nequit. Et Infans non potest frustrari Gratia, cujus signum propter ætatem infantilem petere non potuit.

§. MDCXLII.

Baptismo absque jactura Salutis aliquis carere potest (§. 1641.), regeneratione non item Joh. III. 3. Nec etiam fide Marci XVI. 16. Heb. XI. 6. nec porro externus hujus Sacramenti usus quenquam sanctificare potest (§. 1631.): E. homo

mo per externum ejus usum nec regeneratur, nec fidei habitum accipit, nec ille tam necessarius est ad consequendam Salutem, ac regeneratio & fides.

§. MDCXLIII.

Hanc ob caussam in S. Script. quidem dicitur, credentem & baptizatum salvari, at non dicitur non baptizatum non salvari Marc. XVI. 16. & Paulus jure Deo gratias agere non potuisset, quod in Ecclesia Corinthiaca paucos tantum baptizaverit 1. Cor. I. 14 - 16. & tamen dicit fidelibus Ecclesiæ illius se Patrem ipsorum spiritualem esse, qui ipsos in Christo genuerit. 1. Cor. IV. 15. 16. Quod dicere non potuisset, si baptismus regenerationis instrumentum esset, quod ipse non adhibuit.

§. MDCXLIV.

Ex iisdem etiam principiis (§. 1642.) allatis apparet: Baptismi externam Cærimoniam nec præcedentia peccata delere, cum ineptum sit peccatorum remissionem, quæ in S. Script. ubique respiscentiæ & fidei tribuitur, ritui externo adscribere, qui sine ullo bono motu suscipi & administrari potest.

§. MDCXLV.

Illi soli propterea ex adultis usum hujus Sacramenti possident & de illo accepto gloriari possunt, qui ætate provectiori rem significatam & obsignatam fide sibi applicant.

§. MDCXLVI.

Baptismus est signum Communionis cum Ecclesia & Sigillum initiationis in Ecclesiam Actor. II. 41. (§. 1635.), ut & participationis cum morte

morte & resurrectione Christi, adeoque initii novæ vitæ (§. 1638.); Infantes vero non minus ac adulti beneficiis hisce ad Salutem æternam consequendam opus habent: E. illis non minus ac adultis in Ecclesiam recipiendis, horum Bonorum signum atque Sigillum debetur.

§. MDCXLVII.

Et licet in Sacro Codice nullum de Pædobaptismo expressum extet mandatum, ex illo tamen per legitimam consequentiam fluit: Christus jussit discipulos suos, ut discipulos sibi faciant omnes gentes, eosque baptizent Matth. XXVIII. 19. Cum vero, si à Judæis Proselyti in Gremium Ecclesiæ suæ recipiebantur, infantes non minus ac adulti Sacris Judaismi, & in specie etiam baptismo initiabantur: (Qui mos, uti ex Philologia hebræa constat, apud Judæos receptissimus erat); unde Apostoli Jesu Christi missi, ut Christo Proselytos facerent, eosque baptizarent, ritibus gentis suæ assueti, aliter cogitare non poterant, more dudum recepto cum parentibus etiam infantes baptizandos esse, nisi Dominus expresso id mandato prohiberet, &, ut à hactenus recepta consuetudine discederent, juberet, quod cum factum non sit, nullum remanet dubium, Apostolos etiam more consueto cum Parentibus Infantes baptizasse.

§. MDCXLVIII.

Idem quoque indicare vult Petrus Act. II. 38. 39. dicens: baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Sancti Spiritus, vobis enim facta est promissio & liberis vestris &c. Apostolus

lus ergo ita argumentatur : Quibuscunque facta eſt promiſſio gratiæ , ii baptizandi ſunt ; Atqui non vobis ſolum Parentibus, ſed & liberis veſtris facta eſt gratiæ promiſſio : Ergo non Parentes ſolum, ſed etiam eorum liberi baptizandi ſunt.

§. MDCXLIX.

S. Cœna eſt alter N. T. Ritus in Cultu publico obſervandus , quo fideles vitam ex vera fide ſecundum præcepta Chriſti inſtituentes, uſu panis fracti & potu vini effuſi, ſuam cum Chriſto Capite & reliquo Eccleſiæ Corpore myſtico communionem teſtantur, atque ita Corpore & Sanguine Chriſti vere & ſpiritualiter, non aliter ac corpora pane & vino , aluntur , & hac cærimonia paſſionem & mortem optimi Salvatoris grata mente commemorant, & de communione cum omnibus beneficiis per illam paratis confirmantur.

§. MDCL.

Totum hujus Sacramenti Myſterium exponitur, tum in ipſis inſtitutionis verbis Matth. XXVI 26 - 29. tum Apoſtoli Pauli 1. Cor. XI. 26.

§. MDCLI.

Significatio illius indicatur , quando fideles id facere jubentur in commemorationem mortis Chriſti ; Quæ recordatio reſpicit omnia beneficia per paſſiones & mortem Domini impetrata, pro quibus publice gratias agunt & ſe revera cum Chriſto cõmunionem habere teſtantur per coalitionem cum ipſo , & ſimul profitentur mutuam cum reliquis fidelibus charitatem & cõmunionem, veluti Membra unius Corporis ſpiritualis ſub uno capite Jeſu Chriſto, edentes omnes de uno pane. 1. Cor. XI. 26. 1. Cor. X. 16. 17. Quæ

§. MDCLII.

Quæ Sacræ Cœnæ ſignificatio cum fine tum Cultus publici in genere (§. 1556. 1558.), tum Sacramentorum & cærimoniarum in ſpecie (§. 1601. 1621.) optime convenit.

§. MDCLIII.

Vi autem promiſſionis Chriſti hæc fidelibus ſimul obſignantur, dicentis de pane, *hoc eſt Corpus meum*, & de calice *hic eſt N. Teſt. in ſanguine meo*, eodem etiam ſenſu Paulus Panem & Vinum vocat communionem corporis & ſanguinis Chriſti. 1. Cor. X. 16.

§. MDCLIV.

De Verbis vero Jeſu Chriſti planiſſimis, *hoc eſt Corpus meum*, quæ vel infans ex communi loquendi uſu intelligere poteſt, maxima inter Chriſtianas Eccleſias lis eſt, aliis in ipſum Chriſti Corpus Panis transſubſtantiationem ſtatuentibus, aliis ſubſtantialem illius præſentiam ſtabilire quærentibus, aliis vero ex communibus in Sacramentis & vulgari uſu adhibitis loquendi formulis verba hæc explicantibus.

§. MDCLV.

Cum Sacramenti Natura pugnat Pontificiorum Sententia nullum plane figuratum loquendi modum admittentium, ſed ſtatuentium panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti mutari, ita ut ſubſtantia panis & vini deſtructa in illius locum ſuccedat ſubſtantia corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti.

§. MDCLVI.

Sacramenta uti omnes Cærimoniæ ſunt ſigna

rerum inviſibilium, quæ in mente certas producere debent cogitationes (§. 1601. 1622.); Res ipſa autem non poteſt eſſe ſui ipſius ſignum, involvit enim contradictionem eſſe ſimul rem ipſam & rei illius ſignum; ſi ergo per Miraculum id quod ſignum fuit mutaretur in rem ipſam, non amplius ſignum foret; cum vero in Pontificiorum Euchariſtia ſignum pereat (§. 1655.), & ſine ſigno Sacramentum nullum ſit, ſequitur Euchariſtiam Pontificiorum nullum eſſe Sacramentum; E. illorum Doctrina cum ipſa Sacramenti natura pugnat.

§. MDCLVII.

Cum Chriſtus verba hæc pronuntiavit, transſubſtantiatio nemini adſtantium ſive aſſidentium Apoſtolorum in mentem venire potuit: Sacra Cœna enim in locum Paſchatis, quod immediate ante illius inſtitutionem comederant, fuit ſubſtituta, & non minus ac illud Sacramentum fuit: Unde phraſes in utriusque uſu adhibitas non potuerunt non pari ratione intelligere, paris etiam enunciationis, parisque figuræ centum apud Judæos extabant exempla; contra talis enuntiationis atque Portenti, quale Pontificii ſtatuunt, nullum plane exemplum reperiebatur: E. nemini Apoſtolorum, quibus nova plane loquendi formula atque verborum ſignificatus antea nunquam in Sacramentis adhibitus, ignotus erat, transſubſtantiatio in mentem venire potuit, ſed ex communi verborum uſu etiam horum verborum ſignificatum dijudicabant.

§. MDCLVIII.

Si Transſubſtantiatio creditur, omnis Religionis

nis revelatæ veritas atque certitudo negatur. Veritas enim missionis divinæ atque cœlestis Doctrinæ tum Mosis & Prophetarum, tum Christi & Apostolorum Miraculis fuit probata, ideo Christus ad illa provocavit Matth. XI. 3 - 5. quando divinitus se missum esse probare voluit ; Ut autem miraculo fides habeatur, etiam sensibus fides habenda est : Transsubstantiatio vero dicit sensibus nullam habendam esse fidem, si autem sensibus nulla fides habenda est, etiam de Miraculorum certitudine actum est, si hoc est, etiam Missionis Christi & Apostolorum veritas perit : E. per Transsubstantiationem Religionis revelatæ veritas atque certitudo negatur.

Licet Doctrinæ revelatæ veritas ex ipsa etiam illius Natura demonstrari possit, tamen eo tempore, quo Christus Doctrinam suam inchoavit, illi propter Miracula fides habenda fuit, unde ad ea prius & deinde etiam ad Doctrinam suam provocat, (loco cit.) ; Ratio ergo, quæ discipulorum animos præparare debuit ad vocem ejus audiendam & quæ divinam ejus missionem probavit, fuere Miracula ; Si vero in Miraculis, quale Transsubstantiatio esset, sensibus nulla haberi potest fides, etiam Discipuli Christi de Miraculis, quæ Dominus ipsis præsentibus edidit, non potuerunt esse certi : Nec nos illorum de Miraculis Christi testimonio credere possemus, cum adhuc hodienum, uti in prima Eucharistiæ administratione, quando Miraculum Transsubstantiationis patratur, sensus omnium adstantium decipiuntur, sicut etiam Apostolorum accumbentium sensus decepti sunt. Unde si Transsubstantiatio creditur, etiam fides de Christi Miraculis & Resurrectione perit, quia illius certitudo nititur sensibus, in Miraculis, deceptricibus ; Si vero etiam Miraculo Resurrectionis Christi tuto credere non possumus, dum sensus testes illius in Miraculis Corpus Christi respicientibus fuere decepti, Christianæ Religionis fundamentum subruitur.

Expli-

§. MDCLIX.

Explicatio verborum Inſtitutionis Chriſti, ſecundum mentem Pontificiam, contradictionem involvit. Aut enim Verba illa figurate ſunt intelligenda, aut non figurate; Si prius, interpretatio Pontificiorum ſubſiſtere nequit; ſi poſterius, ſequitur, Calicem eſſe & mutari in Novum Teſtamentum ſanguine Jeſu Chriſti ratificatum Luc. XXII. 20. quod ipſimet adverſarii concedere nolunt: E. ex interpretatione Pontificiorum Verba Inſtitutionis ſunt explicanda figurate & non figurate, prius ratione unius ſigni, poſterius ratione alterius, unde Verba Inſtitutionis unius ejusdemque Sacramenti ſunt figurate intelligenda & non figurate, quod contradictionem involvit.

§. MDCLX.

Secundum Doctrinam de Transſubſtantiatione Chriſtus ſignum ſupervacaneum inſtituit: Si enim Panis in Corpus Chriſti mutatur, ſanguis ejus jam ſub illo comprehenditur; Dominus autem aliud ſignum in ſignificationem ſanguinis ſui inſtituit, unde duplex ſanguinis ſui ſignum, ſive potius ſanguinem ſuum dupliciter Jeſus Chriſtus in S. Cœna diſtribuit, quod ſupervacaneum eſt.

§. MDCLXI.

Dogma hoc Pontificium contradicit S. Scripturæ. Illa nimirum aſſerit, Chriſtum idem, quod ſumſit in manus, etiam diſcipulis ſuis tradidiſſe, & idem, quod traditur, etiam ab illis manducari. 1. Cor. X. 17. XI. 26 - 28. Ubi dicitur, fideles edere panem; non autem editur ante pronuntiationem verborum inſtitutionis, ergo etiam poſt illa verba manet panis; Si vero hæc verba

non

non sensu litterali accipienda sunt, Pontificii sibimetipsis contradicunt, dum nullam admittere volunt figuram, cum hæc non tantum figura esset, sed figura violentissima, cui par esset nulla.

§. MDCLXII.

Sed ne fieri quidem potest, ut substantia panis mutata fuerit in Corpus Christi, alias Dominus Discipulos suos aliud edere jussisset quam ipsimet ederunt. Ante enim pronuntiata verba, *hoc est Corpus meum*, Christus discipulos manducare jussit id quod fregerat, scilicet Panem: Mandatum enim ipsis dederat, ut id, quod ipsi in manibus erat, sumant & edant antequam in Corporis sui substantiam per pronuntiationem verborum istorum panis mutatus fuit: Ergo illos jussit sumere & edere id quod panis erat; Si vero per verba posthæc pronuntiata in substantiam Corporis Christi panis mutatus fuit, Discipuli aliud ederunt quam Christus illos jussit, quod fieri nequaquam potuit.

Alia adhuc ad hanc rem demonstrandam addi possent argumenta per indirectum; Christus nimirum una cum discipulis accubuisset & tamen semetipsum ipsis distribuisset & manducandum dedisset, & à Discipulis manducatus iis calicem dedisset. Duplex oporteret habere Corpus, unum quod manducatum fuit à Discipulis, alterum quod deinceps cruci affixum; Unum quod ex Maria assumsit, alterum ex substantia panis creatum. Adesse deberent accidentia sine substantia, cum accidentia panis manent, licet substantia illius non amplius adsit, &c.

§. MDCLXIII.

Quoniam ergo in Sacramento hoc Pontificiorum nullum est Sacramentum, sive Sacramentum esse

esse cessat (§. 1656.); Et Transsubstantiatio ne Apostolis quidem in mentem venire potuit (§. 1657.); Et per illam revelatæ Veritatis certitudo evertitur (§. 1658.); Et contradictionem involvit (§. 1659.); Et Christus supervacaneum quid fecit (§. 1660.); Et dogma hoc Sacræ Scripturæ contradicit (§. 1661.); Et multa absurda involveret (§. 1662.); Sequitur illud oppido falsum esse.

§. MDCLXIV.

Imo illud verum esse ne per Miraculum quidem probari posset, quibus tamen Christus & Apostoli veritatem suorum dogmatum probarunt. Si enim ad hoc probandum Miraculum committeretur, sensibus fides esset habenda, quibus percipimus Miraculum patratum fuisse; sed ipsum hoc dogma, cujus veritas Miraculo asserenda esset, dicit sensibus in patratione Miraculorum nullam habendam esse fidem (§. 1658.): E. Dogma hoc verum esse ne Miraculo quidem probari potest.

§. MDCLXV.

Cum Christus secundum humanam Naturam nobis excepto peccato per omnia similis factus, & Corpus illius terra relicta in Cœlum susceptum fuerit, ut longissimo intervallo à nobis distet, & contradictionem involvat, ut Corpus aliquod, secundum naturam omnium Corporum, in certo aliquo loco circumscriptum & definitum sit, & tamen Omnipræsens, proptereaque modus, quo id fieri possit, à nemine comprehenditur vel intelligitur, ut dogmatis de Omnipræsentia Corporis Christi ne ullum quidem Conceptum habeamus, & Phrasis institutionis à Sacramento Paschatis

schatis desumta ejusmodi manducationem substantialiter præsentis Corporis Christi non magis probet, ac reliquæ omnes de Sacramentis loquendi formulæ rei significatæ præsentiam indicant; Neque etiam manducationis Corporis Christi realis ullus usus esse possit Joh. VI. 63. Hinc est quod Ecclesia Reformata Doctrinæ de substantiali Corporis Christi in S. Cœna præsentia ejusque comestione assentiri nequaquam potest.

§. MDCLXVI.

Colchorum aliquis Sacerdos de præsentia hac Corporis Christi interrogatus, citante Celeberrimo Theologo JOH. ALPH. TURRETTINO, ex *Voyages de Chardin*, respondit; *Quorsum huc descenderet?* Quamvis enim Corpus Christi cum nostro arctissime uniretur, ex hac unione tamen non produceretur Vita, quæ ex Deo est, dum Spiritus sit, qui vivos nos facit, neque Caro Christi quidquam prodest. Joh. VI. 63.

§. MDCLXVII.

Quæ verba Dominus Jesus enuntiavit, dum Judæis litigantibus, quomodo ipse carnem suam manducandam præbere possit, respondit; ipsisque sermo ejus nimis durus videretur:

§. MDCLXVIII.

Addit verba sua spiritum esse & Vitam esse, hoc est, verba sua non secundum corpus, sed secundum spiritum esse intelligenda. Ut paraphrasis horum verborum hæc sit: Vitam, quæ de Deo est, comestione corporali produci non posse, sed id fieri vi Spiritus Omnipotentis, qui in animis fidelium desiderium excitat communionis

cum

cum Morte Chriſti, cujus per hoc deſiderium participes fiunt, idque propter Corpus ejus crucifixum & ſanguinem pro iis fuſum, ex qua communione ſpirituali, virtute Spiritus vivificantis operata, vera Vita in animam & corpus derivatur.

§. MDCLXIX.

Atque ita ſecundum ſpiritum manducationem Corporis Chriſti & bibitionem ſanguinis ejus Reformati intelligunt & credunt.

§. MDCLXX.

Propterea ſtatuunt, corpus & ſanguinem Chriſti revera in ſacra Cœna adeſſe non tantum animæ ſed & corpori noſtro, quamvis non per contactum. Adſunt nempe virtute & efficacia, quatenus vi mortis Chriſti vita ſpiritualis in anima noſtra excitatur & ex anima in corpus derivatur.

§. MDCLXXI.

Ita vi & efficacia Corporis Chriſti fracti & ſanguinis fuſi, tam in anima, quam in corpore & ejus membris per Spiritum Sanctum nos cum Chriſto unientem vita producitur, quæ ex Deo eſt.

§. MDCLXXII.

Chriſtus ſacrum hunc Ritum inſtituens accumbentibus fidelibus, hoc eſt, Apoſtolis præcepit, qui univerſam repræſentabant Eccleſiam, ut non tantum de pane edant, ſed & calicem bibant omnes Matth. XXVI. 27. Ratio eſt, quia pro multis in remiſſionem peccatorum effuſus eſt. Et Apoſtolus Paulus etiam utriusque ſpeciei uſum in Eccleſiis inſtituit: Homo, inquit, qui ſe exploravit, edat de hoc pane & de poculo bibat.

1. Cor.

1. Cor. XI. 27. 28. Unde sequitur, S. Cœna sub utraque specie, omnibus qui se exploraverunt & pro quibus sanguis Christi effusus est, utendum esse.

§. MDCLXXIII.

Id etiam ex ipsa hujus Sacramenti Natura & significatione sequitur, in illo enim debet esse commemoratio & adumbratio mortis Christi cruentæ, in qua corpus ipsius fractum est, sanguis effusus & à corpore separatus fuit; Unde in illo non tantum ad totum Mysterium adumbrandum opus est pane fracto, ad significandam Corporis Christi fractionem & Vino seorsim effuso, ad sanguinis effusionem designandam.

§. MDCLXXIV.

Omni fundamento caret & Naturæ tum Sacramenti, tum dictis S. Scripturæ contrariatur, quod Corpus & Sanguis Jesu Christi in S. Cœna Patri substantialiter & realiter in sacrificium vere expiatorium pro peccatis nostris offeratur.

§. MDCLXXV.

Nullibi enim, ubicumque in S. S. Eucharistiæ mentio fit, Sacrificii rationem habet, sed altum de hac re silentium est: Unde hæc Doctrina fundamento caret.

§. MDCLXXVI.

Et cum Sacramentum sit signum & sigillum Beneficiorum divinorum, cujus usu communionem nostram cum Christo & Ecclesia testamur & pro beneficiis collatis publice gratias agimus (§. 1622.), adeoque sacrificii præstiti tantum commemoratio (Luc. XXII. 19.), non vero il-

lius repetitio est, & mors ejus hac cærimonia annuntianda est donec veniat. 1. Cor. XI. 26. non autem repetenda, quod per sacrificium fit: inde patet, hanc Doctrinam Sacramenti hujus naturæ esse contrariam.

§. MDCLXXVII.

Et Apostolus Paulus asserit, Christum esse Sacerdotem in æternum, habentem Sacerdotium ἀπαράβατον, ut nullus in terris Sacerdos esse possit, qui Christum unicum illum & consummatum Sacerdotem offerat Hebr. VII. 24. & idem Apostolus nono & decimo Epistolæ hujus capite passim docet, quod Christus semel tantum oblatus sit, & unica illa oblatione fideles omnes à peccatis suis in perpetuum expiati sint: Unde divus Paulus hujus sacrificii perfectionem sacrificiis V. Test. opponit, atque ex illorum reiteratione eorum imperfectionem & inefficaciam concludit; reiteratio ergo sacrificii hujus insufficientiam arguit, & in maximam illius ignominiam tendit; Et sine sanguinis effusione, hoc est, vera passione & morte nulla peccatorum remissio est. Cap. IX. 23. ex quibus omnibus sequitur Sacrificium missaticum S. Scripturæ contrariari.

§. MDCLXXVIII.

Dogma de Transsubstantiatione falsum est, (§. 1663.); propterea panis non est ipse Christus, sed tantum ejus signum atque sigillum: E. Idololatria committitur, si ille adoratur.

§. MDCLXXIX.

Licet supponatur, Transsubstantiationem veram esse, à plurimis tamen hostiæ adoratione Idolatria

lolatria committitur. Etenim ex ipsa hypothesi Pontificia, uti ad reliquorum, ita etiam hujus Sacramenti Essentiam requiritur Sacerdotis administrantis attentio & intentio, quæ si absit Sacramentum non efficitur; juxta S. Script. autem nil nisi ex fide, hoc est, certa persuasione aliquid rectum esse, faciendum est; Et quilibet in sententia sua certus esse debet: Sed nemo hominum nosse potest Sacerdotem consecrantem debitam habuisse intentionem, propterea etiam nemo certus est, panem non amplius esse panem, sed ipsum Corpus Christi, & sic adoratio illa non procedit ex fide, & propterea Idololatria est.

§. MDCLXXX.

Unicum hoc addimus, quod, *Celeb. TURRETINUS in Dissert. de variis Theologiæ Capp.* §. CXXI. Qui fit, inquit, ut primi Christiani Ethnicis exprobrarent, illos adorare id quod comeditur: Sæculo vero XII. Christianis ipsis exprobret Averroës, illos Deum suum comedere? Horum ratio nulla reddi potest, nisi quod primis Sæculis illud Christiani execrarentur, quod sæculis sequentibus inter ipsos introductum est.

§. MDCLXXXI.

Sacramenta vim suam significativam & confirmativam ab institutione divina habent (§. 1626. 1627.), vis autem illa Sacramentorum essentiam constituit (§. 1622.); E. Sacramenta Essentiam suam ab institutione divina habent.

§. MDCLXXXII.

Confirmatio in Ecclesia Romana observata, extrema Unctio, & Ministrorum ordinatio, nec

à Chriſto, nec ex illius juſſu ab Apoſtolis loco Sacramenti inſtituta leguntur; quoniam vero Sacramenta eſſentiam ſuam ab inſtitutione divina habent (§. præced,): E. hæ tres cerimoniæ non ſunt Sacramenta.

§. MDCLXXXIII.

In quolibet Sacramento oportet ſit ſignum aliquod externum viſibile (§. 1621. 1622.): Atqui nec in Pœnitentia, nec in Matrimonio, quod conſiſtit in mutuo conſenſu, adeſt ſignum aliquod viſibile; E. nec hæc habent Sacramentorum requiſita.

§. MDCLXXXIV.

Sacramenta obligant obligatione præcepti divini, quod ſi per circumſtantias obſervare non liceat & nulla propria culpa interſit, illa absque ſalutis diſpendio intermitti poſſunt (§. 1630. 1631.): E. etiam S. Cœna, ſi nulla noſtra culpa illius copiam non habemus, absque Salutis æternæ detrimento omitti poteſt.

§. MDCLXXXV.

Cærimoniarum & per conſequens etiam Sacramentorum Finis eſt, ut certæ in nobis producantur cogitationes ad verum Dei cultum pertinentes (§. 1600. 1601. 1622.), ad quem finem aſſequendum nec multis, nec ſplendidis cerimoniis opus eſt, ne animi attentioni obſint (§. 1620.), & illæ per ſe verum Dei Cultum non conſtituunt (§. 1604.), ſed tantum adminicula ejus ſunt (§. 1605.); E. licet Sacramenta vilia videantur, nullisque ſplendidis cerimoniis auguſta, fini tamen egregio aſſequendo ſufficiunt, proptereaque à nemine contemnenda. Viles

Viles licet Ritus videantur, tamen res significatæ & obsignatæ viles non sunt, & non vult Deus, ut hominis animus in externis defixus internum ac spiritualem cultum negligat, & sufficit illum, ut ritus ejusmodi viles observentur, præcepisse. Magis illa negligendi causſam haberemus, si nimis onerosi atque sumtuosi essent, sed hoc in casu valet illud quod Servi Naamanis dicebant, cum septena in aquis Jordani lotio ipsi lepra affecto nimis vilis videretur. Pater, inquiunt, si rem grandem tibi Propheta dixisset, certe facere debuisses; quanto magis quia dixit tibi, lavare & mundaberis. 2. Reg. V, 13.

§. MDCLXXXVI.

Baptismus & S. Cœna scopo Sacramentorum assequendo (§. 1621.) sufficiunt (§. 1635. 1649.): Nec alia à Christo & Apostolis ex ipsius præcepto instituta sunt (§. 1682. 1683.): E. Plura Sacramenta nec existunt, nec necessaria sunt.

§. MDCLXXXVII.

Præter ea quæ hactenus diximus, ad commune Civitatis Dei bonum promovendum etiam officia Charitatis pertinent (§. 1555.); Quæ omnia ea comprehendunt, quibus Salus reliquorum sanctæ hujus Societatis Membrorum promoveri potest. Uti enim Juris Naturæ Generalis Regula atque Principium, hoc est; Quicquid nostrum & Proximi nostri statum in Vita Civili perfectiorem reddit, illud faciendum est. Ita in sancta Dei Civitate, quæ Bona æterna atque spiritualia intendit, universalis hæc omnium actionum nostrarum regula semper observanda est; Quidquid meum & reliquorum Societatis spiritualis Membrorum statum perfectiorem reddit atque Salutem æternam promovet, illud faciendum est.

Sectio XXIV.

De Ecclesiæ Consummatione.

§. MDCLXXXVIII.

Animas hominum post hanc vitam in statu idearum distinctarum cum conscientia præsentis præteritique status superstites futuras, tum ex ipsius natura (§. 716.), tum Dei justitia (§. 719.), tum Creationis ejus fine (§. 720.) probavimus; Et statum etiam animarum fidelium redemtorum, justificatorum & sanctificatorum præsenti longe feliciorem atque perfectum futurum in altera vita supra ex principiis suis adstruximus (§. 1449. usque ad finem Sectionis XIX.).

§. MDCLXXXIX.

Eadem veritas ex aliis etiam Dei Attributis, ex ejus erga sui similes ipsumque quærentes Amore; ex conscientiæ dictamine & morsibus, nec non gaudio & tranquillitate intrinseca quadam ex sincero Dei Cultu oriente; ex singulari mentis excellentia atque tot quibus prædita est perfectionibus, quibus supra mortalia sese erigit, deduci posset; sed momentosissima hæc veritas omnibus iis, qui de Revelationis necessitate & Veritate convicti sunt, ex clarissimis Scripturæ S. dictis, argumentis omni exceptione majoribus, confirmata est: Ut nemo, qui S. Scripturam divinam esse credit, de hac re dubitare possit. Eccl. XII. 7. Matth. X. 28. 2. Cor. V. 8. & hæc fuit spes Stephani Act. VII. 59. Pauli, Philip. I. 23. 2. Tim. IV. 7. 8. & Petri 1. Ep. IV. 19.

Imo

§. MDCXC.

Imo certitudini Dogmatis hujus etiam non debile additur robur, quia per Dogma hoc Genus humanum & omnis Societas ſubſiſtit, ſublato Deo, ſublata Religione, omni vel ſpe & metu alterius vitæ ex animis hominum plane erutis, apud plurimam Incolarum hujus terræ partem nec fides, nec juſtitia, nec virtus maneret reſidua, nulla amplius foret ſecuritas, in iis præcipue caſibus, ubi nec formidini pœnæ nec ſpei præmii in hac vita locus eſſe poteſt, pacta, juramenta, fœdera omne ſuum robur amitterent, per quæ tamen Societas humana ſubſiſtit; & quis vincula haberet, quibus effrenem hominum libertatem conſtringeret & clandeſtina molimina compeſceret? Quis vero ſibi perſuadere poteſt, firmiſſimum Generis humani & omnis Societatis fundamentum nil niſi terriculamentum falſum atque ſpem evanidam eſſe? Imo nullis verbis exprimi poteſt, qualis Societatis humanæ ſtatus futurus eſſet, ſi omnis Immortalitatis Animæ fides ex animis hominum evaneſceret! Quis ergo concipere poterit id, à quo omnia hominum in hac terra Salus, omnis ſecuritas, atque temporalis felicitas dependet, & ſine quo Genus hominum vix ac ne vix quidem ſubſiſtere poſſet, nil niſi chimæram & figmentum eſſe.

§. MDCXCI.

Animæ illorum, qui in hac terra cum Chriſto ceu unica atque perfectiſſima Salutis cauſſa per verum fidei deſiderium communionem habuerunt, ſtatim æternæ Gloriæ participes fiunt, unde dicitur, quod mox poſt mortem in Paradiſum abeant Luc. XXIII. 43. & morientes in Domino Beati

sunt ἀπάρτι, & requiescunt ab operibus suis Apoc. XIV. 13. & portantur ab Angelis in communionem consummatorum Luc. XVI. 22. & licet Corpus moriatur propter peccatum, tamen Spiritus vita est, id est, apud Deum vivit propter Christi justitiam. Rom. VIII. 10.

§. MDCXCII.

Et de nullis subterraneis carceribus, quo Animæ migrent, aut pluribus locis ceu animæ post mortem receptaculis, sed de solo Cœlo inferisque S. Script. mentionem facit.

§. MDCXCIII.

Neque ipsa Purgatorii vox ullibi in S. Script. reperitur, neque usquam de Animarum post mortem purgatione sermo est, aut quod Animæ peccatorum venialium culpam in tertio aliquo loco luere debeant. Altum etiam est silentium de intercessionibus atque sacrificiis pro animis in purgatorio degentibus peragendis, unde fabulam hanc ut Scripturæ contradicentem (§. 1691.) & fundamento carentem rejicimus.

§. MDCXCIV.

Itaque Animæ Fidelium, qui in hac vita Medii, quod Deus ad liberationem ex malo infinito, quod peccatum sequitur, ordinavit, participes facti sunt, statim post Mortem perpetua tranquillitate atque satietate gaudiorum fruuntur.

§. MDCXCV.

Sed dicit Scriptura, Christum etiam defunctis corporibus mandaturum, ut in vitam redeant, adeo ut universalis omnium mortuorum Resurrectio futura sit. Mag-

§. MDCXCVI.

Magnum hoc Dogma Mysterium est, unde Athenienſibus ridicula visa fuit hæc Doctrina, Act. XVII. 32. Et inter ipsos Judæos à Sadducæis impossibilis habita. Matth. XXII. 23. seq. Actor. XXIII. 8. Extiterunt etiam in primo Christianismo qui Resurrectionem tantum spiritualem in hac vita admiserunt & illam jam factam censebant. 2. Tim. II. 18.

§. MDCXCVII.

Illis, qui ex Rationis principiis solum omnia demonstrata volunt, & Veritates revelatas ægre admittunt, & fidei nihil tribuunt, Doctrina hæc omnino incredibilis videtur.

§. MDCXCVIII.

Quamvis vero illius veritas à priori mathematice demonstrari nequeat, tamen possibilitas ejus ex ipsis Rationis principiis nullo negotio, sepositа Revelatione, à Philosopho erui potest.

§. MDCXCIX.

Possibile est quidquid nullam involvit contradictionem (§. 322.), quod propterea Intellectui divino repræsentatur ut nullam contradictionem involvens (§. 323.): Sed particulas, quæ aliquando integram constituerunt Machinam artificiose fabricatam, nunc vero dirutam, iterum conjungi & Machinam ex iisdem iterum partibus construi, nihil plane contradictorium in se continet: E. talis restitutio impossibilis non est.

Tot in Mundo Artificum habemus exempla, qui Machinarum singulas partes aliquo casu à seinvicem separatas, ut illarum ordo plane turbatus sit, iterum

conjungunt, ordinemque totiusque Systematis nexum iterum artificiosissime restituunt, ut omnes particulæ munere suo fungi queant; & quid de Chymicis aliisque dicam; Ut de hujus rei possibilitate nemo habeat cur dubitet.

§. MDCC.

Nec porro Intellectus Dei, nec illius Potentia obest, quo minus id fieri possit; per Intellectum enim omnia possibilia, sive actu existant, sive non existant, distinctissime sibi repræsentat (§. 327. 339.), & Omnipotens omnia possibilia ad actum producere potest (§. 393. 394,); E. nec Intellectus nec Potentia Dei obsunt, quominus Resurrectio Corporis, quæ possibilis est, ad actum produci possit.

§. MDCCI.

Et summa Dei Sapientia, quæ Nexum omnium rerum sapientissimum ad sapientissimum finem ducentem ordinavit, etiam omnes in rerum Universo res, quamcunque parvæ videantur atque exiguæ, ita disponere & combinare scit, ut fini præfixo respondeant; unde nec illius Sapientia imbecillis, ut quidquam sit quod efficere non possit.

§. MDCCII.

Imprudentiæ autem omnium Philosophorum consensu est, aliquid negare suo tempore futurum, quod nec absolute & in se, nec per hunc rerum nexum ad certum aliquem finem tendentem impossibile est: Resurrectionem autem mortuorum absolute non esse impossibilem demonstravimus (§. 1699. 1700.); Illam vero per hunc rerum nexum, qui in Mundo est, non esse possibilem dici nequit, dum α. ad hoc asserendum requiri-

quiritur, ut totus rerum nexus & modus, quo omnes rationes particulares tendunt ad aliquam universalem, notus esse debet. β. Negari à nemine potest, Resuscitationem mortuorum ad illustrandum infinitum Dei Intellectum, Omnipotentiam, Sapientiam, Justitiam aliaque Dei Attributa maximopere facere, qui Dei in hujus Mundi Creatione finis fuit; Hinc male diceretur, id quod ad summam Dei Gloriam illustrandam multum confert, per hunc rerum nexum impossibile esse; Cum tamen ad rationem Mundi universalem tendat, uti omnia quæ in hoc Universo eveniunt eo tendere debent: E. male faciunt illi & contra ipsas Philosophiæ regulas peccant, qui Resurrectionem impugnant, quam tamen possibilem esse admittere tenentur.

§. MDCCIII.

Finem propter quem non Spiritus solum sed & Corpus hominis creatum est hunc esse, ut Deus non tantum Spiritu, sed & Corpore glorificetur, nemo ex illis dubitat, qui sciunt Deum existere & illum omnia facere propter Gloriam suam. Sed quid magis *Intellectum* divinum illustrat, quam si sciat, illas particulas quamcunque minutas, quæ ad quodlibet Corpus tot myriadum hominum pertinent, à seinvicem distinguere, colligere, conjungere, ut nulla illarum confusio respectu infiniti divini Intellectus locum habeat? Quid magis *Omnipotentiam* ejus demonstrat, quam si unico verbo efficere possit id, quod in oculis hominum impossibile videtur, qui vim Dei non norunt Matth. XXII. 29. qui majestatica voce & simul efficacissima uti potest, *redite filii hominum.* Quo modo illius *Sapientia* magis patefit, quam si per

per Resurrectionem Corporis finis, propter quem conditum est, suum sortitur complementum? Quid *Justitiam* ejus magis extollit, quam si non Animæ tantum, sed & Corpori retribuat secundum opera sua? Quid magis summam Dei erga Creaturas rationales *Amorem* exhibet, quam si ostendat, se ipsarum Deum esse, ipsisque post mortem etiam benefaciat, quod fieri nequit nisi suscitatis prius ex mortuis; sed quantus erit illius erga Creaturas has Amor, si illas in æternum amet & vicissim ab iis diligatur. Unde dubitari amplius nequit, Gloriam Dei, quæ finis omnium suorum operum est, quam maxime patefieri, si homines ex mortuis resuscitentur.

§. MDCCIV.

Hæc, quæ hactenus de momentosissima hac Veritate disseruimus, non Resurrectionis possibilitatem tantum, sed ipsam etiam ejus certitudinem summo gradu probabilem reddunt, & tam probabilem, ut insulsum sit, si quisquam ei refragari velit, eam solummodo ob caussam, quod modum illius penitus perspicere nequeat, aut quod ipsi maxime ingrata sit. Nulla veritas in toto Universo existeret si ea tantum vera essent, quorum modus nobis distinctissime notus est, cum ne modum illius rei, quæ nobis notissima esse deberet, noscamus, qua scilicet ratione nexus inter Animi Corporisque actiones sese habeat.

§. MDCCV.

Maximum tandem pondus veritati huic addunt evidentissima S. Scripturæ testimonia, quæ ad maximum homini solatium præbendum, quo se in omnibus Vitæ hujus miseriis erigere possit,

Dog-

Dogma hoc validiſſime inculcat, ne ſinceri Dei Cultores ſe omnium hominum, imo omnium Creaturarum miſerrimos eſſe arbitrentur.

§. MDCCVI.

Et ſciens quam arduum ſit mortalibus, ut indubitatam Vitæ æternæ ſpem concipiant, illorum infirmitati occurrere voluit, unde Reſurrectionis ſpem certiſſimam tum exemplis tum teſtimoniis confirmavit.

§. MDCCVII.

Exempla extant Filii Viduæ Sareptanæ per Eliam ſuſcitati 1. Reg. XVII. 21. 22. Filii Sunamitidis 2. Reg. IV. 34. 35. Viri attactu oſſium Eliſæi ſuſcitati 2. Reg. XIII. 21. Omnium illorum qui tempore Chriſti ex morte reſurrexerunt. Ipſius denique Chriſti Capitis noſtri, qui Primitiæ reſurgentium vocatur. 1. Cor. XV. 20.

§. MDCCVIII.

Unde Apoſtolus Paulus in integro fere citato capite ex Chriſti Reſurrectione etiam fidelium adſtruit, quæ ita inter ſe connexa ſunt, ut ſi una vera ſit, etiam altera certo eventura ſit, ut ſi quis neget nos reſurrecturos, ſimul neget Chriſtum reſurrexiſſe, ſi enim, inquit, *verſu* 16. *ſeqq.* mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Si vero Chriſtus non reſurrexit, vana fides veſtra: adhuc eſtis in peccatis veſtris. Nempe & dormientes in Chriſto perierunt. Si in vita hac ſperantes ſumus in Chriſto tantum, miſerabiliores omnibus hominibus ſumus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium factus eſt.

Teſti-

§. MDCCIX.

Testimonia S. Script. ita comparata sunt, ut simul universalitatem Resurrectionis probent, insignis Dei Vates Daniel asserit illos, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilaturos, alios in vitam æternam, alios in opprobrium cap. XII. 2. Et Apostolus Paulus dicit: Statutum esse hominibus semel mori, & posthac judicium Heb. IX. 27. quam universale ergo Judicium hoc, tam universalis etiam Resurrectio erit: 2. Cor. V. 10. Matth. XXV. 31. seq. Joh. V. 28. Act. XXIV. 15.

§. MDCCX.

Tanti hæc Doctrina momenti est, ut totius Religionis Christianæ fundamentum sit, atque spei pietatisque nostræ fulcrum; spes enim vitæ æternæ nos in vita & morte consolatur & ad Deum ex sincero cordo quærendum atque amandum excitat, quisquis ergo Dogma hoc evertit, simul omnem fidem Christianam evertit, ut pro Christiano haberi amplius nequeat.

§. MDCCXI.

Certum autem diem futurum S. Script. asserit, quo non tantum universalis futura sit Resurrectio, sed solenne etiam Judicium, quo quivis de male aut benefactis in hac terra propria Conscientia convictus judicandus sit secundum opera sua, & quo Deus piis præmium, impiis vero pœnam promeritam retributurus sit.

§. MDCCXII.

Ipsa Dei tum Justitia, tum Providentia hoc suadet; Justitia enim quæ est studium suum cuique tribuendi, sive Bonitas cum Sapientia administrata

ta

ta (§. 565. 566.), quæque absolute necessaria Deoque essentialis est (§. 647. 648.), postulat ut, piis bene, malis vero male fiat. Vita vero pientissimorum in hac terra non infrequenter calamitosissima, impiorum vero plerumque felicior ut ex voto ipsis omnia fluant. Sequitur ergo vi Justitiæ divinæ retributivæ sive punitivæ, ut demonstretur in altera vita, ut & pii & impii sentiant, ex obedientia & communione Dei æterna bona, ex malis vero æterna mala sequi.

§. MDCCXIII.

Et Deus eum in finem omnia Attributa per opera sua patefacit, ut illa à Creaturis rationalibus agnoscantur & ipse glorificetur, hinc opus est, ut hoc toti Mundo sive Generi humano notum fiat atque adeo publice declaretur.

Ex quibus constat, diem huncce solennem ad finem, quem Deus per opera sua intendit, obtinendum necessarium esse, illustrissimo enim modo Deus quam Justus sit hac ratione universo Generi humano demonstrare potest, licet enim Deus justissimus esset in omnibus operibus suis, idque hominibus non declararet, fini suo non convenienter ageret.

§. MDCCXIV.

Nec minus ad divinæ Providentiæ justificationem tali die & publica Viarum Dei declaratione opus erit, hic enim multa in Generis humani & Ecclesiæ gubernatione occurrunt, quæ nobis penetrare non licet. Viæ Providentiæ divinæ in plurimis imperscrutabiles sunt. Omnia subinde videntur confusa. Piis impii permixti sunt. Impiis haud raro omnia ex voto succedunt, piis vero haud ita, ut etiam nec ex externa felicitate de

de pietate aut impietate cujusquam concludere possis. Cum vero Deus glorificari velit per opera sua, necessum est, ut coram omnibus ostendat, quænam viarum suarum ratio fuerit, atque indicet, quodnam inter justum & injustum discrimen sit, omniumque, quæ nunc in Ecclesiæ regimine perplexa videntur, ordinem perspiciendum exhibeat; E. etiam ratione divinæ Providentiæ solenni ejusmodi die opus erit.

§. MDCCXV.

Ex quibus patet, ejusmodi Judicium publicum ratione Attributorum divinorum & Gubernationis Mundi non tantum non ut inutile aut absurdum tenendum esse, sed totam operum divinorum rationem id postulare.

§. MDCCXVI.

Ipsa etiam hominis Conscientia huic Judicio, dum illius loco vices in hac vita gerit, testimonium præbet; quæ damnat aut absolvit, prout opera nostra comparata sunt, licet crimina etiam occultissima sint, aut ab hominibus commissa, quibus nulla potentia humana nocere potest.

§. MDCCXVII.

S. Script. Veritatem hanc, per se jam satis probabilem, extra omnem dubitationis aleam ponit; dicens Deum diem constituisse, in quo judicaturus sit orbem in Justitia, per virum quem statuit Act. XVII. 31. & jam ante multa annorum millia de eo prophetavit Enoch: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, Judæ v. 14. 15. graphice Judicium hoc ab ipso Christo depingitur Matth. XXV. 31. seqq.

31. seqq. hisce addi potest dictum Pauli 2. Cor. V. 10. 2. Thess. I. 6. 7. nec non multa alia loca clarissima.

§. MDCCXVIII.

Ea autem in hoc Judicio tum fidelium tum infidelium irrevocabilis sors erit, ut caussa manifestata priores secundum Animam & Corpus in statu perfectissimo consummantur, in quo fini, ad quem conditi fuere, satisfacere possunt & ad Creatoris & Salvatoris Gloriam vivere; posteriorum vero status, effectu naturali ex peccato fluens, in æternum miser erit.

§. MDCCXIX.

Pœnæ hujus rationem (§. 557 - - 593.), ita exposuimus, ut simul sit gravissima & peccato convenientissima, ita tamen comparata, ut ne minima quidem injustitiæ species ex illa argui possit.

§. MDCCXX.

Gravissima enim pœna est ubi sceleris scientia æterna est, ut peccator intime sibi conscius sit se propria culpa Gratia Dei petulanter neglecta in hoc miseriæ barathrum devenisse, justissime se Gloria divina, quæ sibi per Misericordiam divinam toties oblata fuerat, privatum esse, & per proprium meritum à beatifica Dei visione, fonte omnis vitæ & lucis, separatum: & hoc modo maxima tristitia angoribusque afflictus Conscientiæ remorsus cum summa desperatione æternum tortorem sentiat.

§. MDCCXXI.

Sed quænam peccato convenientior pœna esse potest, nisi illa quæ immediate ex peccati

natura ut effectus phyſicus ſequitur, quæ non ab extra proficiſcitur, ſed in ipſo peccato continetur, quod ut infelix aliquod Semen cum omnibus ſuis amaris radicibus atque fructibus paulatim evolvitur, qua ratione ipſum peccatum ſui pœna eſt, ut peccator non habeat, cur de illa queratur.

§. MDCCXXII.

Neque ulla adeſt cauſſa, cur pœnis æternis addictus de nimio rigore aut injuſtitia querelas moveat, ſi omnia ea ex peccato ſequantur, quæ effectu naturali (§. 650.) ex illo ſequi poſſunt, & Deus per miraculum non tollat id quod peccator ipſe voluit. Deus peccatorem hoc modo puniens nihil aliud facit, quam quod animæ exiſtentiam, uti omnium aliorum Entium, conſervat, & quia ad animæ eſſentiam pertinet, ut in ſtatu diſtinctarum Idearum verſetur atque præteriti & præſentis ſtatus ſibi conſcia ſit; Hinc Deus animæ exiſtentiam & eſſentiam conſervans ſimul etiam illam eſſentia ſua immortalem conſervat; an autem aliquis hoc injuſtum aut nimis rigidum diceret, quod Deus creaturis, quas bonas creaverat, continuatam exiſtentiam dat? Non certe magis rigidum aut injuſtum eſt, quam quod eam ab initio creavit. Vel an Deum ideo quis injuſtum diceret, quia Juſtus eſt, ſive Bonitatem ſuam cum Sapientia adminiſtrat (§. 566.), hoc eſt, tantum Bonitatis cuique creaturæ tribuit, quantum ſalva ſumma ſua Sapientia per creaturæ ſtatum fieri licet & poteſt! Vel an Deus absque ulla Sapientiſſima ratione nexum mutare tenetur, quem peccator ipſe libertatis abuſu inſtituit! Aut an tandem injuſtum aut rigidum dici meretur, ſi Deus permittit, ut anima ſuorum ſibi

ſcele-

scelerum summo cum dolore, pœnitentia atque sui ipsius indignatione conscia sit, ut diris atque ingratis cogitationibus semetipsam extorqueat, ut perpendat quanta felicitate semetipsam privaverit, quanta sit miseria in quam se conjecerit, ut intensissimus inde oriatur conscientiæ angor? an quis injustius hoc diceret, quam si Deus per miraculum non impedit Corporis dolores, qui ex veneno sequuntur, quod quis deliberato consilio sumsit.

§. MDCCXXIII.

Magnopere ergo errant, qui Deum justitiam administrantem concipiunt ut tyrannicum, furiosum, vindictæ cupidum aliquem Dominum, qui peccatorem puniendo quasi cupiditatem suam exsatiare possit & adversus damnatos æstu iræ excitatus in ipsos grassetur; sed quorsum hæc? Deus nihil aliud facit, quam quod Peccatoris, uti omnium reliquorum creaturarum, existentiam conservat, quod illi suam, quam sæpius recusavit, Benignitatem non amplius exhibet, quod ipsi omnem eam recuperandi spem adimit, omnia objecta tollit, quæ in hoc vitæ ævo angores conscientiæ aut extinxerunt aut leniverunt, quod tandem miraculo nexum inter ipsum peccatum & naturales illius effectus, qui pœnam efficiunt, non auffert & turbat.

§. MDCCXXIV.

Pœna peccati fluit ex peccato nexu naturali (§. 557 -- 593. 1721.): Unde cessare aut auferri ab homine non potest, nisi aut existere desinat, aut ordo naturalis tollatur per Miraculum (§. 650.); Atqui anima est immortalis (§. 716.

719. 720. 1689 - - 1691.), & Corpus etiam reſurrecturum eſt (§. 1698 - - 1709.); E. nihil ſupereſt quam Miraculum, quo pœna ceſſare & effectus ille peccati naturalis interrumpi queat.

§. MDCCXXV.

Cum Deus ut cauſſa extramundana Miraculorum Autor ſit, ſed nihil faciat ſine ratione ſufficiente (§. 371.), hoc eſt, motivo; ſequitur Deum Miraculum hoc committere ſine ratione ſufficiente non poſſe.

§. MDCCXXVI.

Ratio illa eſt aut ſubjectiva aut objectiva (§. 379. 380.); Subjectiva aliunde quam ab Attributis ejus deſumi non poteſt, nam Deus in hoc Mundo nihil facere poteſt quam reſpectu habito omnium ſuorum Attributorum (§. 408.), ut in Gratiam unius non poſſit facere, quod cedit in detrimentum alterius, inter illa enim perfectiſſima obſervari debet harmonia; Unde Miſericordiam ſuam non poteſt exercere Juſtitia poſthabita, alias ſine ſuo excideret, propter quem totum hoc Univerſum condidit, qui eſt manifeſtatio totius Divinitatis, ſive omnium Perfectionum plenitudinis: unum vero non minus Attributum divinum eſt ac alterum, propterea unum modo non minus illuſtrari, quam alterum manifeſtari debet; qua ratione Univerſum fit ſpeculum omnium Attributorum, hoc eſt, totius Gloriæ Dei: Atqui Deus Gratiam & Miſericordiam ſuam in hoc demonſtravit, quod iis, qui Medium liberationis vera fide amplectuntur, conſtituit compenſationem per peccatum turbati ordinis, pœnæ perpetuæ durationis æquivalentem; Hinc ab altera parte etiam

am non minus alterum Attributum, scilicet Justitiam, demonstret oportet in iis, qui in peccatis perpetuo persistunt, neque propterea Medii illius participes facti sunt; Quoniam ergo, si ratio alicujus rei ab ipso Deo desumatur, omnium ejus Attributorum simul sumtorum respectus haberi debeat, in iis autem etiam Justitia punitiva comprehendatur, quæ absolute necessaria & Deo essentialis est (§. 647. 648.), & non permittit, ut pœna à peccato removeatur, hoc est, ut Deus Bonitatem suam non cum Sapientia administret (§. 599. 600. 601.); Hinc ratio ab Attributis divinis simul sumtis desumi nequit, cur Deus pœnam à peccato removere debeat.

§. MDCCXXVII.

Neque ratio objectiva adest, cur Deus per Miraculum pœnam cessare faciat; Illa nimirum ratio oportet inveniatur in homine, quæ nulla alia esse posset, quam ut id in ipso desinat, quod pœnæ caussa est, scilicet peccatum; durante enim peccato etiam durat naturalis ejus effectus sive pœna, ut vero peccator peccare desinat, requiritur Miraculum (§. 1322. 1343.): Impossibile enim est, ut ex statu moraliter imperfecto per se status moraliter perfectus sequatur; Propterea cum peccator peccare non desinat, nulla in ipso invenitur ratio, propter quam Deus per Miraculum pœnam ab ipso aufferat.

§. MDCCXXVIII.

Hoc igitur necesse est, ut prius per Miraculum efficiatur, ut peccatum desinat & ex statu hominis moraliter imperfecto fiat moraliter perfectus; id autem fieri nequit, nisi ratio extrinseca

ſive Gratia Dei ſuperveniat, quæ mentem hominis plane mutet, & Spiritus S. etiam in inferis operationes ſuas exſerat.

§. MDCCXXIX.

Sed iterum motivum ſive ratio ſufficiens requiritur, cur hoc fieri debeat, eaque vel in ſubjecto miraculum operante vel in objecto, in quo illud effici debet. In poſteriore plane nulla oſtendi poteſt, cum tum ſtatus ejus internus ac circumſtantiæ extrinſecæ non mutentur, qualis homo in primo damnationis momento fuit, talis etiam ſequentibus manet, absque miraculo enim nulla ipſius mutatio accidere poteſt (§. 1727. 1728.); E. Secundo vel tertio & ſequentibus momentis nihil eſt in homine, quod non etiam adfuerit in primo damnationis momento, quod Deum moveret, cur miraculo mentem ipſius mutaret & peccatum ab ipſo aufferret.

§. MDCCXXX.

Nec in Deo ratio eſſe poteſt, cur Juſtitiam ſuam demonſtrare deſinat, cur unius ex Attributis ſuis nullam amplius rationem habeat, cur in ſecundo momento vel uno ex ſequentibus aliter ſe erga damnatum peccatorem habeat, quam primo & omnibus prioribus momentis; hoc ſi fieret, eadem etiam ratione fieri poſſet, ut Deus & Miſericordiæ ſuæ non minus ac Juſtitiæ nullam amplius rationem haberet, & ita periculum foret, ut Beati etiam ſtatum glorioſum ſuum amittant, cum Juſtitia ipſi non minus eſſentialis & Gratia non magis eſſentialis ſit ac alia Attributa: E. in Deo plane nulla ratio invenitur cur juſtus eſſe deſinat & peccatum non amplius puniat, &

ſtatum

ſtatum hominis, qui libere in peccatis ſuis pergit, mutet.

§. MDCCXXXI.

Quoniam vero nec à parte hominis (§. 1729.), nec à parte Dei ratio eſſe queat (§. 1730.) cur peccatum per miraculum cum pœna ceſſet, ſequeretur id fieri ſine ratione, quod abſurdum eſt.

Huc etiam redit demonſtratio Illuſtriſſimorum tum Philoſophorum tum Theologorum; Ea ſola adducam, quæ Illuſtris LEIBNITIUS habet, *Tent. de Bonit. Dei, Lib. Hom. &c.* §. *266 - - 269.* „ ERNESTUS SONERUS, „ inquit, olim Philoſophiæ Profeſſor Altorfii, qui Ari„ ſtotelicus inſignis habebatur, ſed demum occulte „ Socino favere agnitus eſt, diſſertatiunculam evulga„ vit inſcriptam: *Demonſtratio contra æternitatem pœna„ rum*: Hæc principio ſatis trito nitebatur, quod nul„ la ſit inter pœnam infinitam, & culpam finitam „ proportio. Communicata ea mecum eſt, apud Ba„ tavos excuſa, & reſpondi Amico, conſiderandum „ hic aliud eſſe, quod Sonerum effugiſſet, nempe „ ſufficere dicendo, durationem Culpæ cauſſam eſſe „ durationis Pœnæ; damnatos utpote in malitia ſua „ perſeverantes à miſeria liberari non poſſe; atque ita „ ad oſtendendam continuandæ illorum infelicitatis æ„ quitatem, nihil eſſe neceſſe ponere, quod pecca„ tum ſit valoris infiniti, ob objectum infinitum, quod „ offenſum eſt, nempe Deum: Quam Theſin non ſa„ tis expenderam, ut judicare de illa poſſem. §. ſequenti. *Illuſtris Philoſophus* teſtimonia Theologorum affert, qui rem eodem modo concipiunt. *JOHANNIS GERHARDI in Locis Theol. de inferno* §. *60.* Qui inter cætera argumenta hoc etiam proponit, quod damnati ſemper habeant malam Voluntatem, deſitque Gratia quæ bonam efficere poſſit. Et ZACH. URSINUS, cum in tractatu de fide quæſiviſſet, cur peccatum mereatur pœnas æternas? Poſtquam protuliſſet vulgarem rationem, quod perſona offenſa ſit infinita, hanc etiam ſecundam adducit, quod non ceſſante peccato, non poteſt ceſſare pœna & *P. Drexelius Jeſuita in Opere ſuo æternitatis Lib. II. cap. 15.* Sunt, inquit,

ed. 1622, p. 633

inquit, qui dicant, nec displicet responsum: Scelerati in locis infernis semper peccant, ideo semper puniuntur: Et citante *BÆLIO JURIÆUS Libro de Unitate Ecclesiæ* censet, *dictare nobis rationem, quod creatura, quæ à reatu cessare nequit, etiam cessare a miseria nequeat.*

§. MDCCXXXII.

Et ita Vias Dei etiam hac in Doctrina justificavimus, licet ipse improbis nec de illorum malitia ex spontaneo libertatis abusu oriente, nec de pœna justissima ex illa sequente rationem reddere obligatus sit, tamen ut justus inveniatur in omnibus judiciis suis & talis agnoscatur, viarum suarum æquitatem nobis ostendere voluit.

§. MDCCXXXIII.

Neque quidquam methodo nostræ, qua malum pœnæ ex malo culpæ derivavimus, deesse putamus, ad æternæ damnationis rationem reddendam.

§. MDCCXXXIV.

Nihil nunc supereſt, quam ut ex ipsis S. Scripturæ testimoniis Doctrinam hanc confirmemus. Illa, uti nos fecimus, Pœnam ut malum physicum ex malo morali oriens considerat. Ad exprimendam enim pœnæ infernalis naturam utitur similitudine cadaveris mortui. Esaj. LXVI. 24. Marc. IX. 44. Peccatum nimirum passim ut mortem considerat, quia deest internum vitæ spiritualis principium, ex morte vero per effectum naturalem sequitur corruptio, quæ mortis evidentissimum signum est, ex corruptione vero hac oritur non tantum putrefactio, sed cadaver animalculis verminare incipit per putrefactionem productis. Sic Mors spiritualis non potest non tale vermini-

minium producere, cum morsibus conscientiæ, quæ ad instar vermis in vivido corpore mordentis sese habet, conjunctum ; Homo vero licet Vitam Dei non vivat, vivit tamen vitam carnalem, ut deploratissimum huncce statum suum non tantum videat, sed & maximo cum dolore sentiat, qui sensus vivacissimus quam acerbus, teter, acutus atque vehemens sit, ii aliquo modo experiuntur in corpore suo, qui vivi adhuc vermibus corroduntur, in anima vero qui morsibus conscientiæ exagitantur ; Et sicut absque miraculo impossibile est, ut corpus mortuum tanta corruptione infectum in Vitam redire possit, ita etiam S. Script. statum hominis in loco infernali eodem modo sese habentem ut irreparabilem considerat. Unde asserit, illum non desinere talem esse, sed in æternum duraturum, dum vermis non finitur & ignis non extinguitur.

§. MDCCXXXV.

Vocatur etiam cruciatus in omnem æternitatem Apoc. XIV. 11. & exitium æternum à facie Domini & Gloria fortitudinis ejus 2. Thess. I. 9. Vocem vero æterni hic de absoluta æternitate intelligendam esse, satis superque ex unico Christi dicto Matth. XXV. 46. comprobatum est, ubi æternitas Gloriæ Beatorum & Supplicii damnatorum sibi invicem opponuntur : Unde dubium nullum esse potest, vocem æternitatis absque ulla restrictione usurpatam, etiam in eadem sententia sive dicto, eodem etiam sensu accipiendam esse.

§. MDCCXXXVI.

Addimus hisce verba omnibus impœnitentibus Peccatoribus quammaxime tremenda Pauli

Apoſtoli Heb. X. 26 - 31. Ultro enim peccantibus nobis poſt accepiſſe notitiam veritatis, non jam pro peccatis relinquitur hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii & ignis æmulatio devoraturi adverſarios: Irritam faciens quis Legem Moſis ſine commiſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur; Quanto putatis deteriore dignus judicabitur ſupplicio Filium Dei conculcans, & ſanguinem Teſtamenti communem ducens, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritum Gratiæ contumelia afficiens? ſcimus enim dicentem, mihi ultio, ego retribuam, dicit Dominus: & iterum Dominus judicabit populum ſuum. Horrendum incidere in manus Dei viventis.

§. MDCCXXXVII.

Cum Deus ſit juſtiſſimus & unicuique retributurus ſit ſecundum opera ſua, ut proportionem aliquam faciat inter peccata & pœnam, dubitari nequit, pro impietatis inæqualitate etiam diverſos pœnarum Gradus in inferno futuros eſſe.

§. MDCCXXXVIII.

Quod ex ipſa etiam Peccati natura ſequitur, nam quo plura & majora quis commiſit crimina, eo ingratior etiam erit reminiſcentia illorum, quo neglectius aliquis mandata & exhortationes divinas tractavit, eo major etiam ſui indignatio ſequatur neceſſe eſt, eo majores etiam conſcientiæ remorſus, eo major triſtitia & quæ alia inde ſequuntur.

§. MDCCXXXIX.

Id etiam Verbis non obſcuris S. Script. exprimit. Luc. XII. 47. Matth. XI. 21 - 23.

Sectio

Sectio XXV.
De
Magistratu Politico.

§. MDCCXL.

SOCIETAS hominum duplex est, vel Ecclesiastica vel Civilis; utriusque finis est Salus Communis atque tranquillitas publica, unius in statu Spirituali, alterius in statu Civili.

§. MDCCXLI.

Unius ex his Societatibus Finis est præcipue SalusAnimæ, alterius vero SalusCorporis & Bonorum; Salus autem Animæ & Corporis sibi invicem repugnare nequit; E. Societas hæc ad communem Animæ & Corporis Salutem tendens sibi invicem non repugnat, sed amice conspirat, uti Anima & Corpus in actionibus suis conspirare debent.

§. MDCCXLII.

Hinc non tantum is, cui & Corporis & Animæ Salus curæ est, utriusque Societatis Membrum esse potest, sed ad id etiam obligatus est, cum per Jus Naturæ, & Religionem tam Naturalem quam Revelatam obligatus sit ad propriam aliorumque perfectionem atque Salutem quærendam.

§. MDCCXLIII.

Personæ illæ, quibus ab integra Societate Jus, Potestas, atque cura defertur promovendi communem Salutem atque tranquillitatis publicæ conservandæ, qui Societatis finis est, omniaque ea faciendi quæ huc tendunt, vocantur Magistratus vel Princeps. Ergo

§. MDCCXLIV.

Ergo Magiſtratus officium eſt, facere omnia ea, quæ ad communem Societatis Salutem atque tranquillitatem publicam ſpectant.

§. MDCCXLV.

Illi, qui Magiſtratui curam hanc concrediderunt, vocantur Subditi.

§. MDCCXLVI.

Quivis etiam Chriſtianus obligatus eſt ad propriam aliorumque Salutem atque perfectionem actionibus ſuis quærendam (§. 1742.); Atqui hujus rei cura præcipue Magiſtratui delegata eſt: E. Chriſtiano illicitum non eſt Magiſtratum gerere.

§. MDCCXLVII.

Qui igitur dicit, illicitum eſſe homini Chriſtiano Magiſtratum gerere, dicit illicitum eſſe curam Salutis publicæ atque communis tranquillitatis adminiſtrare, ſuum proximique bonum quærere.

§. MDCCXLVIII.

Munus Magiſtratus gerere Chriſtiano nec vetitum, nec cum genio Religionis Chriſtianæ pugnat, imo illi adminiſtrando nemo aptior eſt Chriſtiano.

§. MDCCXLIX.

Primum inde liquet, quia α. Munus Magiſtratus ab ipſo Deo inſtitutum eſt. Rom. XIII. 1. 2. β. Nusquam illud vel à Chriſto vel Apoſtolis in N. Teſt. interdictum legitur; Imo potius orare jubemur pro Magiſtratibus in ſublimitate exiſtentibus, ut quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate atque honeſtate, quod pulchrum

&

& acceptum sit coram Salvatore nostro Deo. 1. Tim. II. 1. 2. 3.

§. MDCCL.

Secundum ita probatur: Si id contra Religionis Christianæ Genium esset, sequeretur, Christianum nec ad observationem Juris Naturæ, nec Religionis Naturalis obligatum esse, neque ad propriam aliorumque Salutem quærendam: Hoc cum absurdum sit; sequitur administrationem Curæ Salutis communis & tranquillitatis publicæ Genio Religionis Christianæ adversam non esse.

§. MDCCLI.

Tertium hoc modo demonstratur; ut aliquis communem Salutem quærat, nulla re magis obstringitur, & ut muneri huic exacte satisfaciat incitatur, quam Amore Dei & proximi, sed nemo magis ad hunc Amorem obstrictus est, & illum omnium actionum suarum regulam atque principium facit, ejusque officia exacte præstat, quam vere Christianus: E. Muneri Magistratus obeundo, cujus officium est aliorum Salutem quærere, Christiano nemo aptior esse potest.

§. MDCCLII.

Munus Magistratus in Ecclesia quammaxime necessarium est: Ecclesia in hac terra inter infideles & inimicos versatur, à quibus securitas atque publica tranquillitas turbatur, & talia etiam Membra ejus inter se agenda habent, quæ ad Vitam corporalem pertinent, & quilibet etiam obligatus est ad promotionem Salutis Corporis (§. 1742.): Atqui harum rerum cura commissa est Magistratui. E. Munus illud Ecclesiæ quammaxime necessarium est.

Cura

§. MDCCLIII.

Cura Magiſtratus requirit, ut publicam pacem atque tranquillitatem conſervet, illa autem turbatur vel intra Societatem vel ab extra; Hinc ad illam conſervandam & reſtituendam legitima media Magiſtratui adhibenda ſunt.

§. MDCCLIV.

Interne Societatis tranquillitas atque ſecuritas turbatur ab hominibus ſceleratis aut violentis, ad hos reprimendos neceſſe eſt, ut Magiſtratus æquas & juſtas leges condat, easque pœnis delicto proportionatis ſanciat. Prout ergo Societas & tranquillitas publica ſcelere aliquo vel magis vel minus turbatur, etiam vel majori vel minori pœna illud reprimendum eſt; Unde ſi tutamen tranquillitatis publicæ aliter conſervari non poteſt quam pœnis capitalibus, Bonum & Securitas integræ Societatis vitæ ſcelerati hominis præferenda, propterea etiam neceſſitate urgente illæ adhibendæ ſunt.

§. MDCCLV.

Unde Magiſtratus dicitur non eſſe timori boni operis ſed mali, nec Gladium ſine cauſſa gerere, ſed eſſe Dei Miniſtrum, vindicem in iram ei qui malum agit Rom. XIII. 3. 4. Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. 1. Petr. II. 14. E. Magiſtratui Jus Gladii adminiſtrare licitum eſt.

§. MDCCLVI.

Ab extra Salus Eccleſiæ & Societatis humanæ turbatur, ſi ab aliis injuſte opprimitur; Magiſtratus vero officium eſt conſervare tranquillitatem

tem communem, quod etiam fit tuendo subditos erga injustas aliorum oppressiones, quod si aliter quam vi & Armis fieri nequit, vocatur Bellum defensivum : E. Magistratui etiam licet Bellum defensivum gerere.

§. MDCCLVII.

Salus subditorum est vel spiritualis & æterna, vel temporalis & civilis (§. 1740.), promotio utriusque hujus salutis sibi invicem non repugnat (§. 1741.), sed utraque ab omnibus Societatis Membris promovenda est (§. 1742.) : Cura vero promotionis & conservationis Salutis communis Magistratui est commissa (1743.); E. Fini Societatis tum Civilis tum Ecclesiasticæ non repugnat, ut Magistratus utriusque Salutis tam spiritualis quam corporalis curam gerat.

§. MDCCLVIII.

Ad promotionem Salutis spiritualis maxime confert Cultus publicus (§. 1556.); Cura vero etiam illorum, quæ ad communem Salutem spiritualem pertinent, Magistratui committere universali Societatis tam Civilis quam Ecclesiasticæ fini non repugnat (§. 1757.); E. non repugnat, ut Magistratus etiam ea curet, quæ ad administrationem Cultus publici pertinent.

Hæc ita intelligenda sunt, ut Cura spiritualis Salutis Magistratui Politico committatur, si eandem quam subditi Religionem profitetur, alias si Societatis Ecclesiasticæ Membrum non sit, etiam non convenit Fini illius Societatis, ut curam illarum rerum, quæ ad finem hunc ducunt, alicui extra Societatem hanc constituto concredat, alias si veræ Religionis cognitionem non habet, nec illi etiam addictus est, metuendum esset, ne falsam pro vera institueret, illamque Autoritate sua protegeret. Cum

§. MDCCLIX.

Cum Cultus publici Exercitium ab inimicis aut sceleratis turbari possit, & ad illum recte observandum etiam ordo requiratur ; Hinc ad Cultum publicum tum protegendum tum ordinandum etiam externa vi atque potestate quadam opus est, hæc vero nemini magis quam Magistratui competit (§. 1743. 1744.) : E. etiam protectio & institutio Cultus publici nemini melius quam Magistratui competit.

§. MDCCLX.

Ad Cultus Publici Exercitium pertinet, ut certa construantur ædificia, in quibus Cultus veræ Religionis à tota aliqua Societate peragi potest, Ministrorum ordinatio, tempus, aliæque circumstantiæ Cultus , & omnia quæ externam Ecclesiæ εὐταξίαν respiciunt, cum vero Cultus publici cura Magistratui competit (§. 1759.), illi etiam harum rerum cura competit. Esaj. XLIX. 23.

§. MDCCLXI.

Contra hostium insultum Magistratus subditos aliter quam armis & vi defendere nequit, unde Bellum defensivum ipsi gerendum (§. 1756.) : E. subditi ad publicam tranquillitatem conservandam obstricti sunt , necessitate id postulante & Magistratu in Bonum commune id jubente, arma capessere.

§. MDCCLXII.

Magistratus communem subditorum Salutem intendit (§. 1744.), & ea etiam curat, quæ Cultum Dei publicum respiciunt (§. 1759. 1760.), & Salutem spiritualem (§. 1757.) : Regnum autem

tem Christi æternam animarum Salutem quærit; Ex quibus patet, Regnum Politicum & Christi, quod plane spirituale est, sibi invicem non contrariari, sed optime conspirare (§. 1741.).

Sectio XXVI.
De
Præstantia Religionis Christianæ.

§. MDCCLXIII.

Ad Finem tandem satis prolixum hoc caput mihi perducendum est, cujus scopus fuit Veritates omnes Theologicas inter se connectere, illarum θεοπρεπείαν ostendere atque certitudinem demonstrare, Religionem etiam Christianam totam rationalem exhibere, ab injuriis eam vindicare, omnium conscientiis commendare, veram illius formam, decus & præstantiam perspiciendam dare, ejus cum divinis Perfectionibus atque Ratione convenientiam indicare, ut illa sapientissima, Dei Majestate dignissima, humanæ naturæ convenientissima deprehendatur, ut hæc tandem in cujusvis conscientia resultet conclusio: *Aut nullam Religionem veram esse, aut veram Religionem Christianam esse.*

§. MDCCLXIV.

Sed nullam Religionem veram esse, quis dixerit aut sibi persuaserit, qui ea, quæ de Religione Naturali (Sect. VIII.) & Revelatæ tum Necessitate tum Veritate (Sect. XI - - XIV.) adstruximus, sepositis omnibus carnalibus præjudi-

ciis perpendet, & de Dei Providentia atque Sapientia certus est, qui Creaturarum suarum amantissimus non tantum de omnibus necessitatibus illis prospicit, sed ab illis etiam glorificari vult & ita finem propter quem omnia condidit assequi; Unde sibi & Sapientiæ suæ contrarius esset, si veram sui notitiam & verum sui Cultum, qua ratione à creaturis rationalibus coli velit, homines non doceret: quam Attributis divinis indignum hoc esset, si à nemine recte cognosceretur, à nemine recte coleretur, sed vana & fictitia esset omnis Religio. Et cum homo libertatis abusu in talem devenerit statum atque imperfectionem (Sect. XI.) ut ad Gloriam Creatoris sui cum propria Salute amplius vivere nequeat, quis sibi persuadebit, summam Dei Sapientiam, erga creaturas suas Bonitatem atque universalem rerum conditarum finem permittere, ut porro creatura rationalis ad Gloriam Dei esse desinat: Unde modum ipsi revelasse, quo id iterum fieri possit, dubium nullum est, cum tot hujus rei extent Argumenta & Documenta.

§. MDCCLXV.

Si vero Religio aliqua vera est, hauddubie illa est, quæ Deum quammaxime decet, quæ summas illius Perfectiones quammaxime illustrat, immensum ipsius Intellectum, Voluntatem potentissimam, Bonitatem sanctissimam, Sanctitatem sapientissimam, Sapientiam justissimam, Justitiam constantissimam, ut & Amorem erga creaturas constantissimum, & omnem maximarum virtutum Gloriam contemplandam dat, quam Deus in toto hoc Universo in omnibus rebus, præcipue hominis Creatione, Conservatione ac Gubernatione

tione manifestat; Quæ Deum omni amore, omni cultu, omni veneratione dignissimum proponit; Quæ porro creaturæ rationali quammaxime convenit & multas veritates de Dei Natura & hominis officiis ex ipsis Rationis & Conscientiæ Principiis deducit, adeoque obligationem hominis sive Religionem Naturalem fundamenti lolo præsupponit, non negat & tollit; Quæ ibi ubi hominis status ita comparatus est, ut per Religionem Naturalem amplius cum propria Salute ad Dei Gloriam vivere nequeat, & ubi solidum ex miseriæ barathro emergendi & conscientiæ morsibus medelam afferendi solatium deficit, ipsi viam Deo dignissimam & Sapientiæ divinæ convenientissimam ostendit, qua ad amissam Dei communionem iterum pervenire licet; & licet non Rationis, sed Revelationis ope cognoscatur, Revelatæ tamen Doctrinæ Principia cum Rationis principiis optime cohærent, illisque illustrandis atque perficiendis quammaxime inserviunt; Præcepta tradit sanctissima & sapientissima, quæ unice eo tendunt, ut homo cum Dei Gloria ad propriam perfectionem esse possit; unde omnia etiam actionum motiva inde desumit; Quæ homini ostendit, quomodo non tantum in hac, sed in altera etiam vita felix esse queat; Quæ tandem sanctissimum, cum divina & humana Natura convenientissimum, præscribit Cultum, qui omnem superstitionem atque impietatem ex animo expellit, ad Dei Societatem vocat & ducit, vitæ tranquillitatem largitur, morti timorem adimit, facitque ut Deo Creatori & Salvatori lubentes lætique reddamus animam nostram, sine quibus nihil nos, nihil hominum vita esset. Atqui hoc capite talis

Religionis tum Neceſſitatem tum Veritatem demonſtravimus, illiusque dogmata ex primis ſuis principiis derivavimus, ejusque cum Rationis principiis convenientiam oſtendimus: E. illa non poteſt non eſſe vera.

§. MDCCLXVI.

At ſi concederemus, vel potius per aliquod tempus ſupponeremus, hoc quod tradimus Religionis Chriſtianæ ſyſtema merum figmentum, nec Doctrinam illam certam eſſe: Sed quæſumus quid tunc toti Chriſtiano orbi optabilius foret quam illam veram eſſe! in quantis tenebris, quantaque verſaremur miſeria, ſi hæc fictitia forent! quantopere divinæ Gloriæ ſplendor obfuſcaretur, humana felicitas deprimeretur, omne in omnibus calamitatibus ſolatium adimeretur, ut neque hic Mundus divinarum Perfectionum Speculum exiſteret, neque homo Creatorem ſuum glorificare poſſet, qui tamen ultimus Creationis omnium rerum finis eſt; ſed merum figmentum quis dixerit id? quod non tantum Deum ubique ſpirat, Deum refert, utque infinitam ejus Sapientiam & Excellentiam quammaxime extollit, ſed lucem omni humanæ ſcientiæ & ſapientiæ affundit, ut nullibi terrarum omnis generis ſcientiæ ad tantum faſtigium pervenerint, quam ibi ubi Chriſtiana Religio floret & floruit; imo ab hac etiam omnis vera felicitas in hac terra dependet. Et quis unquam hominum talem diſciplinam tradidit, in qua omnia ad Dei Gloriam, ad ſolidam atque perfectam hominum felicitatem, puriſſimam ſanctitatem modo Sapientiam Dei decentiſſimo tendunt.

Et

§. MDCCLXVII.

Et si ne quidem egregiæ hujus Disciplinæ Autorem sciremus, an propterea illa contemnenda esset? Quis unquam vel Librum, vel institutum, vel disciplinam, artem, scientiam vel quidquid denique sit, si modo excellens, si sapiens! fuerit, ideo contemsit, quia quis ejus Autor sit ignotum fuit, sufficit illam ad utilitatem, ad veram felicitatem atque Sapientiam tendere. Quare ergo disciplinam Christianam contemneremus, quæ omnis Sapientiæ notis se mirum quantum omnium conscientiis commendat.

§. MDCCLXVIII.

Illud vero Verbum, illud Opus hauddubie pro divino habendum est, cujus nulla præter Entis primi Omniscientiam, Sapientiam, atque Omnipotentiam idonea caussa assignari potest.

§. MDCCLXIX.

Talem vero, qualem in toto hoc Capite Religionem docuimus, præ omnibus aliis per præstantiam atque Sapientiam sese commendare atque excellere ex sequentibus observationibus apparebit. α. Momentosissima illius Dogmata cum Ratione consentanea sunt, ut nihil plane in illis inveniatur, quod Rationis Principiis adversetur; Unde omnium fere Christianæ Religionis dogmatum Revelationis luce cognitorum possibilitatem, in hoc systemate nostro, ex ipsa rei natura demonstravimus; atque nihil in iis deprehendi, quod vel cum summis Dei Perfectionibus, vel universali hujus Universi fine, vel hominis natura consistere non possit, sed viceversa omnia apprime huc conspirare, ostendimus.

§. MDCCLXX.

Aliæ Religiones, quæ præter Christianam docentur, multa habent erroribus atque ineptiis repleta, imperfecta, cum Rationis Principiis neutiquam consentanea, sed illis repugnantia; quæque Dei Sapientiam minime spirant, quod omnibus iis compertum est, qui sciunt, quænam sit Religionis Gentilis, vel Muhammedanæ vel Judaicæ genuina forma, quæ hic ostendere nimis prolixum foret.

§. MDCCLXXI.

β. Totum Religionis Christianæ systema ita cohæret, ut Veritates omnes admirabili nexu seinvicem suffulciant, una per alteram quasi subsistat, ut nihil sapientius excogitari queat illarum harmonia atque conformitate, quod ex systemate nostro abunde patet.

§. MDCCLXXII.

Sed quis nescit, quot in Religione infidelium & incredulorum, quicunque sint, inveniantur confusa atque obscura, quæ seinvicem evertunt, clarissimis Rationis Principiis contradicunt, neque Naturæ divinæ neque etiam humanæ conformia sunt; Unde recte de hac re *LACTANTIUS, Div. Inst. Lib. VII. cap.* 7. de iis quæ sapientissimi Gentilium Philosophi bona dixerunt asserit: *Diverse ac diversa illa omnia protulerunt, non adnectentes nec causas rerum, nec consequentias, nec rationes, ut summam illam, quæ continet universa, & compingerent, & implerent.*

§. MDCCLXXIII.

γ. Tam eximia illa de Deo tradit, ut nihil unquam

quam sapientius à quoquam mortalium de eo prolatum fuerit; tam sublimia atque Rationi convenientia Christi disciplina de Dei natura atque Perfectionibus docet, qualia nunquam fuere edocta, illasque in clarissima luce ponit, & eas adversus difficultates gravissimas vindicat; Deumque omnium rerum in toto Universo Conditorem asserit, cujus Providentia omnia sapientissime administrentur & dirigantur.

§. MDCCLXXIV.

Invisibilia Dei quoque, nec non Potentia ejus æterna atque Divinitas in Mundi opificio ab illis conspici possunt, qui Revelata Religione destituti sunt; sed cui ignotum esse potest, quantis tenebris involuta sint omnia ea, quæ ab illis, quos omnis Revelatio latet, proferuntur, qui vani facti in Ratiociniis suis tanta Majestate indignissimos de Deo foverunt & adhucdum fovent conceptus: Sed Disciplina Christi omnes has dispellit nebulas, ut quæcunque in Deo perfectissima sunt summo fulgore luceant.

§. MDCCLXXV.

Ajunt quidem, qui Revelationis tum Necessitatem tum Veritatem agnoscere nolunt, ex Ratione colligi posse, quidquid magni de Attributis atque Providentia divina tradat Revelatio. Sed non attendunt, hoc quidem facile fieri posse ab illis, qui semel Revelationis lumine illustrati sunt: qui hac luce utuntur, illi nullo negotio ostendere possunt, quomodo infinita Dei Attributa cum Rationis principiis conformia sint: ast perpendant, an in omnibus idem præstare possent, si hoc lumine carerent. Unde judicioſissime Theologus

Ld. 1782, I, 74 f.

gus acutissimus *SAM. WERENFELSIUS de Præstant. Religionis Revel. Diss. III. p.* 131. 132. de hisce differit, dicens : Videant, ne nimium Rationi suæ tribuant Rationales nostri. Dicunt, solo Rationis ductu inveniri posse totam illam Religionem, quæ in S. Litteris traditur, aut saltem quod in ea præcipuum est. Nihil dictu facilius est, illis qui jam cognoscunt Religionem istam. Tunc illud dicendum fuisset, si per totam Vitam de Religione hac nihil audivissent. Nunc vero similes mihi videntur iis, qui, postquam à Præceptoribus, quidquid sciunt, didicerunt, videri tamen volunt αὐτοδίδακτοι : Aut, cum de præclaris inventis audiunt, putant, se hæc omnia, nisi jam inventa essent, ipsos fuisse inventuros. Quod si cognoscere velimus, quid possit Ratio hominis in invenienda Religione, non nostram Rationem consulere debemus, quos Verbum Dei in viam deduxit, quos in eadem dirigit, sed Rationem illorum, quibus hoc Verbum est ignotum. Hic vero quæ Monstra pariat sibi relicta Ratio, testantur omnium Gentilium exempla, inter quos fuere plurimi, qui non minus Ratione valuerunt, ac Rationales nostri. Dicam Verbo, Religio mere rationalis, qualis in Mundo reperitur, est Religio Gentilium : Religio Deistarum est Religio illorum, qui, postquam ex S. Litteris omnia depromserunt quæ placent, dicunt se ea ratiocinando invenisse.

§. MDCCLXXVI.

§. De hominis Creatione, statu ejus primævo, universi generis humani miseriæ ortu, talia tradit Revelata Religio, quæ divina tam Bonitate quam

quam Sapientia digniſſima ſunt ; De hac re autem ſilent, qui Revelatione carent, aut talia produnt, quæ à Ratione longiſſime diſcedunt.

§. MDCCLXXVII.

ε. Porro Religio hæc hominem , poſtquam omnis generis ærumnas atque conſcientiæ anxietates propria culpa ſibi contraxit , non ſinit ſine vero & ſolido ſolamine , ut neſciat, an & quomodo Deus placari velit , ſed Miſericordiam benigni Numinis erga miſerum genus humanum manifeſtat & viam pandit, qua amiſſam felicitatem recuperare , qua cum propria perfectione ad Gloriam Dei tendere poſſit, quæ de his Religio Chriſtiana habet , humana ſagacitate inveſtigari nequaquam potuerunt , ita tamen comparata ſunt, ut Dei tum miſericordiam & Amorem, tum Sapientiam & Juſtitiam mire illuſtrent.

§. MDCCLXXVIII.

Quod contra morbum & miſeriam illam univerſalem remedium ita comparatum eſſe demonſtravimus , ut in illo ratio habita fuerit omnium Dei Attributorum atque totius Univerſi ; ut per illud finis omnium rerum generalis modo illuſtriſſimo obtineatur ; quodque propterea non alium quam ipſum Deum , humani generis amantiſſimum, Autorem habere potuerit.

§. MDCCLXXIX.

Hic cœcutiunt omnes Religiones, quæ ſola Ratione nituntur , unde Gentiles quo ſe verterent neſciebant , & omnia illorum inventa Dei virtutibus & Religionis ſcopo parum digna erant ; Illi etiam, qui hodie in medio Chriſtianiſmo ſolam

Religionem Naturalem profitentur, non inveniunt ubi hic pedem figere audeant; unde plurimi illorum de fide sua incerti fateri tandem coguntur, tutiora esse, quæ in Revelata Religione traduntur, quam quæ in re maximi momenti sola Ratio dictat.

§. MDCCLXXX.

5. In hunc finem Revelatio Mysteria pandit, quæ quidem à vulgaribus ideis remota sunt, ut etiam finitum captum nostrum excedant; ita tamen comparata, ut cum divinam Sapientiam, Misericordiam reliquaque Attributa præ se ferant, Ratio in illis acquiescere possit, cum deprehendit, multa in rebus naturalibus occurrere, quorum Rationem reddere nescit, quare ergo non potius in Divinitate infinitæ Perfectionis infinite plura existere deberent, quorum vera ratio atque adæquata notio nos fugit; Imo facile concipit, totam Revelationem Mysterium esse debere, alias si nihil contineret quam quæ natura nota sunt, nequidem Revelatione opus esset.

§. MDCCLXXXI.

Aliæ Religiones etiam suas venditant Revelationes ac Mysteria, illorum vero fraudem facile quivis deprehendit, qui illa Majestati atque Sapientiæ divinæ minime consentanea animadvertit, ut nihil quam ineptiarum ac fabularum absurdissima farrago sit, quæcunque ingenium humanum excogitavit Mysteria.

§. MDCCLXXXII.

Cultus, quem Christi Disciplina præscribit totus Rationalis est, & ita institutus, ut cum spirituali Dei hominisque, Creaturæ Rationalis, Natura

ra conveniat & hominem magnificentiſſime de Deo ſentire doceat, in ſpiritu & veritate illum colendum eſſe præſcribens, Voluntatis ejus meditatione, precibus & gratiarum actionibus ; Cærimoniæ pauciſſimæ & ſimpliciſſimæ ita comparatæ ſunt, ut homini maxima Dei beneficia in memoriam revocent, quæ homo piis laudibus animo recolit & de eorum certitudine certus redditur. Unde totus Cultus eo tendit, ut homini ſuadeat, Deum ſpiritum Omniſcium mente potius quam corpore celebrandum eſſe.

§. MDCCLXXXIII.

Figmenta vero humana circa Cultum divinum eo imprimis tendunt, ut corpus magis quam animam occupent, & Deum neſcio quibus cærimoniis futilibus placari homines mundani ſibi imaginantur, quibus vim aliquam magicam & hyperphyſicam attribuunt, quæ ergo hominem ad corporales Ideas abducunt potius, quam ut Dei ſpiritualitatem atque hominis Rationalitatem exprimant, unde etiam hic Religionis Revelatæ præſtantia præ omnibus cæteris elucet.

§. MDCCLXXXIV.

ν. Præcepta autem Evangelica, ſive in Veteri ſive in Novo Teſtamento contineantur, ſanctiſſima ſunt, Deum decentiſſima & humanæ naturæ convenientiſſima, ut ſimul in ſeipſis ſint æquiſſima & Rationi prorſus conſentanea ; Jus enim Naturæ præſupponunt : Unde aurea hæc fluit Regula, *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis*, ſive quod idem eſt, *quidquid ſtatum meum & proximi mei perfectiorem reddit, illud faciendum eſt* ; quam Regulam Juris

ris Naturæ primum Principium atque fundamentum esse suo loco indicavimus.

§. MDCCLXXXV.

Ad observationem etiam Religionis Naturalis fortiter hominem obstringit & vult, ut motiva omnium suarum actionum ab Attributis divinis desumat & per consequens omnia propter Deum Creatorem, Conservatorem atque communem Benefactorem suscipiat, ut omnia tendant in illius Gloriam: Præcepta huc facientia omnia ex ipsa Dei natura fluunt, dum Deum ut Perfectissimum, amabilem & venerabilem proponunt, ut Ens Potentissimum, simul Justissimum & æquissimum, in omnibus quas suscipimus actionibus metuendum: ut Ens optimum amandum, quærendum & in eo omnem fiduciam ponendum præcipiunt.

§. MDCCLXXXVI.

Sed Disciplina hæc nova Virtutis incitamenta atque motiva desumit ab iis Dei Attributis, quæ in opere Redemtionis exhibuit Benignissimum Numen & Beneficiis inde fluentibus, quæ motiva ad hominem obligandum fortissima sunt; Et ipsa etiam Dei summa Perfectio & Jesus Christus præclarissimum Virtutis exemplar nobis ad imitationem proponitur.

§. MDCCLXXXVII.

Præcepta hæc omnia ita comparata sunt, ut illorum observatione homo simul Perfectionem propriam obtineat & universalem omnium rerum finem scilicet Glorificationem summi Numinis intendat, ut neque Deo neque homine quidquam dignius concipi possit. Imo

§. MDCCLXXXVIII.

Imo omnes Leges Morales, quas Lex & Evangelium vel erga Deum, vel erga proximum, vel erga nosmetipsos observandas præscribunt, ad felicitatem tam nostram quam proximi tendunt; Ut ipsi illi, qui Religionem Revelatam inficiantur, confiteri cogantur, illa & necessaria esse & æquissima.

§. MDCCLXXXIX.

Et ibi, ubi hominis Vires deficiunt, omnia ad praxin auxilia necessaria promittit, quæ maxima Religionis hujus prærogativa est.

§. MDCCXC.

Quantum etiam hic antecellit Christiana Religio omnes illas, quas Ratio Revelationis lumine non illustrata protulit. Non dicam de crassioribus atque barbaris Populis, sed de iis, quos sapientissimos humana Ratio habuit, qui inter illos, qui divinam Revelationem plane ignorarunt, maxime egregia præcepta Moralia hominibus præscripserunt: Sed quot quæso in illorum Ethica inveniuntur defectus! qui Virtutibus omne pretium adimunt, easque mancas faciunt.

§. MDCCXCI.

Primo enim præcepta sua non firmo superstruebant fundamento, nec vera obligatione firmabant & justis motivis sanciebant, dum illa non derivabant ex hominis à Deo Creatore & Conservatore dependentia, neque ab Attributis divinis motiva desumebant, aut veræ ac solidæ & perennis felicitatis promissione incitamenta Virtuti addebant, sed potius omnia Virtutis fundamen-

damenta evertebant, dum omnia incerta putabant nullo certiſſimæ ſpei fulcro nixa.

§. MDCCXCII.

Secundo id, quod veram actionis moralis eſſentiam conſtituit, in ipſorum Philoſophia Morali non docebatur, quis nempe omnium noſtrarum actionum finis generalis atque verus eſſe debeat; non enim Dei, ſed propriam Gloriam quærebant.

§. MDCCXCIII.

Ipſa, *Tertio*, officia, quæ præſcribebant, quod attinet vel præcepta, erant imperfecta multisque pravis intermixta, plurimaque & maxime momentoſa, præcipue quæ Deum reſpiciunt, omiſſa, ut integrum Theologiæ Naturalis ſyſtema, ſi omnia ſimul ſumantur, quæ omnes omnium temporum ſapientes dixerunt, vix ac ne vix quidem confici poſſit. Religio illorum diſcenda erat à Philoſophis & Sacerdotibus, ea quæ priores docebant, ad populum raro perveniebant & pauciſſimis nota fiebant; Sacerdotes vero ſolum tales docebant Ritus, qui non mente ſed corpore fiebant & ex quibus vera Sapientia addiſci non poterat. Unde *LACTANTIUS Lib. IV. cap. 3. de vera Sap.* Quoniam igitur, inquit, Philoſophia & Deorum Religio disjuncta ſunt, ſiquidem alii ſunt Profeſſores Sapientiæ, per quos ad Deos non aditur, alii Religionis Antiſtites, per quos ſapere non diſcitur, apparet, nec illam eſſe veram Sapientiam, nec hanc Religionem,

§. MDCCXCIV.

9. Nulla tandem præter Chriſtianam ſolam exiſtit Religio, quæ hominem in ipſa etiam morte

te non deserit, & non tantum spe certissima & solidissima Immortalitatis mactat, sed talia etiam ipsi post mortem præmia exspectanda confirmat, quæ ipsius felicitatem ad summum culmen perducunt & in eum statum collocant, in quo intelligendo & volendo ad ultimum Creaturæ rationalis finem, propter quem condita est, nempe Dei Creatoris, Benefactoris & Salvatoris munificentissimi Gloriam & Laudes vivere potest; Præmium certe summa Dei Sapientia & Bonitate, nec non Creaturæ rationalis conditione dignissimum (§. 1449. usque ad finem Sect. XIX. & §. 1689. 1690.).

§. MDCCXCV.

Reliquæ Religiones omnes aut in triste & lamentabile nihilum tandem desinunt, aut quæ de futuro hominis statu docent, Fabulæ crassissimæ sunt, & Sapientissimi nonnisi dubie de illo locuti sunt, nullo enim ipsorum opinio nitebatur fundamento, sed meræ conjecturæ in conscientiæ reliquiis residuæ erant.

§. MDCCXCVI.

Hæc, quæ nunc de Disciplinæ Christianæ præstantia disseruimus, corollarii loco ex Religionis veræ systemate quod demonstravimus, deduximus, ut vera illius Ratio in compendio exhibita eo distinctius patefiat. Cæterum eximia & reiterata lectione digna sunt, quæ de Religionis Christianæ Præstantia atque Veritate scripserunt Theologi Acutissimi & Solidissimi SAM. WERENFELSIUS & JOH. ALPH. TURRETTINUS, Viri in hac Religione asserenda & vindicanda indefessi.

Nihil

§. MDCCXCVII.

Nihil nunc ad capitis hujus calcem addo, quam Celeberrimi ROELLII verba, *Dissert. de Religione rationali §. CLXXVIII.* Quid, inquit, homine indignius esse potest, quam nescire, & nescire velle, quænam hujus Mundi caussa, quis ordo, quis finis sit, cujus Numine moveatur? Quid turpius quam ignorare, quis eum miserit in Mundum, unde venerit, quo abeat, quid vel miserum vel beatum faciat, quæque miseriæ ac felicitatis caussæ, quæ malorum remedia, quid vel sperandum vel metuendum sit: atque ea ratione in perpetua vivere dubitatione atque alternantium spei & metus agitatione, & animum nunc huc celerem, nunc dividere illuc, neque loco stare posse? Quæ vero insania, obfirmare contra hæc animum, seipsum fugere, ac voluntarium eligere exilium, & notum nimis omnibus, ignotum sibi mori velle? Imo Gloriæ ducere, de Deo, de Animæ immortalitate, de premio & pœna post hanc vitam, dubitare, & nec spe, nec metu, cum credula scilicet Plebe tangi? Miseros revera, & pessimos simul ac perditos homines, qui invita & reclamante conscientia agnoscere nolunt, quod experiundo, nolentes volentes, debent, se alterius stare ac cadere arbitrio!

* * * * *
* * * *
* * *

CAP.

* * * \

De hac Materia præcipue legi possunt, quæ scripserunt *FRID. SPANHEMIUS in Dissert. de Art. fidei Fundament. Tom. III. Opp. Col. 1289. seqq. JOH. HENR. HEIDEGGERUS Dissert. Select. Tom. II. Dissert. VII. HERMANNUS WITSIUS in Symb. Apost. Exercit. II. BENEDICTUS PICTETUS in Cogit. de consensu & dissensu Protestantium. JOH. ALPH. TURRETTINUS in Cogitationibus de variis Theol. capitibus §. CXLIII. seq. & in singulari Dissert. de Articulis fundament.* quæ extat *in Nube Testium & in Collect. Dissert.* Ut & Cogitationes Virorum Reverendissimorum *JOH. CHRIST. KIKCHMEJERI Fasc. Dissertationum XVIII. pag. 247. seqq. & CHRIST. MATH. PFAFFII tum in Singulari Dissert. de fidei Christianæ Art. Fundament.* Ut & in *Instit. Theologiæ Dogm. & Moralis Art. II. de Constitutione Religionis Christianæ §. V. seqq. pag. 24.* & ex Remonstr. *PHILIP. à LIMBORCH. Theol. Christ. Lib. VII. cap. XXI.* Plures non addo, cum dies me deficeret, si omnes qui de hac re scripserunt allegare vellem, quicunque enim aut de mutua Religionum tolerantia, aut de Protestantium Unione quidquam ediderunt, hanc materiam simul tractarunt.

§. MDCCCII.

Articuli Religionis ad Salutem cognitu sunt necessarii (§. 1353. 1354.), unde *fundamentales* à Theologis vulgo definiuntur, *quod sint tales Veritates, quæ ad Deum recte cognoscendum & colendum, per consequens ad Salutem adipiscendam, scitu absolute necessariæ sunt.*

Nostram autem definitionem retinemus, cum Doctrina hæc ex illa melius erui possit, & omnia Criteria melius exprimat.

§. MDCCCIII.

Ecclesia est Societas evocatorum fidelium sacram inter se communionem colentium (§. 1475.); ad quam communionem etiam pertinet publica fidei Professio (§. 1558.); Hinc Articuli Religioni

ni essentiales, sive ipsa Religio est vinculum communionis Ecclesiasticæ, propterea Articuli fundamentales etiam definiuntur, *per illas Veritates, quarum professio ad communionem Ecclesiasticam cum Societate aliqua fovendam requiritur.*

§. MDCCCIV.

Ex definitionibus hisce nata est nonnullorum distinctio inter necessaria ad Religionem, necessaria ad Salutem & necessaria ad Ecclesiam, sed cum Veritates Religioni essentiales etiam ad Salutem necessariæ sint (§. 1802.), & illarum Professio ad communionem Ecclesiasticam necessaria sit, patet hanc distinctionem nullam esse.

§. MDCCCV.

Articuli *non fundamentales* sunt illi, *qui ad Religionis Essentiam & constitutionem non pertinent, ut illis vel ignotis, vel sublatis, Religio ejusque professio tamen quoad essentiam sarta tectaque maneat.*

§. MDCCCVI.

Dari Articulos Religionis fundamentales & non fundamentales, illorumque Criteria ideo opus est adstruere & demonstrare, quia hic in utramque partem peccatur, nonnullis statuentibus omnes plane, qui in Religione docentur, Articulos esse fundamentales, ut quilibet Error hominem æternæ damnationis reum faciat. Aliis vero nimis angustis limitibus illos coarctantibus, dum eos solummodo ad Articulos quosdam ad solam Religionem Naturalem pertinentes restringunt; ostendendum idcirco, quænam etiam hic media atque tutissima via sit, ne vel ad dextram vel ad sinistram aberrantes periculo nos exponamus.

§. MDCCCVII.

Valere autem hancce distinctionem demonstratur, tum ex ipsa rei natura, tum ex S. Scripturæ dictis. Ex ipsa rei Natura patet hoc modo: Si hæc distinctio non valeret, aut in Religione nullæ darentur Veritates fundamentales, aut plane omnes Articuli essent fundamentales; Atqui neutrum dici potest: E. hæc distinctio locum habere debet.

§. MDCCCVIII.

Minor Propositio duo habet membra, prius ita probatur. Si nullus daretur Articulus fundamentalis, etiam nulla esset Religio: Atqui existit Religio tum naturalis (Sect. VIII.) tum Revelata (Sect. XI - XIV,): E. etiam dantur Articuli fundamentales.

§. MDCCCIX.

Veritas majoris patet ex definitione Articuli fundamentalis, dum illa ad Religionis Essentiam pertinent, & illis sublatis etiam nulla Religio est (§. 1801.).

§. MDCCCX.

Posterius Membrum (§. 1807.) hoc modo demonstratur. Si omnes Articuli fundamentales essent, ejusdem etiam forent ponderis ac momenti, ut omnes indiscriminatim non recte intellecti vel ignorati hominem Salute æterna privarent, quod cum dici non possit: Sequitur dari etiam articulos non fundamentales.

§. MDCCCXI.

Si enim hoc statueretur, simul defendendum esset, α. hominem ne in minimo quidem dogmate,

mate, quod in S. Sc. continetur, errare, adeoque esse infallibilem, quod humanam sortem excedit: Unde optime SPENERUS, *in den Theologischen Bedencken. Tom. III. p.* 790. Ich getraue von keiner Kirche in der Welt zu versichern, dass sie gar keine Irrthümer habe, als welches scheinet supra conditionem humanam zu seyn, & *Reverendiss. PFAFFIUS Dissert. cit. Obs. IX.* Non datur ulla particularis Ecclesia, quæ in Articulis minus necessariis se haud falli subinde firmiter asseverare possit, certumque profecto hoc est, Thrasonismis hic vulgum nimis indulgere. Quin si Apostolus affirmat, Scientiam nostram imperfectam esse, nunc enim ait cognosco ex parte 1. Cor. XIII. 12. seque ipsummet, qui & divino præcipuoque lumine colluſtratus erat, nondum consummatum esse Phil. III. 12. Quid est quod nos dicamus: Saturati sumus, divites sumus, regnamus 1. Cor. IV. 8. Apoc. III. 17. privilegiumque infallibilitatis nobis arrogemus.

§. MDCCCXII.

β. Omnes veritates ejusdem generis esse deberent, quæ omnes ab omnibus deberent intelligi quantumcunque subtiles; Sed neutrum ita se habere, facile is intelligit, qui attendit: 1.) alias Veritates rei ipsius Existentiam & Veritatem, alias vero illius modum tradere, alias simplicem tradere Veritatem, alias difficilia intellectu, alias continere dogmata, alias vero circumstantias, fata, historias, alias ad Ecclesiæ esse, alias ad ejus bene esse pertinere: in S. Script. multa continentur Critica, de quibus etiam Eruditissimus & Pientissimus mortalium spondere non auderet, se

ea recte intelligere, minus adhuc illi qui è vulgo sunt: 2.) Homines non eandem perspicacitatis atque dotum naturalium accepisse mensuram, neque etiam propter diversas circumstantias atque varium vivendi modum ad eundem cognitionis gradum pervenire posse; ut alii plures Veritates, & quidem distincte, alii pauciores, & obscure cognoscant.

Propter hanc Veritatum differentiam ipsi etiam Hebræi Articulos maxime necessarios apellabant שורש דבר *Radicem Verbi* vel *Rei*: & ראשי אמונה *Capita Veritatis*, vel יסורות *fundamenta*, unde *Maimonides* tractatum suum primum in יד חזקה ita incipit: יסור היסודות ועמוד החכמה לידע שיש שם מצוי ראשון והוא ממציא כל נמצא: *Fundamentum fundamentorum & columna Sapientiæ est cognoscere, esse illic primum Ens, & illud existentium dare omnibus Entibus.* CONSTANTINUS illas appellabat *Præceptorum culmina*, Ambrosius *Fundamentum Concionum Apostolicarum*, & Patres passim τὰ πρῶτα, τὰ ἀναγκαῖα &c. Unde qui in articulo aliquo non maximi momenti errat, non statim totam Religionem abnegat, & si Ecclesia in quibusdam à veritate aberrat, non statim Hæretica est habenda; similitudine rem illustrat *USSERIUS de Successione & Statu Ecclesiarum Christianarum in Occidente Cap. I. §. 14. Ex GREGORIO NYSSENO.* Quemadmodum, inquit, in hominis Natura aliud est, si quæras, an vivat; aliud an recte valeat: adeoque in ipso morbo, utrum vitales Corporis partes (cor, hepar, cerebrum,) an vero organicas afficiat: ita omnino in Ecclesiæ natura se res habet, ut alia sit quæstio περὶ τῆς οὐσίας, alias περὶ τῆς εὐεξίας, utrum sit Ecclesia, & utrum integra ea sit atque omnibus numeris absoluta. Πρὸς τὸ καλῶς εἶναι, requiritur, ut totius veritatis, quæ est secundum pietatem, professio maneat incorrupta: Sed simpliciter πρὸς τὸ εἶναι, ut firmum retineatur fundamentum, & quæ ad Salutem plane necessaria, sunt doctrinæ Christianæ Capita inviolata

violata conſerventur. Hucusque USSERIUS. In quibus omnibus ipſi aſſentimur, niſi quod phraſin illam *Veritatis ſecundum pietatem* opponit illis Capitibus, quæ ad fundamentum pertinent & ad Salutem abſolute ſunt neceſſaria, cum infra oſtenſuri ſumus, omnes illas Veritates, quæ ad Pietatem ſpectant, ſive practicas ad Salutem abſolute eſſe neceſſarias; ut illarum profeſſio non tantum ad τὸ ἐυεινναι ſive καλως εἶναι ſed ad ipſum εἶναι pertineat.

§. MDCCCXIII.

γ. Si omnes omnino Veritates, quæ in S. Script. docentur, fundamentales eſſent, tum etiam ſequeretur, illos de æterna Salute periclitari, qui Domino & Salvatori ſuo ex integro corde ſerviunt, ſeipſos cum omnibus terrenis cupiditatibus abnegantes, ſed inſcii aliquem Errorem fovent, quod certe Chriſtiano Amori repugnat, juxta quem de proximo noſtro judicandum eſt: Quod ita intelligimus, ut inſcius aliquis erret, nam ſi ſciret aliquid in S. Script. contineri, & id tamen impugnaret, tunc aliud de ipſo judicium ferendum eſſet.

§. MDCCCXIV.

Sed quid opus eſt multis differentiam hanc ſtabilire, Apoſtolus Paulus ipſemet hoc jam fecit 1. Cor. III. 10 - - 12. ubi diſtinctionem facit inter fundamentum ipſum & illas Doctrinas, quæ fundamento ſuperædificantur, quas diſtinguit in utiles & ſolidas, uti aurum & argentum, & inutiles vel erroneas, quas comparat ligno, fœno, ſtipulis; ut ex ſenſu Apoſtoli magnum inter Articulos ſit diſcrimen, alii enim præciſe ad fundamentum ipſum pertinent, alii non item, inter quos iterum non minor differentia eſt. Quod eodem modo explicat USSERIUS l. c. §. 12.

Dogmatum, inquit, quæ in Eccleſiis traduntur, illud diſcrimen ſtatuendum eſt; tanti aliqua eſſe momenti, ut illis Eccleſiæ & Salutis noſtræ contineatur fundamentum; eſſe vero alia quibus Eccleſiæ & Salus noſtra ita non innititur, ut ſi ab iis aberratum fuerit, ſalva res eſſe non poſſit. Hinc Apoſtolus in Cap. III. prioris ad Corinth. Epiſtolæ, inter fidei fundamentum, & alia fundamento ſuperſtructa accurate diſtinguit. Illud ſi deſerueris, actum eſt de te ſcilicet, periiſti: illud ſi retinueris, ligna quoque & fœnum & ſtipulam ſuperædificaveris, jacturam quidem facturus es, ſed operis, non ſalutis.

§. MDCCCXV.

Ex aſſertis hoc corollarium ſequitur: Hominem aut integrum Cœtum non ſtatim propter errorem aliquem in Religione commiſſum, damnandum & hæreſeos accuſandum eſſe, niſi immediate ipſum fundamentum ſpectet.

Idem alias, ſi hoc faceremus, accideret, quod Patribus Concilii Tridentini, de quibus recte aliquis dixit, dum omnia anathemate ſuo feriebant, nullum in Campis Proteſtantium quamcumque vile & abjectum germen fuiſſe, quod fulminibus ex Cœlo ſuo ferire non neceſſarium duxerint. Aut quod in Colloquio Ratisbonenſi Anno 1601 ADAMO TANNERO contra ÆGIDIUM HUNNIUM diſputanti accidit, qui à poſteriori interrogatus, an etiam hoc ad fidei Articulos pertineat, quod Tobias Canem ſecum duxerit? Quod in Vulgata verſione Tobiæ XI. 9. extat: Prior maxime, maxime, maxime exclamavit, dum ad diſtinctiones in hac materia adhibendas antea non attenderat.

§. MDCCCXVI.

Cum Articuli fundamentales ad Religionis Eſſen-

Essentiam pertineant (§. 1801.) : Hinc prout Religio aliqua hoc vel illo modo comparata est, etiam mutatur illius Essentia, propterea etiam Articuli fundamentales non iidem manere possunt.

Ita illi, qui solam Religionem Naturalem profitentur, illos Articulos, qui ad Religionis Revelatæ Essentiam pertinent, non habent ; Unde Celebris ille Naturalista *Baro HERBERT de CHERBURY* quinque ad Salutem necessarios Articulos asserit in libro *de Veritate pag. 268. seq.* & *de Caussis Errorum pag. 31. in app.* nempe 1.) Esse aliquod supremum Numen, 2.) Numen illud coli debere. 3.) Virtutem cum Pietate esse veram Cultus divini rationem. 4.) A peccatis esse cessandum. 5.) Dari præmium & pœnam post hanc vitam. Ita *Tolandus*, atque qui omnibus honeste pieque viventibus, quamcumque tandem profiteantur Religionem, felicitatem promittunt ; Ut & Sociniani, qui Religionem Christianam Rationis decempeda metiuntur & universalem Religionum omnium unionem & communionem stabilire conantur, intra eos Articulos subsistunt, qui ex Rationis principiis constant. Qui vero alia adhuc Religionis principia, præter Rationem & Revelationem assumunt, uti Pontificii Papæ Autoritatem & infallibilitatem, necessario horum Articulorum numerum plus æquo augere debent.

§. MDCCCXVII.

Ut in tanto sententiarum divortio locum habeamus, ubi certum pedem figere nobis liceat, certa Principia stabilienda sunt atque Criteria, ex quibus dijudicari potest, num Articulus aliquis fundamentalis sit nec ne?

§. MDCCCXVIII.

α. Datur Religio Naturalis (Sect. VIII.), & Revelata (Sect. XI - - XIV.).

§. MDCCCXIX.

β. Homo ad utriusque obſervationem obligatus eſt, ad Naturalis qua Creatura rationalis, ad Revelatæ qua Peccator (§. 1049.).

§. MDCCCXX.

γ. Cum Deus ſolus Religionis Autor eſſe poſſit, quippe Religionis objectum, & quia ſolus Bona illa homini conferre poteſt, quæ homo per Religionem quærit, & ſolus etiam ſit Legislator, qui poteſt ſervare & perdere Jac. IV. 12. Hinc etiam ſolus definire poteſt, quid ad Religionis eſſentiam pertineat, illiusque formam conſtituere.

§. MDCCCXXI.

δ. Religionis Naturalis eſſentia in hoc conſiſtit, quod, cum Deus omnium rerum cauſſa prima ſit (§. 765 - - 767.), homo obligatus ſit ad actiones ſuas ad illius Gloriam dirigendas (§. 768. 771.); Revelatæ vero, quod Peccator teneatur actiones in Gloriam Salvatoris ſui inſtituere & motiva illarum ab Attributis divinis in Negotio Gratiæ revelatis deſumere (§. 1059. 1060.): Hinc patet, veram Religionis formam ac eſſentiam in præſtatione certorum officiorum ſecundum normam Voluntatis divinæ inſtitutorum conſiſtere, adeoque totam *practicam* eſſe.

Quando dico integram Religionem practicam eſſe, ideo non excludo τὰ πίστα, ſed hoc innuere volo, omnes articulos credendos ad ipſam Religionis Eſſentiam pertinentes ad praxin ſuum habere debere uſum, ſive illius debere eſſe motivum ac incitamentum.

§. MDCCCXXII.

ε. Ut vero officia debito modo præſtentur cogni-

cognitio præcedere debet, uti in omnibus actionibus noſtris id fit, ſi recte comparatæ eſſe debeant, cœco alias impetu ageremus.

§. MDCCCXXIII.

5. Religio tam vulgi quam Eruditorum eſt.

§. MDCCCXXIV.

ζ. Cum Religio tota in eo ſit, ut homini certa officia erga Deum obſervanda præſcribat (§. 1821.), ex quorum præſtatione homo ſpem complectitur, ſequitur Religionem, & præcipue quæ ejus Eſſentiam conſtituunt, illi NOTA eſſe debere, alias neſciret, quomodo ad Dei Gloriam cum propria Salute vivere poſſit (§. 1822.); E. ea, quæ ad Religionis Eſſentiam pertinent, tam clare revelata ſint oportet, ut à quovis intelligi queant, licet non perfecte, tamen diſtincte.

§. MDCCCXXV.

η. Propter Intellectus humani imperfectionem unus ſublimia quædam dogmata intelligere non poteſt, quæ alter intelligit, & uno tempore aliquis id nondum intelligit, quod aliquando intelliget: Et poſterioribus temporibus aliquid intelligitur, quod antecedentibus à nemine intellectum fuit; quæ per experientiam nota ſunt.

§. MDCCCXXVI.

θ. In quolibet veritatum ſyſtemate ſemper unam tanquam primam & præcipuam concipimus, quæ ut reliquarum radix & fundamentum conſideratur, reliqua vero per ratiocinationem inde deducuntur; ut adeo in qualibet Propoſitione axiomata quædam immediate contineantur, &

& in ipsa subjecti vel prædicati essentia & attributis essentialibus lateant, aliæ vero Veritates per consequentias longius petitas inde eliciantur.

§. MDCCCXXVII.

1. Ita etiam in illa Veritate, quæ in Religione primaria est, aliæ immediate continentur, ut illa cognita simul eæ cognoscantur, & illis sublatis simul Veritas illa primaria tollatur, aliæ vero per longum ratiocinationis nexum inde deducuntur, & remotius cum illa cohærent.

§. MDCCCXXVIII.

2. Veritates, quæ per ratiocinium ex primaria deducuntur, possunt ignorari, licet primaria & immediate cum illa connexæ cognoscantur & retineantur; quamprimum autem etiam remotiores cognoscuntur, negari non debent.

§. MDCCCXXIX.

Hæc sunt Principia ad determinationem Criteriorum fidei Articulorum fundamentalium utilia & necessaria: quæ omnia ita comparata sunt, ut negari non possint: Ex quibus sequentes REGULÆ sive Articulorum fundamentalium REQUISITA fluunt.

§. MDCCCXXX.

Primo cum in Religione dentur Veritates primariæ & aliæ remotiores & per ratiocinium inde deductæ, adeoque secundariæ (§. 1826. 1827.), quarum posteriores etiam prioribus cognitis possunt ignorari, sed semel cognitæ non negari (§. 1828.); *Sequitur Articulos illos, qui Religionem constituunt, adeoque fundamentales sunt* (§. 1801.) *distingu-*

stinguendos esse in Primarios & Secundarios. Primarii, qui salva Religione & Salute non possunt ignorari, & necessarii sunt necessitate Medii : & Secundarii, qui salvo Religionis fundamento & Salute possunt ignorari, sed tamen cognitæ non negari, & necessarii sunt necessitate Præcepti.

§. MDCCCXXXI.

Possunt ergo quidem Articuli eidem homini aliquo tempore fundamentales esse, qui ipsi tales, antequam illos cognovit, non fuerunt.

Ita discipulis illis Act. XIX. 1. 2. Articulus fundamentalis non fuit, quod Spiritus Sanctus jam sit effusus & Bona spiritualia jam majori mensura fidelibus sint donata ; postquam vero ab Apostolo id didicerunt, fundamentale fuisset id negare velle.

§. MDCCCXXXII.

Secundo cum Deus solus definire possit, quid ad Religionis Essentiam pertineat, illiusque formam constituat (§. 1820.) : Ergo *nihil pro Articulo fidei fundamentali haberi necesse est, nisi quod Deus in Verbo suo tale definivit, sive expressis verbis sive per consequentiam necessariam.*

Unde S. Scriptura sæpissime necessitatis notam addit, eamque clare & expresse determinat : Ita Apostolus dicit, oportere eum, qui accedit ad Deum, credere esse Deum, & esse Remuneratorem eorum, qui ipsum quærunt. Hebr. XI. 6. Quod dictum omnia ea comprehendit, quæ per Theologiam Naturalem fundamentalia sunt : nempe Deum existere, illumque esse omnium rerum causam primam & finem ultimum, adeoque qua talem quærendum. Sive hæc duo Capita Theoretico-Practica continet, nempe Deum ejusque Voluntatem esse cognoscendam, & cognitam ad praxin revocandam. Quoad Religionem Revelatam multa occurrunt dicta, in quibus clare & perspicue deter-

determinatur, an aliquid cognitu, creditu & factu absolute necessarium, adeoque fundamentale sit. Ita dicitur, vitam æternam consistere in cognitione Dei & Domini nostri Jesu Christi Joh. XVII. 3. hoc est, cognitionem illam ad vitam æternam consequendam absolute necessariam esse. Joh. III. 36. Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum Act. XVI. 31. Crede in Dominum Jesum & salvaberis tu & domus tua Rom. X 9. Si ore confitearis Dominum Jesum, & corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Et ad Gal. V. 2 - 5. illi à Gratia excidere dicuntur, qui per Legem justificari volunt, non vero per fidem justitiam quærunt. Multa alia talia effata cumulare possemus. Articulos Practicos quod attinet, dicitur ex. gr. Amen, Amen, dico tibi, si quis non natus fuerit desursum, non potest videre Regnum Dei Joh. III. 3. Absque sanctimonia nemo videbit Deum Heb. XII. 14. Si quis non amat Dominum Jesum Christum sit Anathema, Maranatha. 1. Cor. XVI. 22.

§. MDCCCXXXIII.

Tertio : Unica Veritas plures alias in se comprehendit, quæ immediate ex illa fluunt, ut posita illa simul hæ ponantur (§. 1826. 1827.); Hinc *etiam illi Articuli pro fundamentalibus habendi sunt, qui sub his in S. Script. clare & evidenter expressis comprehenduntur, & cum his ita necessario & immediate cohærent, ut per necessariam & evidentem consequentiam ex illis fluant, ut perinde ac si simul expressi forent ex illis eliciantur, & his negatis etiam illi negari debeant.*

Quæ enim in ipsis Principiis includuntur, ut axiomata in definitionibus, ejusdem certitudinis atque momenti habentur, & hac via Articuli Primarii à Secundariis, & fundamentales à non fundamentalibus dignosci possunt.

Quar-

§. MDCCCXXXIV.

Quarto, Religio non solum Doctorum, sed maxime vulgi est, (§. 1823.), Matth. XI. 25. 1. Cor. I. 26. 28. & ea, quæ ad Religionis Essentiam pertinent, tam clare revelata esse debent, ut à quovis intelligantur (§. 1824.): Hinc *ad Articulum fundamentalem requiritur, ut tam evidenter in S. Literis expressus sit, ut à quovis homine etiam indocto & illiterato capi possit.*

Ergo illa, quæ nimis sunt sublimia, nimis abstrusa, quam ut à plebeiis intelligi possint, ad Articulorum fundamentalium numerum referenda non sunt. Hæc cum ita restringimus rem, non ita intelligimus, ac si reliquarum veritatum in S. Script. contentarum pretio aliquid derogare vellemus, nam cum sit divinum Verbum, axioma illud in æternum manet: Quidquid S. Script. dicit, illud verum est. Hinc quamprimum aliquis convictus est, veritatem aliquam in S. Script. contineri, illamque nihilominus negaret, omnino fundamentaliter erraret; sed cum magnus Veritatum in S. Litteris contentarum sit numerus, eæque omnes non ejusdem momenti sint, neque à quovis omnes cognosci & intelligi possint, hinc sufficit nosse illas, quæ sunt primi ordinis tam clare revelatæ, ut illas etiam illiterati capere possint.

§. MDCCCXXXV.

Quinto, eandem etiam ob caussam *Fundamentalia numero non adeo multa sæpe variisque, Modis in S. Script. inculcata & iterata sunt.*

Bonitati divinæ hæc adscribenda sunt, qui hominum imbecillitati sese accommodat, easque res, à quibus æterna illorum Salus dependet, toties atque tam valide inculcat, ut non possint non ea intelligere & ad illa attendere; Eidem etiam Benignitati referendum, quod Articulorum multitudine atque difficultate hominum mentes obruere noluit. Quando affero, Articulos

funda

fundamentales numero non adeo multos esse, id eo sensu intelligo, quo Venerabilis JOH. CHR. KIRCHMEJERUS, dicens in Dissert. de Articulis fundamentalibus §. XXXVI. seqq. *Possunt vero vel in pauciores Articulos contrahi, vel in plures extendi, quum sæpe unus Articulus reliquos includat, & vicissim juxta diversas in eo comprehensas veritates in plures dividi queat. Quare sibi non contradicunt Autores, qui omnes Articulos fundamentales in unum constringunt - - - per numerum numeratum enim determinari haud commode possunt: Quoniam scilicet tot Veritates in Veritate fundamentali continentur fundamentales, quot essentiales & ad nexum illum pertinentes terminorum sunt proprietates - - Quare S. Script. sæpe omnes ad unam summam refert* Joh. XVII. 3. *aliquando plures distinguit* 1. Tim. I. 5. Quomodo vero Veritates fundamentales vel in unum redigi possint Articulum vel in plures dividi, patet ex iis, quæ infra à §. 1863. ad finem usque Capitis dicemus, tum de Religione Naturali, tum de Revelata, licet ergo Celeb. VAN TIL contra JOUNCOURT pag. 8. asserat: *Quam de paucitate Articulorum fidei canit cantilenam, ea est Jesuitarum, Socinianorum, Remonstrantium & Syncretistarum, quæ Viris piis & Doctis semper suspecta visa est, quique in ea positione stratagema Diaboli agnoverunt, ut omne studium proficiendi in cognitione extinguat.* Licet, inquam, Celeberrimus Vir hæc dicat, quæstio proprie non est inter nos & Adversarios de horum Articulorum numero, sed de vera eorum Natura, sive quinam sint Articuli illi ad fundamentum pertinentes; Ex. gr. Sociniani sex solummodo statuunt, quos ex Religione tantum naturali depromunt: Horum loco alii sex, si substitui possent ex Religione Revelata deprompti, quos si Sociniani sincere profiterentur, pro Orthodoxis haberi possent; profectum vero cognitionis quod attinet, locum ille habere potest, licet Articuli fundamentales non admodum multi statuantur, dum illi multas comprehendant veritates, quæ explicandæ sunt.

§. MDCCCXXXVI.

Sexto, cum tota Religio Practica sit (§. 1821.); *Arti-*

Articulus fundamentalis omnis ad Veram Pietatem utilis & necessarius est, Doctrina Veritatis secundum Pietatem; unde eo magis aliquid cognitu necessarium & fundamentale est, quo major illius necessitas ad veram Christianismi praxin est.

§. MDCCCXXXVII.

Septimo, Unde consequitur, *Id quod mere theoreticum est, neque ullum ad Pietatem usum habet, absolute necessarium & fundamentale non esse.*

Hoc dum dicimus, Articulos theoreticos non è Religione eliminamus, nam theoria praxin necessario præcedere debet (§. 1822.), alias in praxi facile fallimur; sine cognitione enim nescimus, quis & qua ratione colendus sit, unde illi errant, qui asserunt, perinde esse cuicunque Religioni adhæreas & quamcunque profitearis, modo pie vivas, à vera enim cognitione etiam verus Deum colendi modus pendet.

§. MDCCCXXXVIII.

Patet ergo Articulos practicos maxime fundamentales esse, unde Evangelium vocatur Mysterium Pietatis, & Summa prædicationis Evangelicæ est Fides cum Resipiscentia: & omnium Præceptorum Evangelicorum tenor huc tendit, ut Deum cum Proximo nostro amemus, & eum in finem Gratiam salutiferam nobis apparuisse, dicit Apostolus, ut abnegantes impietatem & mundana desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc seculo. Tit. II. 11. 12.

§. MDCCCXXXIX.

Octavo, Veritates vario modo revelatæ sunt, in nonnullis solum Rei alicujus Existentia, in aliis vero etiam modus Rei (§. 1812.): Ut Deus tantum de Re aliqua revelaverit, quantum ad homi-

nis Salutem necessum esse sciebat : Unde hæc Regula fluit ; *Quod sæpe Res ipsa fundamentalis esse possit, cum modus illius vel circumstantiæ minime fundamentales sint.*

In rebus sublimibus atque divinis, quæ supra Rationis Sphæram sunt, nobis Rei Existentia tantum revelata est, uti v. g. in Mysterio S. Sanctæ Trinitatis, de quo scimus quantum scire nobis sufficit, nempe in una Essentia divina tres existere Personas ejusdem Essentiæ, ordinis & dignitatis, tamen personaliter à seinvicem distinctas, quarum una sit noster Creator, altera noster Salvator, & tertia Sanctificator noster ; Modum vero, quo id esse possit vel sit, penetrare nobis non licet : ita in reliquis rebus divinis pauciſſima sunt, quorum modus perfecte nobis constat, rem ipsam vero propterea credere nolle, maxime fundamentale esset, cum Deus illam credendi necessitatem nobis imposuerit. Nec minus Doctrina de Decretis divinis adeo diffusa est, atque sublimis, ut illam in complexu & omni modo suo nemo hominum finita mente sua assequi valeat ; Unde ea quæ S. Script. directe de illis asserit quidem credenda sunt, at omnem illorum Modum cognoscere, id nequaquam fundamentale est, cum quæcunque captum nostrum excedunt, fundamentalia esse nequeant (§. 1824.), de Decretis enim divinis sive illorum modo homini plebejo ad Salutem scire sufficeret : Quicunque credit salvabitur, qui autem non credit condemnabitur.

§. MDCCCXL.

Nono, Propter varias ingenii dotes & temporum circumstantias unus homo cognoscere potest, quæ alter non potest (§. 1825.) ; Unde sequitur, *Articulos fundamentales non eosdem esse numero omnibus, sed pro varia Revelationis mensura, Oeconomiarum diversitate, variis hominum dotibus, vivendi genere & circumstantiis etiam singulis varios esse.*

Id

Id maxime patet ex cognitionis ante & post natum Christum differentia ; Ante enim illius adventum multa latebant, quæ nunc in clarissima luce posita sunt. Et exemplum Apostolorum etiam hanc Thesin nostram abunde probat, qui licet jamjam in statu gratiæ erant, tamen & necessitatem passionis & mortis Jesu Christi & Regni illius veram rationem salva Salute sua per aliquod tempus ignorarunt, cum nunc ille qui necessitatem mortis Christi non agnoscit, vel negat, omnino fundamentaliter errare dicendus sit. Prout ergo quis facultates naturales à Deo accepit, etiam Articulorum ambitus vel major vel minor fit; & prout Revelatio & informatio alicui vel clarior vel obscurior facta fuit, etiam plus vel minus ab ipso requiritur ; Unde si de nobis ipsis agitur, etiam à minimis erroribus nobis cavendum & in cognitione Veritatum divinarum ad summum gradum tendendum ; si vero de aliis agitur, nonnisi maxima cum prudentia, charitate atque mansuetudine judicandum est.

§. MDCCCXLI.

Ex Regulis hisce, quæ ad totam hanc materiam intelligendam & solvendam sufficiunt, sequentes deducimus Observationes sive Corollaria. *Primo :* Cum Articuli numero non sint iidem omnibus (§. 1840.), sed alii sub Veteri, alii sub Novo Testamento degentibus, alii illis, qui exercitatos sensus habent, uti Apostolus loquitur, alii rudioribus hominibus atque infantibus, alii illis qui maxima Evangelii luce collustrantur & Verbum divinum legendi & audiendi sæpissimam occasionem habent, alii quibus sufficiens informatio absque propria culpa deest. Prout porro sub unica Veritate plures vel pauciores comprehenduntur, etiam major vel minor illorum numerus est (§. 1827. 1833.); hinc *certus & definitus Articulorum fundamentalium numerus designari nequit.*

Ex Verbo divino nec non Scientiis Philosophicis & Vita communi observatio hæc probari & illustrari potest. S. Scriptura nimirum ad Salutem cognitu factuque necessaria mox paucioribus, mox pluribus exprimit, ita Apostolus dicit, se sibi proposuisse nihil scire nisi Christum crucifixum. 1. Cor. II. 2. mox sola fides requiritur Rom. X. mox pluribus mysterium hoc exprimitur. 1. Tim. III. 16. Ita quæ praxim spectant, subinde sub solo Amore Domini Jesu Christi comprehenduntur. 1. Cor. XVI. mox Dei & proximi Matth. XXII. mox major illorum ambitus ostenditur Matth. V. totum & Cap. VII. & alibi passim : ut nullibi determinatus Articulorum numerus indicetur. Quis porro est qui nesciat, in omni scientiarum genere sub Veritatibus quibusdam generalibus multas alias comprehendi, uti ex Mathesi constat, in qua ex una Veritate multæ aliæ demonstrantur ; ita in Theologia Naturali in unica hac veritate, Deus est substantia à se continens in se Rationem Universi, innumeræ aliæ latent ; pauciores in hac Propositione, Deus est Omnipotens ; Quis vero definire vellet, quot aliæ propositiones sive veritates in una aliqua comprehendantur, præcipue cum ex. gr. Philosophus acutissimus plures in ea deprehendat alio, qui tardo ingenio est. In communi hominum vita multa etiam occurrunt exempla talium rerum, quarum vel certus numerus vel mensura aliqua generalis dari nequit ; *Absurdum* enim *esset*, inquit *Celeber. TURRETTINUS, Vol. II, Dissert. pag. 446. Vestem quandam communem petere, quæ omnibus staturis conveniat ; aut mensuram quandam cibi, quæ omnibus stomachis ; aut mensuram quandam laboris, quæ omnibus artificibus.* Non minus absurdum foret talem Articulorum numerum petere, qui omnium capacitati æqualiter conveniret. Nescimus etiam, quinam Justitiæ & Misericordiæ divinæ limites sint ; Unde nec ultimi ad Salutem necessariorum & non necessariorum limites definiri possunt.

§. MDCCCXLII.

Observatio secunda. Si unicus Articulus tam fœcundus sit, ut in eo omnia comprehendantur quæ

quæ ad Salutem neceſſaria ſunt, aliquis propterea non ut Latitudinarius vel Indifferentiſta damnandus eſt, quia unicum Articulum tantum fundamentalem dicit, ex. gr. quod per Gratiam Dei Triunius Jeſus Chriſtus Verus & æternus Deus aſſumta natura humana per paſſiones & mortem pro peccatis ſatisfaciendo factus ſit unica & perfectiſſima noſtræ Salutis cauſſa, qui propterea cum tota S. Sancta Trinitate cum ſui abnegatione quærendus, amandus, atque colendus ſit.

§. MDCCCXLIII.

Tertia: In Symbolo Apoſtolico, ita dicto, talia occurrunt, quæ ad Salutem ſcitu abſolute neceſſaria non ſunt, quod contra §. 1802.), etiam Articuli Practici deficiunt contra §. 1836. 1837.), ut & Theoretici: Hinc non ita diſerte & plene omnes Articulos fundamentales Chriſtianæ Religionis continet, ut præter illud nulla Confeſſionis Formula opus ſit.

§. MDCCCXLIV.

Quarta: Quando dicimus, Articulos fundamentales debere eſſe claros, id non ita intelligimus, ac ſi ita comparati eſſe debeant, ut ſtupidiſſimus quisque, etiam absque intercedente informatione, illos intelligere queat: In hunc enim finem Deus aliis majores animi dotes dedit, ut aliis utiles eſſe poſſint, & Miniſtrorum Eccleſiæ officium eſt, alios de Salutis Via inſtruere.

§. MDCCCXLV.

Quinta: Cum certus & definitus Articulorum fundamentalium numerus determinari nequeat (§. 1841.), & de Juſtitiæ & Miſericordiæ divi-

næ limitibus nobis non constet (§. cit.) & de nulla Ecclesia in hac terra asseverari possit, quod omnis plane Erroris sit expers (§. 1811.); Hinc prudentiæ est, ut de se quævis Ecclesia modeste, de altera, quantum id quidem salva Veritate fieri potest, mitius sentiat, unaque alteram suo jure, prout in Rebuspublicis liberis fieri solet, penitus frui permittat.

Vide Reverendiss. PFAFFIUM ad Corpus doctrinæ moralis Sorbonicum pag. 7. *Dissert. de Art. fund.* pag. 29. *& de Præjudiciis Theologicis Primitiis Tübing. insertis* passim. *Celeber. TURRETINUM Vol. II. Dissert.* p. 445.

§. MDCCCXLVI.

Sexta Observatio : Licet fundamentalium numerus non definiatur, optime tamen sciri potest, hoc vel illud esse Veritatem fundamentalem, hoc vel illud esse Errorem fundamentalem, eodem modo quo non necesse est, omnia alimenta ac venena nosse, ut sciatur, hoc vel illud alimentum vel venenum esse.

Vide *TURRETINI cog. de variis Theol. capitibus* §. CLVI. *& Vol. II. Dissert.* §. 447. 448. ex illo *Rev. PFAFFIUM de Art. fund.* pag. 24.

§. MDCCCXLVII.

Ex iis, quæ hactenus disseruimus, nunc facile patet, quænam non sint veræ horum Articulorum Notæ; Cum ad Religionis Essentiam, adeoque ad Articulos fundamentales (§. 1801.), cognitio certarum Veritatum, quæ Deum respiciunt, absolute necessaria sit (§. 1837. in Schol.), & ipse Christus eam requirat, Joh. XVII. 3. Hinc illorum *Notam* rejicimus, qui arbitrantur *Mysteria ad Salutem cognitu non absolute esse necessaria, sed sufficere*

re, ut quis sciat mandata divina in genere, cum præceptis Evangelicis in specie, illiusque promissis, in quibus homo fiduciam ponere debeat.

§. MDCCCXLVIII.

Notæ hujus falsitas etiam ex ipsa sua natura evincitur, cum in illa sit contradictio. Præcepta enim Evangelii observare & in ejus promissis fiduciam collocare & tamen nulla Mysteria noscere, aperte sibi contradicit; *Primo* tota Religio Revelata est Mysterium, alias Revelatione opus non habuisset: Atqui præcepta & promissa Evangelica, quæ observanda, adeoque etiam cognoscenda sunt, sunt pars Religionis Revelatæ; E. eoipso quo cognoscimus Evangelii Præcepta & Promissa, etiam cognoscimus Mysteria. *Secundo*, Præcepta Evangelica requirunt fidem in Jesum Christum ceu unicam atque perfectissimam Salutis caussam & Verum Dei & Domini nostri Jesu Christi cultum: Ut vero fides in Christum, ut unicam Salutis caussam, ponatur, requiritur ut fidei nostræ objectum noscamus, alias solido fundamento careret; Unde Doctrina de Christi persona, quo majus Mysterium in Religione non datur, cognoscenda est, nam quomodo crederemus in eum de quo nihil audivimus? Inquit Apost. Rom. X. 14. E. contradictionem involvit Præcepta Evangelii observare & nulla Mysteria nosse.

§. MDCCCXLIX.

De nulla Ecclesia in hac terra dici potest, quod sit infallibilis, ut in nullo plane Religionis Articulo à Veritate aberret (§. 1811.): Et inde ab Apostolorum ad nostra usque tempora tales in Ecclesia extiterunt Doctores, qui nomen Chri-

ſtianorum mentiti varia Religionis Dogmata impugnarunt, unus hoc, alter aliud, ut perpauci exiſtant Articuli, de quibus non diſputatum fuit, ut nihil fere fundamentale eſſet, ſi ad id requireretur, ut ubique & ab omnibus in Eccleſia ſit creditum: Unde nec hæc Nota valet: *Quod illa ſola fundamentalia ſint, quæ ab omnibus Chriſtianis omni tempore admiſſa ſunt.*

§. MDCCCL.

Deus ſolus definire poteſt, quid ad Religionis Eſſentiam pertineat (§. 1820.); Unde nihil pro Articulo fundamentali habendum, niſi quod Deus tale in Verbo ſuo definivit (§. 1832.), neque unquam Cœtui vel Doctoribus talis à Deo conceſſa eſt auctoritas, ut eoipſo, quo aliquid ut fundamentale præſcribunt, pro tali habendum ſit etiam extra Scripturam, neque ipſi etiam Apoſtoli dominabantur fidei fidelium 2. Cor. I. 24. Et, ſi vel Angelus è Cœlo Evangelium aliter prædicaret, quam ab Apoſtolis factum fuit, anathema eſſet Gal. I. 8. 9. Porro vera Eccleſia ex Articulis fundamentalibus dignoſci poteſt, num ſcilicet Religionis fundamenta retineat (§. 1803.), non vero viceverſa ex Eccleſia poteſt cognoſci, quodnam illius Criterium eſſe debeat; hoc volo dicere Eccleſiæ Criterium eſt veræ fidei profeſſio (§. 1525.), ex qua cognoſcitur, quænam ſit vera Eccleſia, non vero ex Eccleſia cognoſci poteſt, quodnam veræ Criterium eſſe debeat, alias in probatione committeretur circulus, dum ex profeſſione Articulorum fundamentalium probaretur hanc vel illam eſſe veram Eccleſiam, & viceverſa ex Eccleſiæ Auctoritate & definitione hunc vel illam

lum esse Articulum fundamentalem. E. etiam illa Articulorum fundamentalium Nota rejicienda est, *Quod omnia ea pro fundamentalibus eoipso sint habenda, quæ Ecclesia sola autoritate sua talia definivit, ut illa Decretis suis numerum fundamentalium stabilire atque augere possit.*

§. MDCCCLI.

Ad Analogiam fidei omnes illi articuli referri possunt, qui cum fidei fundamento conveniunt & illi superstrui possunt, quatenus unus alteri quadrat & nullus alteri contradicit, sed posito uno etiam poni possit alter & negato uno etiam periculum sit ne simul negetur alter.

§. MDCCCLII.

Ex hisce patet, magnum illorum Articulorum esse ambitum, qui ad fidei Analogiam pertinent, quorum primarii sciri possunt, licet secundarii ignorentur.

§. MDCCCLIII.

Cum in Religione distinguendum sit inter Articulos primarios & secundarios, quorum posteriores salva Salute ignorari possunt (§. 1830.), & fundamentalia sint numero pauca (§. 1835.), & licet res fundamentalis sit, tamen vel modus vel circumstantiæ propterea fundamentalia non sint (§. 1839.), quæ etiam ad fidei analogiam pertinent ex def. (§. 1851.), & cognitionis dentur varii Gradus (§. 1840.); *Sequitur etiam ad Articulorum fundamentalium Notas non pertinere solam fidei Analogiam, cujus magnus Articulorum est complexus* (§. 1852.).

Sunt nimirum, qui putant tot statuendos esse Articulos fundamentales, quot sunt loci communes in systematibus

tibus Theologiæ, aut omnes illos, quod unum idemque est, qui ad Analogiam fidei referri possunt, adeoque quæcumque ad Salutis destinationem, acquisitionem & applicationem pertinent; sed non attendunt hi, nimis magnum hac ratione fieri horum Articulorum numerum, & distinguendum esse inter ea quæ ad Salutem parandam & quæ ad Salutem cognitu sunt necessaria, quod patet ex §. 1840. Multa nimirum subinde ad cibum salubrem præparandum requiruntur, quæ illi, qui eo ad sanitatem suam fruitur, scitu necessaria non sunt, sed illi scire sufficit, cibum hunc qui ipsi apponitur & bonum & sanitati suæ conducibilem esse; ita ægrotus qui medicina utitur parum sollicitus est, quænam illarum partium, ex quibus composita est, prius, quænam posterius fuerit præparata? An prius hæc cum altera fuerit mixta, an vero altera cum tertia? Ipsi etiam perinde est, quamnam Capsam Pharmacopœla ad illam præparandam prius sumserit, an hanc, an vero illam, ipsi scire sufficit & Medicum, qui hoc remedium præscripsit, esse experientissimum & Medicinam restituendæ sanitati & huic Morbo medendo esse convenientissimam. Ita Peccatori sufficit scire α. quisnam sit verus ille & unicus Medicus, nempe Jesus Christus Deus & Homo in una Persona, β. quodnam sit illud Remedium pro peccatis, quod nobis attulit, nempe perfecta Justitia per passiones, mortem & obedientiam perfectam comparata, γ. quomodo Medicinæ illius particeps fieri queat, nempe eam per veram & vivam fidem apprehendendo; de reliquis non ita sollicitus est, sed contentus scire, quodnam remedium & à quo paratum sit & quomodo illo uti debeat.

§. MDCCCLIV.

In S. Script. multa occurrunt facta, circumstantiæ, nomina propria, aliaque plura, quæ ad Salutem cognitu necessaria non sunt (§. 1812.): *E. etiam simpliciter dici nequit, omnia ea, quæ in illa continentur, ad Salutem cognitu absolute esse necessaria, adeoque*

adeoque fundamentalia, licet fundamentale sit, si quis negaret, ea vera esse quæ S. Script. tradit.

§. MDCCCLV.

Nihil nunc supereſt quam ut oſtendamus, qua ratione Syſtema aliquod breve confici debeat, ex quo cognoſci poteſt, num Articulus aliquis vel immediate fundamentum tangat & ex illo ſequatur? An vero ab illo remotus? An ad primarios, an ad ſecundarios referendus ſit?

§. MDCCCLVI.

Ante omnia inquirendum, quodnam Religionis tum Naturalis tum Revelatæ ſit fundamentum? Quisnam ſit Articulus ille vel Veritas, ad quam reliquæ omnes tendunt & in illam reſolvuntur?

Notum nimirum eſt ex Cap. I. in qualibet Religione eſſe hypotheſin aliquam primariam, quod in falſis Religionibus πρῶτον ψεῦδος appellatur, ſive Error primarius, ad quem tuendum reliqui Articuli omnes concurrunt tanquam ad communem aliquem finem, & contra omnes etiam Articuli particulares ex univerſali illo derivari poſſunt. Ita etiam in vera Religione datur primaria aliqua Veritas reliquarum baſis, quænam vero illa ſit, ex ipſa Religionis Natura atque fine dijudicari debet.

§. MDCCCLVII.

Finis Religionis in genere eſt, *ut homo cum propria Salute æterna ad Gloriam Dei vivat.* Ad id enim hominem conditum eſſe, ex fine divinorum operum demonſtravimus (§. 720.), & id etiam ex Religionis natura patet (Sect. VIII.), & cuivis propria conſcientia teſtis eſt.

Funda-

§. MDCCCLVIII.

Fundamentum Religionis est certa quædam hominis ad Deum relatio, quæ fluit ex opere aliquo Dei circa hominem, ex quo officium, Deum ad Salutem agnoscendi & colendi, oritur, ut & modus, quo id fieri debeat (Sect. VIII.).

§. MDCCCLIX.

Alius vero est status hominis integri, alius peccatoris, qua Peccator enim amplius ad Dei Gloriam vivere nequit ; Unde alius Salvandi modus est hominem integrum, alius Peccatorem, qui iterum illi statui restituendus est, in quo ad Dei Gloriam vivere possit cum Salute propria.

§. MDCCCLX.

Unde aliud fundamentum est Religionis Naturalis, ad quam homo Peccator qua homo obligatus est, aliud Revelatæ, ad quam qua Peccator obstringitur,

§. MDCCCLXI.

Ergo Religio Peccatoris utramque Religionem Naturalem & Revelatam complectitur.

Putant illi, qui solam Religionem Naturalem admittunt, & illam perfectam arbitrantur, ut additione aliqua opus non sit, nos, dum Religionem Revelatam tanquam necessariam defendimus, aut mutare Religionem Naturalem, quasi imperfecta esset in se, aut ipsi aliquid addere, quasi illi ratione essentiæ suæ aliquid deesset, aut nos illam plane abrogare dum Revelatam stabilimus ; sed falluntur in his omnibus, nec enim illam abrogamus, sed Peccatorem qua hominem ad illam semper obligatum manere, ex ipsa rei natura non possumus non defendere, ut id ubique inculcatur in omnibus nostris operibus Theologicis, imo ipsis etiam Catechismis. Neque etiam Religionem

nem Naturalem in se & Natura sua imperfectam censemus, ut homo integer per illam salvari nequeat: Neque quidquam in Religione illa mutamus, cum illius essentia, uti omnium aliarum rerum, sit immutabilis, sed illam totam sartam tectamque conservamus, unde tot etiam Theologiæ Systemata conscripta sunt. Sed hoc dicimus, statum hominis per abusum libertatis redditum fuisse moraliter imperfectum, ut amplius Religionem naturalem observare nequeat, uti nullum adduci potest exemplum ullius hominis, qui illam observaverit, ideo si Deus scopum suum, quem in Creatione hominis habuit (§. 1857.), assequi velit, novo Dei circa hominem opere opus esse, ut nimirum ipsi Medium ostendat, quo ex statu moraliter imperfecto liberari possit & iterum ad Dei Gloriam vivere queat cum propria Salute; hoc dum in Religione Naturali non fit, dum illa statui hominis integro acommodata sit, Revelatione opus est; ex novo autem hoc Dei opere etiam nova hominis oritur obligatio, unde Religio Revelata fluit; Hinc sequitur, duas has Religiones seinvicem nequaquam tollere, sed ambas concurrere & ad utramque hominem Peccatorem obligatum manere; Naturali enim per Revelatam plane nihil derogatur, sed potius prior posterioris fundamentum est, & posterior hominem illi restituit statui, in quo post hanc vitam Religionis Naturalis præcepta exactissime observare potest.

§. MDCCCLXII.

Fundamentum Religionis Naturalis est, *Creatio & Providentia* (§. 765. 766. 767.), Finis ut homo cum propria Salute ad Dei Gloriam vivat (§. 771. 1857.).

§. MDCCCLXIII.

Unde Religionis hujus Veritas primaria & maxime fundamentalis hæc est, Hominem per dependentiam suam à Deo, ut omnium rerum caussa prima & fine ultimo, & propter finem

ad

ad quem creatus est, obligatum esse ad actiones suas secundum Voluntatem Dei dirigendas & in Dei Glorificatione æternam Salutem quærendam.

Quisquis Religionem Naturalem non inficiatur, is etiam admittet, hanc illius esse præcipuam & maxime fundamentalem Veritatem, ut sine illâ hæc Religio ne quidem subsistere posset; sed fundamento hoc ablato tota corrueret; ex hac etiam positione totum hujus Doctrinæ Systema derivari potest.

§. MDCCCLXIV.

In hac autem immediate sequentes continentur Veritates, quæ adeo non minus ac hæc ipsa fundamentales sunt: α. Deum Existere.

§. MDCCCLXV.

β. Eundem esse omnium rerum Causam primam & finem ultimum.

§. MDCCCLXVI.

γ. Adeoque omnes in se continere Perfectiones, quæ ad id requiruntur.

§. MDCCCLXVII.

δ. Hominem omniaque reliqua à Deo creata fuisse.

§. MDCCCLXVIII.

ε. Cum omnia ad sapientissimum finem dirigantur, *dari Providentiam.*

§. MDCCCLXIX.

ς. Hominem sui juris non esse, sed à Deo in omnibus actionibus suis dependere.

Volun-

§. MDCCCLXX.

ζ. Voluntatem Dei esse actionum ejus Normam.

§. MDCCCLXXI.

η. Dari Religionem.

§. MDCCCLXXII.

θ. Deum ipsum quærentibus esse Remuneratorem, cum in ipsius Glorificatione æterna Salus obtinetur.

§. MDCCCLXXIII.

ι. Animam esse immortalem.

§. MDCCCLXXIV.

Si nunc ex Articulis hisce, qui cum Religionis fundamento immediate connexi, adeoque *primarii* sunt, tanquam ex principiis alii demonstrentur, illi *secundarii* sunt, qui quidem non debent negari, sed possunt ignorari.

§. MDCCCLXXV.

Si porro ex secundariis illis aliæ adhuc derivarentur Veritates, illæ in numerum fundamentalium vix amplius accensendæ sunt.

§. MDCCCLXXVI.

Finis Religionis Revelatæ est homini Peccatori Medium liberationis ostendere; sive quomodo ex statu moraliter imperfecto liberatus iterum cum propria Salute ad Gloriam Dei esse queat (§. 977. 979. 1059. 1060.): *Fundamentum* est aliquod Opus divinum circa Peccatorem, quod ex ipso hujus Religionis fine aliud esse non potest, quam Liberatio sive Redemtio; Unde etiam S. Script. opus hoc ceu Religionis fundamentum pro-

proponit, 1. Cor. VI. 20. in quo Peccator totus à Deo pendet. *Medium* autem illud, quod homini revelatur, eſt Jeſus Chriſtus, qui factus eſt unica atque perfectiſſima Salutis noſtræ cauſſa (§. 1004.) : Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter jactum quod eſt Jeſus Chriſtus. 1. Cor. III. 11. Act. IV. 11. 12. 1. Tim. II. 5. Joh. III. 16. XIV. 6. 1. Cor. I. 30. 31.

§. MDCCCLXXVII.

Ex his patet : Veritatem Religionis Revelatæ primariam & maxime fundamentalem hanc eſſe. Jeſus Chriſtus ceu unica atque perfectiſſima Salutis cauſſa ab homine Peccatore agnoſcendus & recipiendus, Deusque propterea à toto homine, hoc eſt, Anima & Corpore glorificandus eſt.

§. MDCCCLXXVIII.

Ad hoc enim Myſterium inculcandum & explicandum tota tendit Revelatio, & omnia Religionis Revelatæ dogmata ad Veritatem hanc cognoſcendam vel ſupponuntur, vel in ea continentur, vel ex ea fluunt & derivantur. Et quæcunque alia in S. Script. dicuntur, vel hiſtoriæ, vel typi, vel prophetiæ, vel exempla omnia huc faciunt, ut Doctrina hæc illuſtretur & declaretur.

§. MDCCCLXXIX.

Unde ſi fundamentum hoc & Veritas primaria reliquarum omnium & fons & ſcopus inconcuſſa manet, etiam Religionis Revelatæ eſſentia ſalva manet atque inconcuſſa, hac vero vel negata vel impugnata ſimul tota Revelata Religio in complexu ſuo negatur vel impugnatur.

§. MDCCCLXXX.

Quidquid ergo immediate ex hac Veritate fluit, illud ad Articulos fundamentales primi ordinis pertinet, & ad Deum cum propria Salute cognoscendum & colendum requiritur, sive ad Salutem creditu factuque absolute necessarium est.

§. MDCCCLXXXI.

Ampliſſima autem hæc Veritas ſequentia in ſe continet axiomata α. ut Jeſus unica atque perfectiſſima Salutis cauſſa atque verum ex ſtatu imperfectionis moralis Liberationis Medium agnoſcatur, ante omnia propria peccatoris miſeria agnoſcenda eſt, alias Peccator Liberatore non indigeret, unde Spiritus Paracletus etiam homines ante omnia convincit de peccato. Joh. XVI. 8. id quod etiam Apoſtoli fecerunt in concionibus ſuis, & præcipue Paulus ab initio Epiſtolæ ad Romanos. Ita Johannes 1. Joh. I. 8 - 10.

§. MDCCCLXXXII.

β. Cum Jeſus Chriſtus ſit unica Salutis cauſſa, oportet homo ipſe plane impotens ſit ad Juſtitiæ divinæ pro commiſſis peccatis ſatisfaciendum & ſeſe ex ſtatu moraliter imperfecto, & propter triſtes effectus miſerrimo, liberandum: Unde in primaria hac Veritate etiam hæc continetur, quod homo ad ſatisfaciendum divinæ Juſtitiæ & ad ſui liberationem plane impotens ſit. Rom. VII. 24. 25. VIII. 3. Part. pr. III. 27.

Duobus hiſce Articulis nititur tota Revelationis Neceſſitas, cum enim Finis illius unicus ſit, homini Medium patefacere, quomodo per Peccatum miſer & impotens factus, ut neque propriam promovere perfectionem, neque Deum glorificare amplius poſſit, iterum è miſeria

seria sua emergere & cum propria Salute ad Dei glorificationem vivere possit : Hinc tota hæc Doctrina de Liberationis Medio, ejusque necessitas, ex misero & impotenti hominis statu derivanda est ; Unde omnes illi, qui hominis miseriam & impotentiam non agnoscunt, etiam Revelationis tum Necessitatem tum Veritatem inficiantur, uti naturalistæ, & Sociniani etiam, qui veram Revelationis rationem atque scopum negant. Hoc ergo fulcro concusso omnes Revelatæ Religionis Veritates subruuntur, & nemini Revelationis Necessitas probabitur, vel quisquam de ea convincetur, nisi de Articulis hisce prius convictus sit, hominem nec divinæ Justitiæ pro peccatis commissis satisfacere, nec propriis viribus ex malo infinito emergere, & in statum perfectionis restitui posse.

§. MDCCCLXXXIII.

γ. Ut Jesus sit plena Salutis caussa, etiam requiritur, ut homo non tantum sese abneget, sed omnes insuper Creaturas, penes quas nonnulli cum Salutis suæ detrimento auxilium quærunt: Unde cum principali veritate etiam hæc immediate connectitur, præter Jesum Christum nullum alium dari Liberatorem aut Mediatorem Act. IV. 11. 12. 1. Tim. II. 5.

§. MDCCCLXXXIV.

δ. Neque etiam Dominus Jesus Christus unica & perfectissima Salutis caussa esset, si propriis meritis, si non ex toto saltem ex parte, homo Salutem acquireret, propterea omne quoque proprium Meritum in Negotio Salutis excluditur. Rom. III. 24. 27.

§. MDCCCLXXXV.

ε. Quia homo liberandus est Peccator, qui abusu Libertatis moraliter imperfectus factus, ut

ad

ad Dei Gloriam amplius actiones suas dirigere nequeat, adeoque nihil in ipso deprehendatur, quod Deum obliget ad illius miserendum: Patet totum Salutis Negotium soli divinæ Gratiæ atque Misericordiæ adscribendum esse.

§. MDCCCLXXXVI.

6. Donatio atque ordinatio Medii Liberationis necessaria non esset, nisi daretur altera Vita, in qua homo Salutem illam paratam sensu plenissimo consequitur, & ad Dei Creatoris & Salvatoris sui Gloriam vivere potest: Unde etiam proxime ad fundamentum pertinet, post hanc vitam aliam futuram. Heb. XI. 6.

§. MDCCCLXXXVII.

7. Medium Liberationis præcipue hanc ob caussam necessarium est, quia Justitia divina est absolute necessaria, ut pœnæ infinitæ, quæ ex peccato effectu naturali secutura fuisset, compensationem æquivalentem necessario poscat (§. 647. 648.), hinc, ut Christus sit Liberator perfectus, necesse fuit, ut Deo loco Peccatoris satisfaciat: E. Doctrina de Satisfactione Christi ejusque necessitate fundamentum Salutis immediate tangit.

§. MDCCCLXXXVIII.

8. Si homo in statu integro mansisset, per glorificationem Dei Creatoris & Benefactoris sui propriam Salutem majori gradu acquisivisset (§. 1872.), propter imperfectionem vero moralem hoc in statu peccati porro præstare non potuit (§. 1882. 1883.); Propterea etiam Christus qua perfectissima Salutis caussa, Justitiam & Vitam nobis acquirere debuit.

§. MDCCCLXXXIX.

θ. Ut perfectus Salvator sit, requiritur etiam, ut Salutem non tantum acquirat, sed illam etiam applicet, regenerando, sanctificando & consummando.

§. MDCCCXC.

ι. Jesus Christus ut talis *recipiendus est*, quod fit per veram fidem, unde Doctrina de fide ejusque natura immediate cum fundamento connexa, & in S. Script. sæpissime ut maxime fundamentalis notatur, ut absque vera fide nemo salvus fiat, sed contra quisquis crediderit salvandus sit. Joh. III. 36. Act. XVI. 31. Rom. X. 9. Marc. XVI. 16.

§. MDCCCXCI.

κ. Salvator vero fide recipi nequit, nisi talis agnoscatur : Unde necessitas cognitionis illius Articulus fundamentalis est, & talis etiam à S. Script. describitur. Jes. LIII. 11. Joh. XVII. 3. Rom. X. 14.

§. MDCCCXCII.

λ. Cum Jesus Christus sit unica ac perfectissima Salutis causa, sequitur totam illam, hoc est, peccatorum remissionem & jus ad Vitam æternam ipsi soli adscribendum esse, justificamur enim gratis, ipsius, scil. Dei Gratia, per redemtionem, quæ in Christo Jesu est. Rom. III. 24.

cf. 382 In hoc enim Articulo omnis veræ Religionis cardo vertitur, ut hoc Articulo salvo & inconcusso manente, etiam Religionis fundamentum intactum maneat.

§. MDCCCXCIII.

μ. Ad tantum opus perficiendum & compen-

satio-

satisfactionem infinitæ pœnæ pro tot myriadibus præstandam, & opus infinitæ potentiæ (cum totum Salutis Negotium sit miraculum) efficiendum, nemo idoneus fuit, nisi ipse Deus fortis; Unde nemo vere credere potest, Jesum Christum esse Salvatorem perfectissimum & pro homine satisfeciisse, nisi qui credit illum esse verum & omnipotentem Deum. 1. Joh. V. 20.

§. MDCCCXCIV.

ν. Ut pœnam peccatis meritam subiret, debuit pati & mori, unde nec Salvator esse potuit, nisi assumta humana natura, ergo ad fundamentum etiam pertinet Mysterium illud manifeste magnum, quod Deus sit manifestatus in Carne. 1. Tim. III. 16.

§. MDCCCXCV.

ξ. Finis Liberationis est Glorificatio Dei: glorificatur vero, si omnes nostras actiones secundum ipsius Voluntatem instituimus, motivis ab Attributis divinis desumtis, adeoque faciendo nonnisi quod rectum est, in quo vera sanctimonia consistit, cum enim corpus & anima Dei sint, utroque etiam glorificandus est, 1. Cor. VI. 20. Qui Articulus practicus maxime ad fundamentum pertinet.

§. MDCCCXCVI.

ο. Et quoniam per Verbum divinum totum Salutis negotium cum omnibus officiis, quæ Religio Revelata ab homine postulat, nobis patefit, & fides excitatur, & omnia Beneficia per Liberatorem in Peccatoris Salutem parata per Sacramenta repræsentantur & confirmantur: Sequitur Verbum illud ceu divinum recipiendum esse, &

Sacramentis, ita uti fides in Christum ut unicam Salutis causſam id poſtulat, utendum eſſe.

§. MDCCCXCVII.

Omne hoc, quod cum Veritate fundamentali neceſſarium nexum habet, & ſine quo illa intelligi nequit, fundamentale eſt: Et quidem Articuli hi primi ordinis ſunt.

§. MDCCCXCVIII.

Si ex his nunc alii derivarentur, eſſent ſecundarii, ſed nolumus hic prolixiores eſſe, cum ex his ſatis intelligatur, quomodo aliquid fundamento vel propius vel remotius eſſe poſſit, & quomodo Articulorum numerus vel ad paucos vel ad multos reſtringatur.

§. MCCCXCIX.

Quo generalius enim Veritas aliqua concipitur, eo pauciores, & quo diſtinctius, eo plures numero inde naſcuntur.

§. MCM.

Adverſariorum vero errores plerumque in cauſſa ſunt, cur numerus Articulorum fundamentalium augeatur, diſtinctius enim Veritas evolvenda illorumque Erroribus opponenda eſt.

* * * * *
* * * *
* * *
* *

CAP.

* * * \

stratur & cum Religionis natura conveniens, negatur, committitur Error Theologicus.

§. MCMV.

Gravitas Erroris agnoscitur ex gravitate Veritatis, quæ per illum vel negatur, vel impugnatur: Unde si Veritas, quæ in Religione fundamentalis est, negatur & Propositioni oppositæ assensus præbetur, etiam Error fundamentalis est.

§. MCMVI.

Error ergo fundamentalis in Religione est Assensus propositioni falsæ, Veritati fundamentali oppositæ, datus.

§. MCMVII.

Ex qua definitione patet, duplici modo fundamentaliter errari posse, non modo si aliquis Articulus fundamentalis diserte negatur, sed si tali propositioni assensus præbeatur, quæ illum destruit; hoc est, fundamento aliquid addendo vel superstruendo, quod illud inficiatur & destruit, propositioni fundamento oppositæ assensum præbendo.

§. MCMVIII.

Fieri enim potest, ut aliquis Veritates fundamentales admittat, sed contrariis assertionibus aut actionibus evertantur.

Hoc in Ecclesia Romana fieri videmus, quando quidem asseritur, solum Deum adorandum & colendum esse, sed eodem tempore res creatæ, Divi, Angeli, aliaque plura adorantur.

§. MCMIX.

Qui scit, quinam sint Articuli fundamentales, is etiam

etiam facile deprehendit Errores fundamentales, qui sese produnt α. si quis aperte & verbis disertissimis Articulo alicui ad essentiam Religionis & Salutem scitu necessario contradicit.

§. MCMX.

β. Vel si quidem verba Veritatis fundamentalis retinet, sed illa ita explicat, ut Religionis Naturæ & reliquorum Articulorum Analogiæ, nec non sensui Spiritus Sancti plane contradicat.

Hoc à Socinianis maximopere fit, qui quidem videri volunt se Revelationis Veritatem agnoscere, sed dum omnia ex Principiis Rationis explicant, & verum sensum Revelationis contorquent, & veram Revelatæ Religionis rationem illiusque necessitatem inficiantur.

§. MCMXI.

Si γ. contra §. 1907. Articulo fundamentali ore adserto aliquod dogma additur, quod ipsum fundamentum evertit & manifesta contradictione tollit. (§. 1908.).

§. MCMXII.

δ. Nec non ille etiam fundamentaliter errat, qui consequentias necessarias, quæ immediate ex Articulo fundamentali fluunt & in illo continentur, & propterea pro Articulis fundamentalibus habentur, negat, illisque expresse contradicit. Consequentiæ enim ex Articulis immediate cum fundamento connexis derivatæ, quidem sine Salutis detrimento à multis ignorari, sed non negari possunt. (§. 1830.).

§. MCMXIII.

Error vero fundamentalis esse non potest, si vel aliquid erronei, quod fundamentum non

ferit, per consequentiam propter Rationis imbecillitatem deducitur, aut si falsi quid asseritur in re plane sublimi, cujus adæquata cognitio vires Intellectus humani excedit : Quia talis error Articulo fundamentali oppositus non est (§. 1830.)

§. MCMXIV.

Maxima ergo cautione opus est, ne consequentiæ, quæ probabili admodum specie ex dogmate aliquo deducuntur, alicui invito, ut Errores fundamentales, imputentur.

§. MCMXV.

Cum Doctrina de re aliqua possit esse fundamentalis, licet ejus circumstantiæ & modus non sit fundamentalis (§. 1839.) : Propterea, licet dogma ipsum sine Salutis periculo negari nequeat, tamen dogmatis circumstantiæ vel Modus aliquis ipso dogmate retento ignorari vel negari potest : Quapropter etiam ignoratio vel negatio circumstantiæ dogmatis alicujus fundamentalis pro Errore fundamentali habenda non est, nisi ipsum dogma subruatur.

Ita multæ quæstiones inter Christianos agitantur, in quibus non de re ipsa, sed tantum de modo rei certatur, hinc, si non modus rei, sed res ipsa scitu & creditu necessaria sit, ille qui modum negat, propterea non rem ipsam negare & fundamentaliter Errare dicendus est.

§. MCMXVI.

Tota Religio Practica est, (§. 1821.) : Et illi Articuli maxime fundamentales sunt, quorum ad praxin maximus usus est (§. 1836.) : E. etiam Errores, qui contra praxin committuntur, maximopere fundamentales sunt, quidquid enim pietatem

tatem & genuinam converſionis noſtræ rationem evertit, viam Salutis uno ictu intercludit.

§. MCMXVII.

Error ergo practicus longe perniciosiſſimus eſt; unde Apoſtolus Paulus illis, qui practice errant, Anathema dixit; ſi quis non diligit Dominum Jeſum ſit Anathema, Maranatha. 1. Cor. XVI. 22.

Varii generis hi Errores ſunt, qui contra praxin committuntur, qui ad has tres claſſes præcipue referri poſſunt, aut enim aliquis propter falſum, quem de converſione habet conceptum, ſeſe jam converſum eſſe putat, & naturam cum gratia confundit, inde fit ut falſa imbutus opinione, operationem Salutis cum timore & tremore, intermittat, unde illorum numerus, qui fundamentaliter errant forſan major eſt, quam vulgo creditur. Aut illam vel plane non neceſſariam propter Gratiæ divinæ magnitudinem arbitratur, vel ſaltem converſionem ſuam de die in diem differt, putans ſe in Articulo mortis ad Deum converti ſufficere. Aut tandem ex Articulis quibusdam Theoreticis male intellectis circa praxin falſæ deducuntur conſequentiæ, ita ex Doctrina de certiſſimo Decretorum eventu, & falſo dogmatis de Prædeſtinatione conceptu concludunt, ad Salutem conſequendam perinde eſſe, quocumque modo vivant, cum eventus Decreti nihilominus certiſſimus futurus ſit: Quod Illuſtris LEIBNITIUS *Sophiſma ignavi* appellavit. Alii dum divinæ Gratiæ efficaciam & illius agendi modum vel non intelligunt, vel intelligere nolunt, otioſe exſpectandum eſſe arbitrantur, num Gratia divina operari velit nec ne! Hi & ejusmodi Errores certe periculoſiſſimi ſunt, dum illis via ad Salutem plane intercluditur. Addendum adhuc, quod dum dicimus Errores practicos perniciosiſſimos eſſe, nos neutiquam tamen ſtatuamus Hæreſin Practicam, niſi in quantum ipſimet Articuli Theoretici ſunt Practici, adeo ut omnis Error, quem dicimus Practicum, ſit *Theoretico-Practicus.*

Qui

§. MCMXVIII.

Qui hoc modo errat, is Religionis fundamentum subruit, non ob nudum Errorem Theoreticum, quem mente concipit, sed quia Error talis Pietatem extinguit, sine qua nulla est salus. Heb. XII. 14.

§. MCMXIX.

Religio Peccatoris tam Religionem Naturalem, quam Revelatam complectitur (§. 1861.), utraque habet suos Articulos fundamentales (§. 1863. 1877.): Inde etiam nascitur Errorum differentia, qui committuntur aut contra Religionis Naturalis vel Principium sive fundamentum, vel principiata, aut contra Revelatæ sive fundamentum sive Articulos inde deductos.

§. MCMXX.

Illi, qui ipsum Religionis Naturalis fundamentum atque existentiam inficiantur, vocantur vel Athei vel Sceptici, dum de re sua non certi sunt, saltem dubitant.

§. MCMXXI.

Dogmata, quæ ex Rationis principiis de Religione cognoscuntur, dicimur *Scire*; ea vero, quæ per Revelationem nobis innotescunt, dicimur *Credere*, unde illorum per Fidem certi reddimur, uti priorum per Scientiam. Propterea illi, qui Religionis Revelatæ principium vel ex toto vel ex parte inficiantur, vocantur vel Infideles vel Increduli, dum fidei nullum plane locum dant vel saltem præcipuum ejus objectum non admittunt. Prioris generis sunt Gentiles, dum Religionem Revelatam omnino ignorant; Vel *Naturalistæ Philosophici*, qui quidem Revelationem cogno-

cognoscunt, sed non agnoscunt. Posterioris generis Judæi, qui partem tantum veræ Revelationis admittunt, sed id quod Religionis Christianæ fundamentum complectitur pernegant: Ut & *Muhammedani*, qui aliquam Revelationem quidem pro vera habent, sed in fidei objecto toto cœlo aberrant.

§. MCMXXII.

Articuli Religionis Revelatæ duplicis generis sunt, fundamentales vel non fundamentales (§. 1807 - - 1815.): Unde pro hac distinctione Errantes etiam duplici nomine insigniuntur; Qui enim contra Articulos fundamentales impingunt & Propositiones illis oppositas defendunt, nominantur *Hæretici*, qui vero Articulos non fundamentales impugnant simpliciter Errantes vel *Schismatici* dicuntur.

Vox αἵρεσις unde αἱρετικὸς sumitur sensu vel prophano, vel biblico, vel Ecclesiastico: Priori sensu præcipue à Philosophis desumta est, qui divisi jam olim fuerunt in varias αἱρέσεις sive sectas; Sensu Biblico ejus significatus vel est indifferens, vel sumitur in malam partem; priori modo passim in Actis Apost. adhibetur, ubi etiam de secta quavis intelligenda est, ut Cap. V. 17. XV. 5. XXIV. 5. 14. XXVI. 5. XXVIII. 22. sed etiam in malam partem accipitur & sectæ studium denotat ut Gal. V. 20. quod cum Doctrinis perniciosis conjunctum est. 2. Pet. II. 1. Ubi Apostolus homines hujusmodi αἱρετικὰς, qui non simpliciter errant, sed pravis etiam affectibus aguntur, à Deo puniendos esse monet. Et Apostolus Paulus hominem hæreticum post unam vel alteram correptionem devitandum esse dicit. Tit. III. 10. Sensu Ecclesiastico sumta denotat, pravum aliquod & humanum dogma, contra veram doctrinæ Apostolicæ vel Concilii Oecumenici secundum S. Scripturam decidentis significationem, omni convictione posthabita pertinaciter defensum,

sum, vel Doctrinam fundamentalibus dogmatibus adversam, quæ Ecclesia, cui nos adjungimur tuetur.

§. MCMXXIII.

Vario autem modo circa Veritates fundamentales errari potest, vel enim aliquis bona fide errat ex ignorantia, qui tamen capitur amore cognitionis Veritatis & sincera Pietate imbutus meliora scire desiderat, & mansueta convictione facile in veram viam reducitur, dum non pertinaciter sententiæ suæ insistit, sed veritati demonstratæ lubens manus victas præbet.

Ita inter Plebem ignaram plurimi existunt, qui falsis imbuti opinionibus nullo fere negotio veritatem ipsis monstrando ad meliorem mentem redeunt, & præjudicium, quod hactenus foverunt, confitentur; Sed haud raro etiam, inter illos, qui ad eruditionem tendunt, existunt, qui mente sua falsa concipiunt dogmata, sepositis vero præjudiciis meliora edocentur. Accidit etiam sæpissime, ut aliquis ex nimia præcipitantia nulla deliberatione adhibita dogma aliquod eroneum defendat, cujus falsitatem ipsemet attendens facile agnoscit.

§. MCMXXIV.

Vel *secundo* aliquis Errorem fundamentalem ita propugnat, ut, pensitata bene utraque Doctrina & ponderatis utrorumque argumentis, tamen falsis ratiociniis deceptus, se ipsissimam tueri veritatem arbitratur, & officii sui esse censet contra quosvis dogma suum defendere & disseminare.

§. MCMXXV.

Dantur denique, qui pravis affectibus imbuti atque impietatis vi ducti, adeoque ex voluntate plane corrupta, hæreses disseminant.

Hoc

Hoc fit dum ex. gr. nonnulli *ex Ambitione* pernicioſa dogmata defendunt, cum vel ſententiam, quam ex nimio contradicendi ſtudio amplexi ſunt, revocare nolunt, ſed pertinaciter defendunt, vel ex invidia alii nocere allaborant, vel hac ratione famam ſibi conciliare quærunt, aut *ex Carnis Voluptatibus*, dum Religionem fingunt, quæ illis adblanditur; aut ex Avaritia dum ex tali doctrina quæſtum facere poſſunt, aut alio quovis pravo affectu, qui veritati nocet.

§. MCMXXVI.

Ex his patet, tres fundamentaliter Errantium eſſe ordines, qui omnes eodem cenſu haberi non poſſunt; *Primi* enim, in veritate informandi & convincendi, dum in Erroribus ſuis non perſiſtunt, hæreticorum nomen non merentur.

§. MCMXXVII.

Secundi & *Tertii* ordinis vero, dum falſas Propoſitiones ſuas acriter defendunt & maxima cum pertinacia, omni veritatis demonſtratione poſthabita, in placitis ſuis perſiſtunt, Hæretici characterem habent.

Tali enim ſenſu in Eccleſia noſtra hæc vox accipitur, ut non quemvis, qui circa fundamentum impingit, denotet, ſed eos ſolum qui in Errore ſuo perſeverant. Unde *BEZA Opuſc. Theol. Part. I. pag. 89. 90.* citante *LIMBORCHIO Theol. Chriſt. Lib. VII. cap. XX. §. 3.* Homines hac ratione diſtinguit. Quidam plane ſunt infideles: Alii fidem in Chriſtum profitentur. Horum quidam ſunt veri fideles, alii hypocritæ, alii Schiſmatici, alii Errantes in fide, iique vel infirmi qui doceri ſe patiuntur; vel Hæretici, qui invicta pertinacia & improbitate, quia ſunt ἀυτοκατακρίτοι, non modo veritati reſiſtunt, ſed etiam Eccleſiæ pacem & concordiam lacerant. Hæcque, inquit, & propria & peculiaris nota, qua à cæteris diſtinguuntur, quod ſuæ perfidiæ (quam præfracte tuentur) quaſi ludum aperiunt, & diverſæ doctrinæ factionem, quan-

quantum in se est, vel in Ecclesiam Dei invehunt, vel ab aliis invectam fovent. Et *Professores Leydenses in Synopsi purioris Theologiæ Disp. Thes. 39.* dicunt, quod Hæreticus sit, qui in Articulis gravis momenti & fundamentalibus ita erret, ut omnem correctionem respuat, & in Errore pertinaciter perseveret.

§. MCMXXVIII.

Dum veritates vel immediate fundamentum constituunt, vel aliquanto ab ipso remotiores sunt (§. 1830.): Hinc Errores fundamentales etiam distingui possunt in primarios, qui fundamentum immediate impugnant & evertunt, & secundarios, qui indirecte fundamentum oppugnant: Propterea iterum differentia aliqua inter Hæreticos ponenda, distinguendo inter eos, qui tales Errores fovent, qui fundamentum Religionis directe impugnant & evertunt, & eos quorum Doctrina Veritatem Religionis Peccatoris primariam indirecte subruit.

Addam verba Viri Venerabilis *JOH. CHRIST. KIRCHMEJERI quæ Dissert.* ad 1. Petr. II. 1. §. XXXII. extant. „ Abnegant enim, inquit, Christum Domi„ num & Redemtorem, non modo, qui disertis ver„ bis nullam vel à Deo ad peccatoris Salutem requi„ ri, vel à filio Dei præstitam esse, redemtionem do„ cent, sed & qui talem concipiunt, quæ nullum „ certum effectum habeat, vel saltem absque fructu „ salutari esse queat; imo qui talia de hominis sta„ tu misero, de Salvatoris Naturis, Persona, Officiis, „ mortis ejus fructibus & beneficiis, de consequen„ di Salutem mediis, & modo adducendi Hæredes „ ejus docent, quæ cum principali dogmate de J. C. „ unico & perfectissimo Salvatore non cohærent, „ sed illud quocunque modo labefactant, dum quam„ cunque aliam Salutis, sive quoad impetrationem, „ sive quoad applicationem, causam fingunt, atque „ vel sibi ipsis, propriisque viribus, vel aliis creatu„ ris

„ris tribuunt. Hi omnes, quo propius vel remotius „ fundamentum istud Salutis vellicant, eo magis vel „ minus, directe vel indirecte, in totum, vel ex parte, Redemtorem Dominum negant.

§. MCMXXIX.

Quorum dissensus fundamentalis est, iisdem Sacris uti nequeunt, sed ab Ecclesiastica illorum Communione abstinendum est. Hoc ex ipsa rei natura & ex ipso etiam mandato divino demonstrari potest.

§. MCMXXX.

Finis Communionis Ecclesiasticæ est promotio æternæ animarum Salutis atque Glorificationis divinæ (§. 1475.): Idem etiam Cultus publici scopus est (§. 1556.): Æterna autem Salus quæritur per Medium Liberationis à Deo revelatum; si vero aliquis talia fovet placita, quæ Medium hoc ceu Religionis fundamentum vel directe vel indirecte impugnant & subruunt, ipsam adeoque Religionis Essentiam non admittunt (§. 1801.), amplius ejusdem Religionis Socius agnosci nequit; Et dum hac ratione talia profitetur dogmata, quibus æterna animarum Salus obtineri non potest, quæque ad veram Dei glorificationem tendere non possunt, qui tamen & Societatis Ecclesiasticæ & Cultus publici finis est: Hinc nec Communio Ecclesiastica cum illis haberi potest, nec iisdem Sacris cum illis uti licet.

§. MCMXXXI.

Expressa etiam de hac re extant mandata divina Gal. I. 8. 9. si vel nos ipsi, aut Angelus à Cœlo evangelizet vobis præter id quod vobis

evangelizavimus, anathema esto. 2. Cor. VI. 14. 15. 16. Ne impari jugo copulemini cum infidelibus: Quod enim consortium Justitiæ cum injustitia? Et quæ communio luci cum tenebris? & quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infidelibus? & quæ consensio templo Dei cum Idolis? Et Rom. XVI. 17. Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissidia & scandala, præter doctrinam quam vos didicistis, creant: & declinate ab eis. 1. Tim. VI. 3-5. Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis Sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est Doctrinæ, is turget, nihil sciens, secede ab iis qui hujusmodi sunt. Tit. III. 10. Hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem, evita. Apoc. XVIII. 4. Et audivi aliam vocem è Cœlo dicentem, exite ex ea, populo mi, ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.

Consentiunt Patres, ut CYPRIANUS de lapsis: Non est pax, inquit, illa sed bellum, nec Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. & *GREG. NAZ. Orat. 8.* Melius est dissidium causa pietatis ortum, quam vitiosa concordia. AUGUSTINUS contra Donatistas asserit, *Lib. II. contra Petilianum cap. 48.* Pacem ex Evangelio prædicamus, cum quo si pacem habueritis, & nobiscum habebitis. Bene etiam Illust. PUFENDORFFIUS in Jure feciali divino §. 3. de hac re pronunciat: Præstat, dicit, salutiferam Veritatem vel inter pugnas & contradictiones retinere, quam mendacio altam inter quietem indormire.

§. MCMXXXII.

Supplicia capitalia à Magistratu eum in finem administrantur, ut tranquillitas publica atque communis Societatis humanæ securitas conservetur, & prout scelere aliquo illa vel magis vel minus

nus turbatur, etiam vel gravior vel minus gravis pœna infligenda est (§. 1754.): Finis ergo supplicium est communis Societatis humanæ securitas, quæ supplicii norma esse debet.

Observandum hic est, supplicia, quæ Magistratus civilis sceleratis hominibus pro concessa ipsi potestate infligit, proprie & stricte loquendo non ita considerandæ esse, ac si illis tanquam pœnis Magistratui satisfaciendum esset & scelus luendum; Vel quasi Magistratus vice Dei id quod morale est in scelere commisso puniret, ut pœna semper à criminis enormitate metienda sit, adeoque crimina contra præcepta primæ legis divinæ Tabulæ commissa majori supplicio castiganda sint, ac quæ contra præcepta alteræ patrantur; Quod fieri deberet, si Magistratui ad atrocitatem criminis in foro divino attendendum esset: sed potius Princeps pœnas capitales tantum adhibet ceu remedia turbationis communis securitatis in vita civili, propterea regula gravitatis supplicii infligendi non est atrocitas peccati in foro divino, hæc enim pœna soli Deo justo Judici atque omniscio competit; sed publica securitas, prout scelere aliquo vel magis vel minus turbatur ac periclitatur; Unde sæpissime fieri videmus, quod Magistratus Politicus sapientissime gravius in ea scelera animadvertat, quæ contra præcepta secundæ Tabulæ, quam quæ contra primam Tabulam committuntur, & in secunda Tabula sæpius gravius illis infligat supplicium, qui crimen aliquod committunt, quod in foro divino minus haberi videtur, quam illis qui majus aliquod patrarunt. Ita gravius puniuntur, qui contra octavum, quam qui contra septimum peccant; Ratio enim supplicii à majori vel minori securitatis humanæ turbatione atque periculo illi imminente petenda est. Proportio ergo inter crimen & pœnam petenda est non ab intrinseca criminis natura & gravitate, sed ab eo, num crimine aliquo tranquillitas & Respublica magis vel minus turbetur?

§. MCMXXXIII.

Cum Hæresis in hoc consistat, quod falsæ Pro-

positiones contra Articulos Religionis fundamentales pertinaciter defenduntur (1922. 1927.), nihil in illa reperitur, quo Bonum Societatis humanæ atque securitas publica turbatur, præcipue cum Hæretici non tantum Jus Naturæ, sed & ipsam Religionem Naturalem admittunt, qua se obligatos confitentur ad promotionem Boni communis atque perfectionis tum propriæ, tum proximi, sive integræ Societatis humanæ, & motiva actionum ab Attributis divinis desumenda esse, quod Religio Naturalis suadet; Hinc licet talia profiteantur dogmata, quæ cum fundamento Religionis Revelatæ consistere nequeunt, vitium tamen hoc nequaquam ad id genus pertinet, quod Magistratus politicus supplicio castigat atque coërcet (§. 1932.) : E. Hæreticus qua talis supplicio affici nequaquam potest.

§. MCMXXXIV.

Recte propterea Protestantes omne Hæreticidium rejiciunt.

Hæc unica demonstratio sufficit ad ostendendum Hæreticidium legitime fieri non posse; Ex illa simul apparet ratio, quare Magistratui vel Principi non competat Hæreticum qua Hæreticum morte plectere. Multis aliis adhuc argumentis hoc adstrui solet, desumtis vel à libertate conscientiæ, quod quilibet de fide sua & modo Deum cum propria Salute glorificandi persuasissimus esse debeat, neque conscientia Tyrannide externa cogi se patiatur, nec Error vi externa coërceri possit, cum sit vitium intellectus, & nemo cogi possit ut aliter credat, quam ratio ipsi credendum dictat, sed sola id persuasione ac Veritatis demonstratione fieri potest, qua Hæresi omnes succiduntur nervi & animi hominum de Veritatis evidentia persuasi redduntur. Vi autem Hæresis non expellitur, sed Veritas potius in Erroris suspicionem adducitur.

citur. Attentione digna sunt brevissima Philippi III. Hispaniarum Regis de hac re verba, citata à Reverendiss. *PFAFFIO in Dissert. de Ecclesia Sanguinem non sitiente pag.* 35. §. 18. ex Diario Litterario Hagiensi ex tabula Paparum Romanorum Gallica extracta, quæ etiam extant *dans les Memoires du Comte de Rousset. Journal Literaire* Tom. V. P. II. p. 288. 289. „ Sous „ le Regne de Philippe III. deux Cordeliers Espagnols „ condamnés au feu pour avoir preché publique„ ment la Religion Protestante louoient Dieu en al„ lant au supplice de ce qu'il les avoit jugés dignes „ de sceller de leur sang la Verité de l'Evangile. Le „ Roi qui les ouit, ne put s'empecher de dire: *Voila „ des hommes bien malheureux d'être punis pour une „ chose, dont ils sont persuadés.* Cela fut raporté au „ S. Office, qui s'en trouva fort scandalisé, & qui „ par grand menagement voulut bien se contenter „ d'une palete de sang, qu'on tireroit au Roi & qui „ seroit brulée par la main du Bourreau. Vel argumentari possumus à sequelis, quæ orirentur, si Hæreticidium legitimum esse declararetur. Cujuslibet enim Religionis Confessores arbitrantur Religionem, cui nomen dederunt, veram esse, alias vero hæreticas: Unde etiam quælibet jus sibi tribueret alios occidendi, qui aliam Religionem profitentur; Sed quanta in toto Terrarum orbe laniena hoc modo futura esset, si Magistratus quilibet eos ex subditis suis trucidaret, qui non eidem cum illo Religioni addicti sunt? Quot Bella forent, si cujuslibet Religionis Confessores obligatos se crederent ad alios, quos hæreticos esse judicant, exterminandos? Sed porro nullum unquam mandatum nec ipse Christus nec Apostoli dederunt ad Hæreticos supplicio extirpandos, sed potius ipsorum Regulæ contrarium suadent; Unde in Regno Christi beati prædicantur pacifici & mansueti Matth. V. 9. 10. Et ovium ad instar Ministri Jesu Christi se gerere debent. Matth. X. 16. & Apostolus dicit, arma militiæ nostræ, quibus nimirum hostes Regni Jesu Christi debellandi sunt, non esse carnalia, sed spiritualia, & potentia Deo, ad destructionem munitionum. 2. Cor. X. 4. 5. & juxta Apostolum Hæresis ita tollenda est, ut homo servetur. 1. Tim. I. 20.

Ubi Hymenæum & Philetum tradidit Satanæ, ut discant non blasphemare. Neque hæretici occidendi, sed vitandi dicuntur, 1. Tim. VI. 3 - 5. Tit. III. 10. Neque id factum esse in Ecclesia primitiva, ullum reperitur exemplum ad Priscillianum usque, qui ab Episcopis nonnullis capitalis perfidiæ reus pronuntiatus, quemque à Maximo Tyranno capitis damnari curarunt: de quo supplicio *Venerab. MOSHEMIUS Hist. Christ. Antiq. Sæc. IV. Part. II. C. V §. XIV.* Vehementer, inquit, hoc supplicium etiam illis displicuit, qui cæteroquin Priscilliani sententias detestabantur. Sed frequens exempli imitatio hunc sanguinis hæretici horrorem posterorum animis ejecit.

§. MCMXXXV.

Multo acerbius nonnulli scriptores in Reformatos, quam in ipsos Pontificios invehuntur, quod in illorum Ecclesia reperti fuere duo Theologi, qui Hæreticidium in scriptis suis ut legitimum defendebant, & quædam existant Exempla illorum, qui Hæreseos accusati mortis supplicio plectebantur.

Pro consuetudine sua satis modeste contra Reformatos sententiam dicit Celeb *PHILIPPUS à LIMBORCH, Theol. Christ. Lib. VII. cap. XX. §. X.* Inter Reformatos, inquit, Calvinus & Beza integris tractatibus, Magistratus officium esse in Hæreticos gladio animadvertere, ostendere conati sunt. Inter sequaces quidam aperte hanc Magistrorum suorum sententiam propugnarunt. Alii videntes doctrinam hanc, ob memoriam credo Sævitiæ Pontificiæ admodum esse exosam, non quidem à Calvini & Bezæ doctrina recessêrunt, sed nec eam aperte profiteri ac propugnare ausi sunt: Hinc distinctiones excogitatæ, quibus Doctrina illa fœda aliquatenus palliaretur; inter hæreticos simplices, & Hæreticos qualificatos, nimirum pertinaciter Blasphemos, & populi seductores, errorum exitialium legitime convictos; tum & inter pœnas corporales, relegationem, incarcerationem &c. & mortis supplicium. Quæ omnia eo tendunt, ut Sententiæ illius

lius fœditas aliquatenus tegatur; & interim ubi commodum ipsius visum est, possint vel statim vel per gradus quosdam pœnarum corporalium tandem ad ipsum Hæreticidium devenire. Sic *Professores Leyd. in Synopsi purioris Theologiæ Disp. L. Thes. 56. Malumus*, inquiunt, *in illorum Theologorum sententiam ire, qui, ubi alia datur ratio Hæreticos ex æquo & bono coërcendi, plerosque eorum ab Ecclesia condemnatos, à Magistratu arbitrario aut deponendos, aut relegandos, aut alio modo constringendos potius esse asserunt, quam mortis supplicio plectendos.*« Quæ verba celebris hic Remonstrantium Theologus in sequentibus in rem suam exponit. Ideo hæc adduximus, ut appareat, quid quibusdam ex nostris in hac re objiciatur, qui quomodo rem suam egerint, ut inquiramus, brevitas instituti nostri non permittit; sufficit nobis ostendisse, quid ex principiis nostris in hac re sequatur, parum solliciti quid hic vel ille particulariter senserit. Quod in specie quæstionem illam de Blasphemis supplicio ultimo sive morte plectendis attinet, Quæstio hæc est: An si homo infrunitus de Deo & Mysteriis divinis Religionis, quam Princeps vel Magistratus profitetur, linguæ suæ frenum ita laxet, ut varia petulantia, & secundum Principia hujus Religionis blasphema in Mysteria illius eructet, nec cessare velit una & altera vice monitus, eo quod credat illa Mysteria nullius momenti esse, tamen a Principe, qui illa Mysteria credit, morte sit plectendus? Et cum talis homo non tantum Societatis spiritualis membra dubia faciat, sed & Civitatem necessario turbet, nec detur quies, usque dum è medio sublatus sit, Principi in illum animadvertendum sit? Tota autem hæc Controversia ex nostris Principiis, quæ in antecedentibus stabilivimus, componi potest; Res enim huc redit, an non modo tranquillitas Civitatis Dei, sed & eo ipso Societas politica turbetur, quo in casu Magistratui incumbit, vi coërcere ejusmodi hominem dum Blasphemia in crimen degenerat, qua vero ratione Blasphemus cohibendus sit, circumstantiæ & Principis prudentia definire possunt, prout magis vel minus civitas turbatur & homo talis Magistratui immorigerum sese exhibet, & Reipublicæ turbator existit.

§. MCMXXXVI.

Magistratui jus competit, ad conservandam tranquillitatem Publicam & Societatis humanæ securitatem, vi coërcendi eos, qui Societatem turbant & necessitate id postulante etiam morte plectendi (§. 1932.); Si ergo inter Hæreticos tales existerent, qui seditiosa foverent dogmata, juxta quæ Jura Magistratus, Reipublicæ humanæ integritas atque securitas sarta tectaque manere non possunt, ut quod Magistratui non sit obediendum, nec justa illi solvenda, nec homagium præstandum, aliaque hujuscemodi plura, tunc omnino ex demonstratis ad Reipublicæ conservationem Jus ipsi competit, tales homines ut Rebelles vi coërcendi.

§. MCMXXXVII.

Ex hisce patet, distinguendum esse inter Crimina & Errores; inter ea dogmata, quæ Regimen politicum evertunt, & quæ cum scopo Societatis spiritualis consistere nequeunt, inter coactionem ad sententiam aliquam, quæ ad Religionem pertinet, tanquam veram amplectendam, & coactionem ad abstinendum ab omnibus iis, quæ pacem & tranquillitatem civilem turbare possunt.

§. MCMXXXVIII.

Patet etiam, pœnam delicto debere esse æqualem, dum ille, qui contra finem Societatis spiritualis sive Ecclesiæ peccat, & talia fovet dogmata, quæ fundamentum hujus Societatis subruunt, ut inutile illius membrum, tantum à communione Ecclesiæ Dei arcendus sit (§. 1930.); Ille vero, qui hujusmodi defendit principia, quæ fundamenta

menta Societatis civilis quassant & tranquillitati ejus noxia & periculosa sunt, etiam ex communione hujus Societatis ejiciatur, vel saltem vi externa arceatur, ut dogmatibus suis communi Reipublicæ bono amplius nocere non possit. (§. 1932. 1936.).

Hoc modo si ratio cum Hæreticis agendi explicatur, nihil asseritur, nisi quod ex ipsius Societatis tum Civilis tum Ecclesiasticæ principiis ac scopo fluit & cum utriusque fundamento optime convenit, & in Sacra Scriptura fundatum est.

§. MCMXXXIX.

Eos ergo ex Hæreticis Magistratui Politico punire licet, & si malum aliter cohiberi non possit, ex Civili Societate ejicere, qui sub prætextu Religionis contra Leges politicas delinquunt & turbulentos sese exhibent.

§. MCMXL.

Magistratui incumbit cura illorum, quæ ad externam Ecclesiæ εὐταξίαν pertinent (§. 1760.): Si ergo Hæretici existunt, qui ordinem in Ecclesia turbant, Magistratui etiam licet ad ordinis illius conservationem Hæreticos cohibere, ne motus atque turbas in Ecclesia excitent, illisque interdicere, ne dogmata sua disseminent, quæ periculosa esse ex S. Scriptura demonstratum est.

§. MCMXLI.

Cum vero Magistratui resistendum non sit Rom. XIII. 2. talis qui interdicto Magistratus posthabito in disseminatione errorum suorum pergit, Potestati Magistratus resistit, adeoque qua inobediens pœnam incurrit & ut obediat vi externa coërceri potest.

§. MCMXLII.

Ex quibus patet, quousque Potestas Magistratus in Hæreticorum cohibitione sese extendat, nempe ille neminem cogit ad Sententiam aut Doctrinam aliquam, quam falsam credit, amplectendam, aut ad Communionem cum Ecclesia, quam à veritate salutari recedentem esse persuasus est, neque in cujusquam conscientiam dominatur, sed in id invigilat, ne Ecclesiæ ordo turbetur, & inobedientes punit.

§. MCMXLIII.

Quoniam dantur etiam Articuli non-fundamentales, qui ad Religionis essentiam & constitutionem non pertinent, sed illis vel ignotis vel sublatis Religio ejusque professio sarta tectaque manet (§. 1805. 1810.): Sequitur eos, qui in non-fundamentalibus dissentiunt, propterea ceu diversæ Religioni addictos considerandos non esse, dum ea, quæ ad Religionis essentiam pertinent, retinent.

§. MCMXLIV.

Cum illi, qui in non-fundamentalibus dissentiunt, Religionis essentiam, adeoque veræ fidei professionem retineant (§. præc.); veræ autem fidei professio sit veræ Ecclesiæ nota (§. 1525.): Sequitur, si in visibili Ecclesia aliqua Errores demonstrari possunt, modo sint ejusmodi, qui neque fidei fundamentum evertunt, neque piorum Salutem intervertunt, propterea non sequi, quod illa statim desinat esse vera Christi Ecclesia.

§. MCMXLV.

Et cum nulla in hac terra existat Ecclesia, quæ in hac vita in omnibus infallibilem se prædicare

jure

jure poſſit, cum hoc ſortem humanam excedat, & Pauli doctrinæ non conſentiat (§. 1811.): Sequitur, maxima hic opus eſſe prudentia, ne forſan propter hoc, in quo noſmet ipſi erramus, alteram Eccleſiam ut erroneam damnemus.

§. MCMXLVI.

Experientia conſtat, magnam inter homines ingeniorum dari diverſitatem, ut alter hoc, alter aliud melius capere poſſit: Variam inſtitutionem, ut eadem Veritas alteri hoc, alteri alio modo proponatur, diverſis enim ſub reſpectibus eadem Veritas conſiderari poteſt, ut uno reſpectu aliquid de ea negari, altero reſpectu idem de ea affirmari queat; Diverſas etiam eſſe animi dotes, ut non omnes totum Veritatis alicujus complexum ex æquo cognoſcant, ſed unus hanc, alter aliam Veritatis partem ſolum comprehendat; notum porro eſt, dari doctrinas tam ſublimes, ut omnibus illas penitus penetrare non liceat, & Veritates, quarum ambitus atque complexus tantus ſit, ut vix à quoquam mortalium totum illarum ſyſtema in omni ſuo nexu, omnibus ſuis partibus, relationibus &c. cognoſci queat; Hinc fit, ut in hujusmodi ampliſſimis Veritatibus, unus hanc, alter vero illam partem ſolum conſideret, & varii illam ſub variis reſpectibus conſiderent. Ex hiſce nunc concludere mihi liceat, conſenſum univerſalem in omnibus plane veritatibus in hoc vitæ ævo impoſſibilem plane eſſe.

Nemini ignotum eſſe poteſt, in communi hominum converſatione ſæpiſſime accidere, ut duo de re aliqua diſputent, alter hoc, alter aliud defendat, licet in reipſa minime diſſentiant, quod ſubinde tertius illos audiens facile animadvertit, illisque nodum ſolvere illorum-

lorumque sententias combinare scit, dum utraque sed diverso modo atque respectu vera sit. Ex Theologia exemplum nunc proferre haud inutile erit: Quis nescit, quam sublimis sit Doctrina de Decretis divinis? Et quem latet, quantus totius Doctrinæ hujus sit ambitus? Cum omnia in se comprehendat, quæ ad omnium operum divinorum tum intentionem, tum executionem pertinent, finem hujus Universi tum universalem, tum omnes particulares, omniaque media huc tendentia, omnem in rebus modum, omnem ordinem atque concentum, omnem omnium rerum nexum, mutuam ad seinvicem relationem tum ad partes singulas tum ad totum Universum, omnium rerum non tantum τὸ ὅτι sed & τὸ διότι, & quæ alia: Unde nemo, opinor, est, qui sibi spondere audeat, se integram Decretorum divinorum doctrinam accurate & adæquate intelligere, omnium adeoque rerum in regimine totius Universi, rationem, modum, respectum se cognitum habere; sed quivis potius confitebitur, propter Doctrinæ hujus amplitudinem, illam totam ab homine comprehendi non posse, sed fieri, ut unus hanc illius partem, alter aliam capiat, & apparentes inde oriri posse dissensus, dum unus hoc respectu aliquid verum esse asserit, quod alter alio respectu consideratum falsum pronuntiat; unde nil nisi Logomachiæ oriuntur, quæ citius componi non possunt, quam uterque dissentiens veritatem sub eadem schesi considerat.

§. MCMXLVII.

Apparet ex dictis, bene se habere, quæ scripsit *JACOBUS USSERIUS Archi-Episcopus Armachanus, de Ecclesiarum Christianarum statu & successione per occidentem Cap. I. §. 15.* In omnibus omnium locorum ac temporum visibilibus Ecclesiis frustra quæri omnium doctrinarum quasi concentum consensumque; qui nonnisi in præcipuis & quæ maximi sunt momenti Religionis capitibus præstari possit. Et quotiescunque de unius aut alterius Ecclesiæ cum tertia aliqua in Religionis negotio

gotio seu consensione seu dissensione movetur quæstio, delectum esse quendam habendum, neque tam numerandas esse Doctrinas, in quibus vel consentiunt, vel dissentiunt, quam appendendas, momentoque suo ponderandas.

§. MCMXLVIII.

Communio Ecclesiastica cum illis habetur, qui sunt Membra Civitatis Dei (1475. 1556.); Num vero aliquis tale sit, cognoscitur ex ejusdem Religionis sive fidei professione & Cultu divino (§. 1525.), in qua re Religionis fundamentum atque essentia consistit (§. 1863. 1877.); Eæ autem Veritates, quæ Religionis essentiam constituunt, vocantur Articuli fundamentales (§. 1801.): E. cum iis, qui eosdem habent Articulos Religionis fundamentales, Communio Ecclesiastica colenda est. Cum iis vero, qui Articulos fundamentales eosdem non admittunt, Communio illa sancta haberi nequit; nec iisdem cum illis Sacris uti licet (§. 1930. 1931.): Ut ergo demonstretur, an cum Ecclesia aliqua Communio Ecclesiastica coli possit vel non possit, consensus vel dissensus in Articulis fundamentalibus demonstrandus est.

§. MCMXLIX.

Mutua Tolerantia Christiana vocatur, quando cum iis, qui fidei fundamentum retinent, sed in Articulis quibusdam non maximi momenti, qui nec fundamentum Religionis subruunt, nec æternam animarum Salutem, vel Dei glorificationem intervertunt, dissentiunt, pax fraterna atque communio colitur, & ad illam testandam idem sacræ communionis Symbolum scilicet S. Cœna usurpatur.

Con-

§. MDML.

Consensus in omnibus Articulis plane impossibilis est (§. 1946.), propterea in communione Ecclesiastica ad Articulos minoris momenti & non-fundamentales respici nequit, alias in Ecclesia nulla pax, nulla concordia, stare posset: & ad colendam communionem illam sanctam consensus in Articulis fundamentalibus sufficit (§. 1948.); In communione autem illa consistit Christiana Tolerantia (§. præced.): E. inter eos, qui in fundamentalibus consentiunt, in non-fundamentalibus vero dissentiunt, mutua Tolerantia exercenda est.

§. MCMLI.

Hæc etiam in S. Script. sæpius inculcatur & Christi Apostolorumque exemplis confirmatur. Prius fit, quoties ab Apostolis pacis studium commendatur, & Ecclesiæ, ut à rixis dissidiis atque schismatibus sibi caveant, monentur. Nemo vero id sæpius fecit quam ipse Apostolus Paulus, qui antea zelo maximo contra dissentientes incensus erat:

§. MCMLII.

Id facit Epist. ad Rom. XIV. ubi agit de dissidiis inter primos Christianos ortis propter observationem legis cærimonialis; monet autem statim ab initio Capitis fide infirmum, hoc est, qui non recte de his rebus sentit, à reliquis Ecclesiæ membris *assumendum esse*, & quidem non in disceptationibus disputationum, *neque illum spernendum* aut *damnandum* esse, *cum Deus illum assumserit*. Quamprimum ergo credimus, Deum Ecclesiam aliquam *assumsisse*, sive membra illius

Dex

Deo non exosa, sed Filios esse, neque illos secundum præcepta Religionis suæ Deum colentes damnatum iri, à nobis non contemnendi, sed assumendi & Communio Ecclesiastica cum illis fovenda est. Si fortes tolerare nolunt infirmos, minus adhuc infirmi fortes tolerabunt.

§. MCMLIII.

Et versu 19. Quæ pacis sunt sectanda esse dicit, & quæ ædificationis sunt ad invicem. Optime noverat Apostolus, quod dissidia & intolerantia diversitatem opinionum non tollant, sed quod viceversa pace & tolerantia errantes optime ad veritatem adduci queant; dum hac ratione institutioni locus sit. Nam si infirmi & leviter errantes à communione nostra arcentur, rationibus nostris difficulter aurem præbebunt, sed ipsis suspecta erunt omnia; Si vero cum Charitate ipsos tractemus, neque fraternitatis signa ipsis recusemus, eo faciliores erunt & ad dicta nostra animum advertent, nec tot odia, rixæ, schismata existerent.

§. MCMLIV.

Si duæ Ecclesiæ, quarum dissensus maximi momenti non est, ita pacem colerent, ita inter se coalescerent, Communionem Ecclesiasticam inter se foverent, se invicem fratres agnoscerent, una alterius infirmitates toleraret, iisdem Charitatis ac unionis symbolis uterentur, si rixæ, si odia cessarent, si unaquæque se in omnibus infallibilem non esse agnosceret, dubitandum non est, optimum hoc medium futurum, quo sententiarum divortia componerentur, & absque litigandi prurigine unus alterum erudiret, & dissensus

sensus pedetentim evanescceret, si non omnis, saltem maximus.

§. MCMLV.

Fortissimis hæc Apostolus argumentis suffulcit, quod ii, pro quibus Christus mortuus est, non sint perdendi, versu 15. neque Dei opus destruendum vers. 20. sed potius nos obligatos esse invicem suscipere, sicut & Christus suscepit nos Rom. XV. 7.

§. MCMLVI.

Et quanta tolerantia ipse Apostolus, qui tamen dono infallibilitatis gaudebat, omnes suscepit 1. Cor. IX. 20 - 23. postquam in præcedentibus egerat de manducatione idolothytorum, & admonuerat, illos ex Christianis, qui minus recte sentirent, tolerandos & illorum infirmitati sese accommodandum esse, tandem addit, cum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum servum feci, & factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifaciam; iis qui sub lege sunt, quasi essem sub lege, ut eos qui sunt sub lege lucrifaciam; Exlegibus ut exlex, ut lucrifaciam exleges: Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifaciam: Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos servem, hoc autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.

§. MCMLVII.

Apostolus pro Autoritate atque infallibilitate sua dissidia hæc solo imperio potuisset componere, sed maluit, sapientissimas ob caussas, utrique parti tolerantiam commendare, ut hoc modo discerent, quid unus fidelium alteri debeat, quanta patientia & charitate se invicem suscipere debeant,

beant, & ut spontaneo animo id facerent. Quare nos non etiam Apostoli exemplum sequeremur & dissentientes in iis, quæ Salutis fundamentum non evertunt, pacifico animo toleraremus.

§. MCMLVIII.

Et postquam in Epistola ad Galatas docuerat, verum Christianismum non consistere in circumcisione sive in observatione Legis cærimonialis aut in præputio, hoc est, in omissione ejus, sed in nova Creatura & mutua Charitate, sæpius commendat cap. V. & VI. ut in hoc dissensu se invicem ament & tolerent, per charitatem alii aliis serviant, alii alios non mordeant, ne ab invicem consumantur, ut omnes inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ absint; ut alii aliorum onera portent, tandem concludit: Super eos, qui secundum Regulam hanc incedant, & essentiam veri Christianismi retineant, pacem & misericordiam futuram.

§. MCMLIX.

Nec putet quisquam, hic ubi Apostolus Tolerantiam toties commemorat, agi de re parvi momenti, nam controversia gravem materiam respicit, differentiam nempe Legis & Evangelii, quæ à fundamento admodum remota non est, & ad ipsam praxin respicit.

§. MCMLX.

Ad Philip. III. 15. 16. inquit, quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Vult ergo Apo-

stolus, Christianos concordes esse debere, donec Deus in iis, in quibus dissentiunt, majorem cognitionem largiatur.

§. MCMLXI.

Eo etiam tendunt toties repetitæ admonitiones, ut unitatem servent Christiani, cum sit unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, ut Veritatem in Charitate doceant &c. Eph. IV.

§. MCMLXII.

Sed quanta tolerantia Christus erga discipulos suos usus est, quanta patientia & bonitate illorum Errores tulit: quot non præjudicia fovebant de natura Regni Christi, de morte ejus non necessaria, aliisque multis; sed blande ipsos instituebat, patienter eorum inscitiam tulit, donec majori luce cœlitus illustrati fuere.

§. MCMLXIII.

Ex his omnibus nunc, quæ de Articulis fundamentalibus & non-fundamentalibus, de Hæresi, de Schismate & Tolerantia diximus, ita concludimus; ut Communionem Ecclesiasticam cum Ecclesia aliqua colendam recusemus, opus est, ut demonstremus, aut omnes Articulos Theologicos esse absolute ad Salutem scitu necessarios, & discrimen inter necessarios & non necessarios nullum esse, & ob dissensum quemvis pacem abrumpendam & anathema dicendum; aut demonstrandum, Ecclesiam aliquam fundamentaliter errare: prius demonstrari nequit, contrarium enim tum ex rei natura, tum ex S. Script. probavimus, ergo posterius fieri debet; si vero nec hoc præstari potest, pax spiritualis cum illis, qui necessaria

saria ac Salutis fundamenta retinent, colenda est.

Plura adhuc ad Tolerantiæ necessitatem adstruendam addi possent Argumenta, qualia sunt, quod illi, qui cum errantibus in non-fundamentalibus communionem sanctam colere nolunt, infallibiles se credant oportet, alias, si hoc non de se præjudicium haberent, etiam in rebus parvi momenti aliis quid credi debeat, præscribere nollent, sed etiam se errori obnoxios esse posse confiterentur. Quod 2. Cognitio Ecclesiæ tanta esse deberet, ut nullum illa incrementum amplius capere posset, ut non ex parte tantum, ut Apostolus loquitur, sed ex toto, cognoscamus; si Ecclesia aliqua esset, quæ intoleranda superbia tantum cognitionis gradum sibi tribuere posset, nihilominus alios infirmos tolerare deberet, ut etiam ad eum cognitionis gradum progredi possent. Tertio denique perpetua illa dissidia in maximum Ecclesiæ veræ detrimentum vertuntur; Quis nescit illos, qui Scepticismum Theologicum profitentur, ex continuis rixis ac discrepantiis ansam sumere Christianismo illudendi & dissensum hunc in rem suam convertendi: Imo dum Ecclesia in propria sævit intestina & membra ejus se invicem lacerant, communem caussam contra alios deserit & inimicis arma ministrat. Vide cæterum quæ habent Viri Celeberrimi, qui de pace Ecclesiastica ac tolerantia Christiana scripsere, ut Reverendiss. PFAFFIUS in Variis Scriptis suis, SAM. WERENFELSIUS in Considerationibus generalibus de ratione uniendi Ecclesias Protestantes. JOH. ALPHONSUS TURRETT. *in Dissert. de Art. Fund. cap. VII.* Celeber. SALCHLINUS Prof. Theologiæ Laus. in Dissert. de tolerantia, Gallico idiomate scriptis. Nec non multa egregia jam de hac re monuit PHILIP. à LIMBORCH. *in Theol. Christ. Lib. VII. cap. XXII.* quæ tamen cum grano salis accipienda, cum fides, quam profitetur, postulat, ut Tolerantiæ limites justo nimis extendantur.

§. MCMLXIV.

Qua ratione Ecclesiæ propter Articulos non

fundamentales à se invicem diffidentes & communionem Ecclesiasticam non colentes iterum uniri possint, & quænam convenientissima via sit ad maximum hoc opus perficiendum, Viri pientissimi & de pace Ecclesiæ optime meriti Consiliis suis passim & prolixe ostenderunt, ex illorum Scriptis hic in compendio exhibebimus, quæ ipsi non una vice inculcarunt urseruntque.

§. MCMLXV.

I. Non id agendum, ut alterutra pars sententiam suam subito mutet, quod postulari nequit, nisi una pars in omnibus infallibilem se credat (§. 1945.), imo id plane impossibile est propter causas suo loco adductas (§. 1946.): Sed in id allaborandum, ut utraque Ecclesia convincatur, res controversas tanti momenti non esse, ut fundamentum Religionis & per consequens etiam Salutis subruant (§. 1948.), & unam alterius infirmitatem ferre obligatam esse.

§. MCMLXVI.

II. Omnis hæretificina procul ab utraque parte abesse debet, per quam intelligimus, illud crimen, quo calumniam pernicioſi cujusdam Erroris innocenti, vel in re, quæ fundamentum Religionis haud tangit, erranti adspergimus atque suspectam illius personam aut integram Ecclesiam aliis reddimus, bonaque, quæ per ipsum aguntur, sufflaminamus.

Est definitio, quam debeo Reverendiss. PFAFFIO *in Tractatu de Origin. Juris Eccles. pag. 216.*

§. MCMLXVII.

III. Huc pertinet, quod utriusque partis sententia

tentia, quam expresse profitetur & concedit, non sit confundenda cum consectariis, quæ illa non admittit, neque consequentiæ imputandæ, quas pars illa abhorret ; licet recte ex illius sententia deduci videantur, nisi adeo claræ sint, ut principio posito etiam illæ ponantur & ceu axiomata ex illa deduci possint.

§. MCMLXVIII.

IV. Præcipue vero schismatum causſæ, Odium Theologicum & inimicitiæ extirpandæ sunt, & mutuo declarandum, quod una pars alteram, dissensu non obstante, pro hæredibus vitæ æternæ agnoscat, nec non pro fratribus in Christo Jesu.

§. MCMLXIX.

V. Oblivioni tradenda omnia dura verba, quæ privati utriusque Ecclesiæ contra alteram partem imprudenter, ex affectibus & odio Theologico magis, quam Veritatis amore, effutiverunt, quæ ex Christiano amore condonanda sunt.

§. MCMLXX.

VI. Neque etiam attendendum ad dura quædam placita & scripta, opinionesque parum commodas, quas Theologi quidam & personæ privatæ foverunt, neque illæ toti Ecclesiæ imputandæ sunt : sed id quod Acta publica & Libri Symbolici docent, eaque secundum illius Ecclesiæ interpretationem intelligenda, quæ Confessioni illi nomen dedit.

§. MCMLXXI.

VII. Utriusque partis animis semper obversari debet, qua in re vera Christianismi Essentia consistat, non in cognitione & accurata determinatione omnis modi Veritatum sublimium, quem intel-

intellectus finitus nequaquam assequi potest, non in rebus obscuris aut incertis, non in argutiis quibusdam philosophicis, sed in Veritatibus simplicissimis, quod tota & perfectissima Salus per fidem veram & vivam in Jesu Christo sit quærenda, & quod Deus anima & corpore ex toto corde, ex tota anima, ex toto animo & omnibus viribus amandus, & cum propria abnegatione glorificandus, & proximus ut alter ego diligendus sit. In quibus Præceptis consistit tota lex & omnes Prophetæ.

§. MCMLXXII.

VIII. Omnis Controversiæ & Doctrinæ momentum ex Sacræ Religionis nostræ principio & unica fidei nostræ Norma S. Scriptura secundum sapientiæ regulas ponderandum, neque autoritati humanæ quidquam dandum est, multo minus controversiæ pondus ultra modum exaggerandum est, ipsa quoque Scripturæ verba usurpanda sunt.

§. MCMLXXIII.

IX. Sedulo considerandum infallibiles nos non esse, sed in hac terra ex parte tantum cognoscere, & errori obnoxios esse, & facile propterea, ut in quibusdam fallamur, fieri posse.

§. MCMLXXIV.

X. In Academiis Controversiæ maxima cum mansuetudine & moderatione tractandæ sunt, ut ii qui sacris sese dederunt studiis mature discant, qua cum differentia atque charitatis demonstratione sepositis præjudiciis affectibusque cum adversariis agendum sit, neque minus privatim quam in Scriptis Controversias illas ad Religionis essentiam & fundamentum non pertinere, quacunque occasione demonstrandum est.

§. MCMLXXV.

XI. Et ne quis ab alterius Ecclesiæ concionibus audiendis abhorreat, Controversiæ illæ ibi tractandæ non sunt, dum neque ad sanctitatis studium quidquam faciunt, & maximæ Auditorum partis captum superant, & si ejusmodi textus tractandus sit, omnis offensio vitanda & ita instituenda S. Oratio, ut ad omnium præsentium, illorum etiam qui alteri Ecclesiæ nomen dederunt ædificationem & præjudicii remotionem inflectatur, neque quidquam incongruis expressionibus ex affectu manantibus proferendum est.

§. MCMLXXVI.

XII. Exemplum Christi & Apostolorum suorum sequamur, qui charitatem atque tolerantiam semper & ubique commendarunt, neque alias Ecclesias, de quibus constat, quod in parvi momenti rebus à nobis dissentiant, propter discrepantiam illam damnemus, sed potius nos ubique pacificos exhibeamus, quod si omnes faciant, etiam facilior ad concordiam via erit.

§. MCMLXXVII.

XIII. Omnes tricæ scholasticæ & quæstiones infrugiferæ evitandæ, & potius verum sanctitatis studium & viva in Christum fides Religionis Christianæ Centrum, nec minus A. & Ω. semper & ubique inculcandum est.

§. MCMLXXVIII.

XIV. Hoc modo charitate redintegrata & via ad pacem strata, ab utraque Ecclesia concedendum est, ut non obstante dissensu in non-fundamentalibus utriusque Ecclesiæ membra unius ejus-

ejusdemque S. Cœnæ usurpatione, communionem, fraternitatem, quavis data occasione, testari audeant, & ita simul solennem mortis Domini commemorationem celebrent, & communis charitatis tessera simul fruantur, quod si fieret, mutua charitas recoalesceret, omnesque dissidii cogitationes paulatim evanescerent.

§. MCMLXXIX.

XV. Id vero à Principibus, à Theologis, à singulis Ecclesiæ membris faciendum est.

Hanc viam, quam hic maxima cum brevitate ostendi, multo convenientiorem esse puto, quam si Unio illa Doctrinarum confusione quæratur, aut si generales quædam confessiones proponantur, verbis ambiguis conceptæ, quæ pars utraque ad sensum suum applicare & illis dogmata sua involvere potest; sed hoc liti potius ansam dat, quando de vero verborum sensu agitur.

§. MCMLXXX.

Plura his non addimus quam verba Apostoli Rom. XV. 5 - 7. At Deus patientiæ & solatii det nobis id ipsum sapere in nos invicem, secundum Christum Jesum: Ut unanimiter uno ore glorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Jesu Christi: Ideo suscipiamus alii alios, sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei.

Αὐτῷ ΔΟΞΑ.

Errores, quos incuria fudit;

Sed rari nantes in gurgite vasto.

Pag. 134. lin. 25. *accessorio* nexu. l. necessario nexu. Pag. 160. lin. 10. *decentia*, l. ducentia. Pag. 184. l. 7. *artis.* l. certis. Pag. 221. l. 7. *rationes.* l. actiones. Pag. 285, l. 6. *vidimus.* l. dicimus. Pag. 305. l. 5. *docentem.* l. decentem. Pag. 342. l. 6. Hinc *fit*, *ut* nonnulli. l. Hinc nonnulli. Pag. 348. l. 26. *lege*, destitutum *non* esse. Pag. 404. l. 5. *lege*, ejusque sequelis *liberata.*

VCh 18 = 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834886-p0624-9





JOH. FRID. STAPFERI
V. D. M. Helv. Bern.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ UNIVERSÆ

Ordine Scientifico
dispositæ.

Tom. I.



F.

Cum permissione Facultatis Theologicæ
TIGURINÆ & BERNENSIS.

TIGURI,
Apud Heideggerum & Socios.
MDCCXLIII.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-834886-p0629-0